

IDAD
CCION

GONZALEZ

PHILOSOPHIA

ELEMENTARIA

B2185

G6

1877

V.1

C.1



1080075802

5831e



PHILOSOPHIA ELEMENTARIA.

UANL

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



Núm. Clas. _____
Núm. Autor _____
Núm. 55080
Proced. _____
Precio _____
Fecha agosto 1965
Clasifico _____
Catalogo _____



PHILOSOPHIA ELEMENTARIA

AD USUM

ACADEMICÆ AC PRÆSERTIM ECCLESIASTICÆ JUVENTUTIS

OPERA ET STUDIO

EXCMI. AC ILLMI.

D. D. FR. ZEPHYRINI GONZALEZ,


EPISCOPI CORDUBENSIS ORD. PRÆD.

VOLUMEN PRIMUM,

LOGICAM, PSYCHOLOGIAM, IDEALOGIAM

ET METAPHYSICAM GENERALEM

COMPLECTENS.



SECUNDA EDITIO.

MATRITI:

APUD POLYCARPUM LOPEZ, CAVA-BAJA, 19.

MDCCCLXXVII.

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN


BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

"ALFONSO REYES"

Apdo. 1625 MONTERREY, MEXICO

55080

B2145
567
1877
A



Biblioteca Central
UANE
FONDO
A. B. PUBLICA DEL ESTADO

22088



PRAEFATIO SECUNDAE EDITIONIS.

EXHAUSTA hujus operis prima editione, opportunum judicavimus, circa hanc secundam, quam aggredimur, sequentia animadvertere.

Ac primo quidem, prae oculis habentes copias minime abundare, sed potius carere, eos ferme omnes, qui ecclesiasticae militiae nomen praestant, manuales editionem studentibus accommodatam exequi decrevimus, unde et quaedam minus necessaria vel resecare, vel in compendium revocare, curavimus.

Deinde, et praesertim, opus augemus et perficimus addendo quaedam, quae in priori editione desiderabantur, agendo de juribus individualibus hodiernae democraticae, de morali independente, de jure proprietatis, quinimmo etiam, de aliis questionibus, quas similiter evolutas et illustratas, lector observabit suis locis.

Quoniam autem variis de causis in prima operis editione, multa irrepserunt menda quae in hac secunda corriguntur, nihil opus est animadvertere, quod in Philosophia Elementaria, quae nunc in lucem secundo prodit, et prioris menda purgantur, et non pauca evolvuntur, et quaedam emendantur, et plurima adduntur.

Ceterum, quod attinet consilium generale operis, idem prorsus est, ac in priori editione, quod quidem sequentibus summatim continetur:

Primo: Proliziora equidem fugere, simul tamen brevitati nimium non indulgere, quoad ea præsertim, quæ cum theologicis nexum et affinitatem sibi vendicant.

Secundo: Scholasticam methodum usurpare, tum quod ejus usum perutilem habeam in disciplinis tradendis, tum etiam ut hac ratione, opportunitas adsit et locus pro privatis ac publicis concertationibus, quæ tyronum mentem exacuunt, evolvunt, obsfirmant. Ast simul cordi fuit methodum illam quadam cum sobrietate adhibere.

Tertio: Adnotationibus, scholiis, et auctorum appellationibus, respergere librum, paulisperque ornare pro argumentorum natura et conditione.

Quarto: Simplex dicendi genus et facilem elocutionem adhibere. Enimvero, ut quid tyronibus imperiviam elocutionem adhibere, aut quæ pueri captum prætergrediatur?

Quinto: Veterum Scholasticorum, ac præsertim D. Thomæ dicendi genus sive scientificum sermonem (terminologia científica) pro data opportunitate aperire. Quippe hoc vel quam maxime necessarium arbitror, pro his, qui vel christianæ Philosophiæ, vel solidioris Theologiæ ex fontibus altiore scientiam plenius haurire velint.

PROLEGOMENA.

Philosophiæ nomen.

«Cum antiqui, ait D. Thomas (1), studio sapientiæ insistentes, *sophystæ*, id est, sapientes vocarentur, Pythagoras interrogatus, quid de se profiteretur, noluit se sapientem nominare, sicut sui antecessores, quia hoc præsumptuosum videbatur esse, sed vocavit se *philosophum*, id est, amatorem sapientiæ.»

Itaque, si vis nominis attendatur, philosophia, nihil est aliud quam *amor sapientiæ*. Quod si sapientia circa veritatem cognoscendam versatur aut certe versari debet, philosophia, juxta veterem illam ethymologiam, poterit jure optimo nuncupari, amor seu studium veritatis. Qua sane in re, veteres illi qui nomen hocce philosophiæ, vel imposuerunt, vel laudarunt et amplexati sunt, cordatiores atque prudentiores extitere recentioribus, qui philosophiam vocare consueverunt, *scientiam universalem*, *scientiam transcendentalem*, *scientiam scientiarum*. Quæ superbæ denominationes originem ducunt ex præpostera illa idea, quod ratio, nempe, humana, philosophia semel informata, absolutam adsequitur autono-

(1) *Metaphy.*, lib. 1.^o, lect. 1.^a

miam, ita ut, neque Rationi Dei, nec ordini supernaturali subesse indigeat aut teneatur, sed de omnibus autonomice pronuntiare, atque omnia superne dijudicare queat.

Origo Philosophiæ.

«Naturaliter, inquit D. Thomas, inest omnibus hominibus desiderium cognoscendi causas eorum quæ videntur; unde propter admirationem eorum quæ videbantur, quorum causæ latebant, homines primò philosophari cœperunt; inveniētes autem causam, quiescebant.» En primam originem, seu potius causam occasionalem philosophiæ. Causam, inquam, *occasionalem*; namque, ut ipsemet D. Thomas docet, vera causa efficiens philosophiæ, est ipsa hominis natura (1). Enimvero «quælibet res naturalem inclinationem habet ad suam propriam operationem. Propria autem operatio hominis in quantum homo, est intelligere; per hoc enim ab omnibus aliis differt. Unde naturaliter desiderium hominis inclinatur ad intelligendum, et per consequens ad sciendum» (2).

Alteram hujus rei rationem, quæ non minus profunda et philosophica quam præcedens agnoscitur, ibidem assignat D. Thomas, quam summatim attingemus. Homo, sicut et quælibet res creata, naturalem inclinationem sibi vendicat ad sui perfectionem, præsertim ex parte rationis, cujus perfectio et evolutio, homini non utiles modo ac ejus naturæ consentaneæ, sed necessariæ prorsus existunt, ad hoc ut congrua ac recta ratione transigere possit vitam, sive physicam, sive moralem, sive socialem et politicam. Cum ergo homo a natura accipiat rationem ideis nudam et rerum notionibus orbatam, sponta-

(1) Hanc sententiam amplectitur quoque Aristoteles, qui *Metaphysicorum* libros verbis hisce aggreditur: «Omnes homines natura scire desiderant.»

(2) *Metaphy.*, lib. 1.^o, lect. 1.^o

neo impetu naturæque veluti instinctu fertur ad acquirendam scientiam, cujus ope humanam vitam congrue ducere queat.

Notio Philosophiæ.

Quoniam philosophiæ, sicut cujusvis scientiæ vel artis propria notio ex objecto pendet ac dijudicatur, constituere prius expedit, quodnam objectum eidem adsignare oporteat, vel quod in idem redit, quo sensu hic philosophia accipiatur. Veteres Græciæ philosophi, philosophiam a vestigatione physiciæ naturæ auspicati sunt; unde non aliam philosophiam agnoverunt et coluerunt, nisi *physicam* seu *philosophiam naturæ*. Socrates et Plato moralem et politicam adjecerunt, simulque logicam et metaphysicam inchoarunt. Aristoteles logicam tanquam specialem philosophiæ partem evoluit, simulque metaphysicam auxit et complevit. His si adjicias mathesim, habebis adæquatum objectum atque integram materiam philosophiæ prouti accipiebatur tum a veteribus illis, tum postea a philosophis Scholasticis, apud quos proinde philosophia complectebatur *Logicam*, *Physicam*, *Metaphysicam*, *Ethicam* et *Mathesim*, quamquam hæc postrema e partibus philosophiæ stricte sumptæ a pluribus excludebatur, sicut ab eadem expungebantur, Medicina, et Historia Naturalis.

Sed vero, posterioribus sæculis, postquam præsertim philosophia, ope et occasione Cartesianismi, a traditione et legibus philosophiæ christianæ Scholasticorum paulatim discessit multiplices Rationalismi formas induens, adeo magna confusio quoad notionem et naturam philosophiæ definiendam exorta est, ut vix duos inter recentiores sibi in re hac consentientes, reperire liceat (1). Occasionem quoque ejusmodi confusio præ-

(1) Rattier, plus quam viginti philosophiæ definitiones a recentioribus allatas recenset, quæ toto cœlo discriminantur ac invicem

buit evolutio scientiarum physicarum et naturalium, quæ ætate nostra, in immensum ferme excreverunt.

Jam ergo, ut ab hujuscemodi recentiorum confusione recedentes, rationabilem philosophiæ notionem tradere nobis liceat, hæc animadvertere oportet: 1.º Quidam, ejusdem philosophiæ ambitum et jura ultra modum ac indefinita ratione elargientes, philosophiam habent tamquam complexam scientiarum omnium, quæ rationis lumine investigari queunt; quapropter revera apud hosce scriptores, philosophia converti ac identificari videtur cum encyclopædia scientiæ humanæ. Quam incongruam atque vitiosam philosophiæ notionem, non modo recentiores quidam, sed plurimi e veteribus amplexati sunt, atque inter alios Romanus Orator dum philosophiam definit: *Rerum divinarum et humanarum, causarumque quibus hæc res continentur, scientia.*

Similiter, apud Hegel, philosophia definiri potest: *investigatio rerum ope cogitationis.* Si Krausismi adsecras audiamus, philosophia congrue definitur: *scientia principiorum rerum omnium.* Quæ quidem definitiones, præter alios defectus, ex ipsa sua generalitate, inutiles et ambiguæ redduntur.

2.º Contra, alii inter recentiores, philosophiæ munera et objectum vel plus æquo in angustiam redigentes, vel a recta via detorquentes, nihil ferè aliud in ea agnoscunt nisi scientiam mere subjectivam, vel aliis verbis,

opponunt. Post hæc, suam proponit in qua certe nec perspicuitas, nec brevitatis, nec veritatis maxime elucet: «L'exercice regulier de la reflexion, l'emploi methodique de la raison, appliquées à la solution du problème de notre nature, de notre origine et de notre destinée ainsi qu'à la recherche des principes qui doivent regler nos rapports, soit avec les divers êtres qui nous entourent, soit avec nous mêmes.» *Cours de Phil.*, Introd., pag. 25. In qua definitione, quamvis nimis fusa, frustra quæres, ut alios defectus mittam, Cosmologiam et Theodicæam, præcipuas atque nobiliores philosophiæ partes,

cognitionem reflexam humani spiritus, seu virium, legum et elementorum, quæ in *ego humano*, ut ajunt, continentur. Quapropter apud eos, philosophia, tota quanta est, revera ad *Psychologiam* reducit. Atque hujuscemodi philosophia, quæ *ego humano* philosophia non immerito nuncupatur, originem duxit a methodo et philosophia cartesiana, eademque sub hac vel illa forma profitentur recentiores Rationalismi et Pantheismi adsecræ, qui philosophiæ notionem et objectum ad ejusdem normam cudere solent et assignare. Sic, ut horum quosdam in exemplum afferamus, apud Kant, philosophis nihil est aliud quam, *scientia necessaria legum et causarum activitatis primitivæ seu spontanæ rationis;* vel quod in idem redit, investigatio legum secundum quas cognitio rationis humanæ evolvitur. Apud Fichte, philosophia est, «scientia *ego puri* quatenus per thesim et antithesim seipsum ponit et affirmat,» hoc est, quatenus seipsum cognoscit, ut *ego purum*, ut *ego non purum* seu empiricum, et ut *non ego*. Tandem Cousin, rationalismi ecclæstici principiis insistens, quod quidem a rationalismo pantheistico germanorum parum aut nihil distat, philosophiam ita definit: *Reflexio prorsus emancipata, ac vinculis auctoritatis penitus soluta, ita ut ratio sibi ipsi unice innitatur in veritatis inquisitione.* Hæc porro cousiniana definitio philosophiæ, saltem sibi vendicat meritum claræ confessionis; quandoquidem exprimit quid sibi velit Rationalismi philosophia, et quò tandem spontaneo motu ducat philosophia illa subjectiva scientiam eruere volens ex *ego humano*, quæ a Cartesio in orbem litterarium infandis fati, invecta fuit (1).

(1) Unde merito scribit Buchez: «Le resultat de cette philosophie (filosofia del yo) est selon leur propre expression, de poser le moi avant tout et de lui donner la souveraineté; c'est en d'autres termes

3.° Philosophia utrumque extremum nunc expositum simul declinans, significare potest scientiam, quæ nec objecta specialia omnium scientiarum, quotquot sunt, complectatur, nec pure subjectiva minusque finita et inferior evadat, solum *ego humanum* tanquam objectum respiciens. Nobis itaque philosophia est cognitio rerum naturalium, quatenus tribus hisce objectis primariis et universalibus, Deo, mundo et homine, continentur atque exprimuntur. Unde proprium ejusdem munus illud est, scientifice investigare et dijudicare res universim acceptas, seu Deum, mundum et hominem, quoad intimam essentiam, quoad communes relationes et quoad præcipua attributa et effectus, ita ut non descendat nec ad res omnes aut singula rerum genera et species sigillatim investiganda, nec ad relationes, proprietates et effectus, quæ aut minus principales, aut minus universales existunt. Atque ex his jam facile colligitur, philosophos mediæ ætatis, non immerito philosophiam definisse *Cognitionem certam et evidentem rerum per altiores causas naturalibus viribus rationis acquisitam.*

Colligitur item, Philosophiam qualuor veluti præcipuas partes complecti, nempe: 1.° *Metaphysicam*, quatenus agit de rationibus objectivis, aut purè spiritualibus, aut purè intelligibilibus et valde universalibus; quo sensu complectitur etiam *Cosmologiam* seu *Physicam generalem*, quatenus agit de mundo corporeo, corporumque naturam, elementa, relationes generales, ac præcipuas proprietates et vires inquirat: 2.° *Logicam*, quæ circa leges inquirendæ et demonstrandæ veritatis versatur; 3.° *Ethicam* sive scientiam morum, quæ versa-

de montrer le premier principe du protestantisme, celui par lequel Luther brisa avec l'autorité de l'Eglise romaine, savoir, la souveraineté de la raison individuelle.»

tur circa hominem quatenus perfectionis moralis capax et idoneus existit. Ad *Metaphysicam*, *Logicam*, et *Ethicam* revocatur *Psychologia*, quam recentiores in unum quoddam corpus redigere consueverunt, quamquam revera, illa, quatenus essentiam ipsam animæ considerat, ad *Metaphysicam*; quatenus vires seu facultates cognitrices hominis, ad *Logicam*; quatenus facultates morales et affectiones sensibiles, ad *Ethicam* spectat.

Ceterum, etsi non improbemus philosophiæ definitionem nuper allatam ex Scholasticis, eam tamen ut exactam solum habemus respectu philosophiæ strictissimo sensu acceptæ, prout, nempe, demonstrationes evidentes complectitur. Ast verò, nobis ea insidet opinio, philosophiæ vocabulum accipiendum non esse, nec universim accipi, ad sensum illum metaphysicum scholasticæ definitionis, sed prout philosophia, præter demonstrationes certas et evidentes, complectitur plurima probabilia, hypotheses diversas veritati magis aut minus similes et affines, observationis rationi consentaneas circa facta et phænomena, alia hujusmodi, ex quibus si non scientia strictissimo sumpta, ast certe cognitio rationalis et quodammodo *scientifica* exurgit et habetur. Quamobrem philosophia, definiri non incongrue potest, nostra sententia: *Cognitio scientifica et rationalis Dei, mundi et hominis, quæ viribus rationis, per altiores causas seu principia habetur.*

Dignitas et utilitas Philosophiæ.

«Philosophia, ajebat olim Cicero, omnium mater artium, quid est, nisi ut Plato, donum, ut ego, inventum Deorum? ¡O vita philosophia dux! ¡O virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum! ¡Quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? Tu urbes peperisti; tu dissipatos homines in societatem vitæ convocasti; tu inventrix legum, tu magistra morum et disciplinæ fuisti.» Quod si tanta existit dignitas et utili-

das ethnicæ seu græcanicæ philosophiæ, quæ, ut Clemens Alexandrinus habet, «non comprehendit veritatis magnitudinem, et est adhuc imbecilla,» quid sentiendum de philosophia christiana, quæ proculdubio super Græcorum philosophiam eminet, quantum lenta solent inter viburna cupressi? Quandoquidem illa, «non modo, ut verbis Alexandrini citati utamur, maxime regali doctrinæ (Religioni Christianæ) viam preparat, utcumque castigans, et mores prius formans, et ad suscipiendam veritatem confirmans;» sed plurimum adjuvat et confert, tum ad cognoscendum nexum dogmatum fidei, sive inter se invicem, sive cum veritatibus ordinis naturalis; tum ad obfirmanda et evolvenda dogmata ea quæ rationis vires non superant; tum denique ut Religionem catholicam pro viribus tueamur, simulque impiorum et rationalistarum hominum argumenta et sophismata solvantur. Nemo enim est qui nesciat, sicut olim hæreses, ita hodie philosophiam bellum gerere adversus catholicam Ecclesiam, ut jam præmonui.

Philosophiam, inquam, illam recentiore, quæ a recto tramite traditioneque philosophiæ christianæ post Cartesium recedens, separationem primum ac deinde oppositionem inter philosophiam et theologiam invexit; universam philosophiam ex phænomeno singulari sensus intimi eductam voluit; autonomiam absolutam rationis humanæ, constituit atque prædicat; ex quibus omnibus ad pantheismi multiplicis formas, tandem perducta est. Cui profecto pseudo-philosophiæ non modo minimè congruunt ea quæ dignitatem et utilitatem philosophiæ christianæ, a qua toto cælo distat (1) commendant, sed

(1) Qua ratione philosophia christiana tum a veteri, tum a recentiori discriminetur, præsertim quoad principium cui innituntur, ac ex quo exordiuntur, satis apposite exponit Mattès verbis hisce: «La

potius execrationem et contemptum christiani aut prudentis viri meretur. Namque, ut Jacobus Clemens jure merito scribit, «philosophiam recentiore, ex quo tempore majorum nostrorum principia manumittere, proprium sibi procedendi modum sequi, novasque vias tentare cœpit, paulatim a fide defecisse, veritati christianæ inimicam evasisse, nec non eo devenisse, ut sanæ mentis hominibus aut odio et execrationi, aut contemptui et ludibrio sit, neminem potest effugere, qui videt ea, quæ præ oculis habet.»

Leges Philosophiæ.

Porro ex his quæ hucusque disserimus, facile dignoscuntur conditiones et leges, quibus philosophiam subjici oportet, ut verè rationalis atque christiana, non atheistica vel rationalismo infecta evadat. Etenim cum

philosophie grecque part de la nature, voit dans la substance de la nature Dieu, et dans toutes les existences des manifestations de Dieu. La philosophie moderne part de l'homme; elle voit Dieu dans l'esprit humain, et dans toutes les existences des produits et des phénomènes de cet être pensant. La philosophie intermédiaire des Pères et des Scholastiques part du Dieu réel et cherche à reconnaître d'abord ce Dieu en lui-même, en suite le monde comme création de Dieu, c'est-à-dire, à le comprendre comme la réalisation d'un plan conçu avec intelligence. Ainsi l'histoire nous apprend que la vérité se trouve dans cette dernière théorie, car elle nous fait reconnaître que l'essence de la creature qu'on la voit dans la substance de la nature ou dans l'esprit pensant, n'est en vérité pas l'absolu; qu'il existe un Dieu qui a créé cet être avec tout ce qui apparaît autour de lui. Elle nous le fait reconnaître non-seulement en nous apprenant que la philosophie athéistique (dite panthéistique) a contre elle le bon sens du monde entier, la conscience de tous les hommes raisonnables et impartiaux... mais surtout en mettant devant nos yeux la déplorable fin à laquelle sont parvenues les deux philosophies athéistiques, non par accident, non faute de logique, mais par un développement tout à fait naturel, fatal, nécessaire, tandis qu'en même temps elle nous démontre que la philosophie théistique intermédiaire ne donne que des idées qui prouvent, par le fait et d'une manière irrefragable, qu'elles sont vraies ou correspondent à des réalités.» Apud Goschler, *Diction. encycl. de la Theol., cat.*, T. 18, pag. 120.

metaphysice repugnet veritatem veritati contradicere aut opponi, cumque non minus certum et evidens sit, rationem Dei in infinitum excedere ac superare rationem hominis, philosophia hoc nomine digna, et ad sobrietatem usque rationalis, his legibus subjiciatur:

1.^a Nihil docere aut continere, quod veritatibus a Deo revelatis, opponatur.

2.^a Problema fundamentalia philosophiæ, ita dijudicare et solvere, ut solutio non ducat ad conclusiones vel consecutaria, quæ cum doctrina revelata conciliari nequeant.

3.^a Ad veritates revelatas, mentis aciem perpetuo et constanter intentam habere, ut iisdem veluti firmissimo fundamento innixas, tutò procedere queat humana ratio, ad problemata philosophica dijudicanda et illustranda; siquidem illæ, utpote manifestationes Rationis divinæ, lucem maximam profundunt super rationem humanam ac veritates ordinis naturalis.

4.^a Diligenter illustrare, ac scientificè confirmare et evolvere veritates eas revelatas, quæ rationis captum penitus non excedunt, ut sunt Dei existentia, providentia, mundi creatio libera, animæ immortalitas, cætera hujusmodi; quoad eas vero, quæ vel rationis captum prorsus superant, vel sola revelatione cognoscuntur, viam eis sternere rationis ope, præsertim vero, ostendendo ipsarum nexum et relationes cum veritatibus, quæ experientiam et rationem hominis non quoad omnia et prorsus superant, prouti se habent dogmata, quæ gratiæ necessitatem, aut peccati originalis existentiam respiciunt.

5.^a Patrum Ecclesiæ et Doctorum Scholæ, præsertim vero D. Thomæ Aquinatis, opera et doctrinam, præ oculis habere; hi sunt etenim qui philosophiam christianam inchoarunt, ornarunt, evolverunt. Quod si D. Thomam præ cæteris commendamus, hujus rei ra-


tio est, quia existimamus, opera ab ipso conscripta, continere integram ac veluti absolutissimam synthesim totius philosophiæ christianæ. Quod tamen nihil obstat, quominus in levioribus quibusdam, aut in his, quæ sub opinione potius quam sub certitudine ab ipso proferuntur, liceat aliter opinari, si cuiquam sufficiens adsit ratio. Enimvero, ut verbis ipsius D. Thomæ utamur, « quamvis universaliter ratione pertinente ad omnes homines, veritas sit præferenda amicis, specialiter tamen hoc oportet facere philosophos, qui sunt professores sapientiæ, quæ est cognitio veritatis. »

JUAN L

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN



DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECA

LIBER PRIMUS.

LOGICA.

Sectio Prima, seu Logica Generalis.

Logicæ præcipuus scopus est mentem dirigere ad cognoscendam veritatem, quam tribus præsertim operationibus adsequitur noster intellectus, simplici, nimirum, apprehensione seu *perceptione*, *judicio* et *ratiocinio*. Ad ipsam proinde pertinet, tum præcepta tradere ad rectum exercitium prædictarum operationum, tum fundamenta, generale objectum, et rationem illud assequendi investigare et exponere; quorum primum ad *Generalem Logicam* spectat, quæ apud veteres *Logica Minor* audiebat; alterum ad *Logicam Specialem* seu applicatam, quam veteres *Majorem* nuncupabant. A priori itaque exordientes, de simplici perceptione, de judicio et ratiocinatione totidem capitibus disseremus. Sed quoniam harum operationum natura, utilitas et usus, ex sermone quo exterius promuntur non parum pendent atque elucescunt, quidpiam de sermone et signis cogitationis, prælibare oportet. Unde sit

CAPUT PRIMUM.

GRAMMATICA GENERALIS.

Disciplina ea quæ principia, leges, et fundamenta sermonis investigat, *grammatica generalis* nuncupatur ab aliquibus, quamvis minus proprie, nam *grammatica*, ars quidem sed non proprie scientia dicitur: unde melius alii *philosophiam sermonis*, eandem appellant, quippe quæ non nuda præcepta tradit, ut grammatica consuevit, sed præcepta præceptorumque rationem et fundamentum, quod scientiæ proprium existit. Itaque breviter hic agemus, tum de signis quibus cogitatio sensibilis redditur, tum etiam de natura et partibus quibus constat oratio internam exprimens cogitationem.

ARTICULUS PRIMUS.

De Signis cogitationis in genere.

1.º Signum generatim sumptum dici potest: *id quod potentia cognoscenti aliud a se repræsentat*. Ex qua definitione colligitur, ad rationem signi requiri, 1.º quod res quæ est *signum*, a re per ipsum *significata* distinguatur, nihil enim suipsius signum proprie dicitur: 2.º quod aliqua intercedat relatio vel connexio inter *signum* et rem significatam, aliter namque in hujus cognitionem minime nos duceret: 3.º inferitur *signum* esse veluti medium inter potentiam cognoscentem et rem *significatam*, sicut fumus intercedit medius inter mentem et ignem, quatenus mens per illum quasi transit et manuducitur ad ignem.

2.º Hinc profluit *signum* determinare duas perceptiones, quarum prima terminatur ad ipsum signum, altera ad rem per ipsum significatam. Attamen, ut duplex hujusmodi perceptio exurgat, vel, ut signum *actu quoad nos exerceat* rationem signi, opus est præterea mentem cognoscere relationem quæ existit inter ipsum et rem significatam: sic hæc vox *cheval*, quamvis signum sit equi, signi tamen officium non exercet quoad mentem ejus, qui gallicam linguam penitus ignorat.

3.º Ex natura relationis inter signum et rem significatam profluit signorum divisio. Unde signum in

a) *Formale, et instrumentale*, dividitur. Formale illud dicitur quod rem repræsentat per modum imaginis vel similitudinis, sicut picta Petri imago, Petrum menti repræsentat. Instrumentale, rem significatam menti offert ac repræsentat per modum simplicis indicationis sive connexionis, prouti fumus combustionem repræsentat. Verum instrumentale signum vel est

b) *Arbitrarium*, si nexus inter signum et rem significatam ex instituto et arbitrio hominum originem ducit, ut voces articulatae, quibus rerum naturas significamus dum loquimur; vel *naturale*, quando, nempe, nexus ille non ex hominum arbitrio sed ipsa rerum natura pendet, ut allato in exemplo fumi et ignis.

c) *Certum* præterea nuncupatur signum, quando necessario et infallibili modo cum re significata connectitur, ut respiratio est signum certum vitæ: *incertum*, si probabilis sed non infallibilis sit ejus nexus cum re significata; sicut pulsus acceleratus febris signum incertum existit, quandoquidem ex alia causa originem ducere potest.

ARTICULUS SECUNDUS.

De signis oralibus cogitationis.

Experientia ipsa teste, internas cogitationes et affectiones anima exterius sensibiles reddit, vel gestu, corporis motibus, et vocibus inarticulatis; vel vocibus quæ articulatione constant et ad placitum significant. Differunt autem hæc duo genera signorum cogitationis, quia gestus (sub quibus nunc cætera ejusdem generis accipimus) sunt signa *naturalia* cogitationis, quatenus non ex hominum arbitrio et institutione, sed ex ipsa natura vim habent significandi quasdam animi cogitationes et affectiones, ut determinata vultus dispositio, (expressio) quidam corporis motus, (ademanes) quædam exclamationes, voces, (gritos), vel gemitus, suspiria, etc., iram vel tristitiam, vel dolorem, vel varias animi affectiones (sentimentos) simili ratione in cunctis hominibus, ac ex spontaneo naturæ impulsu significant. Hinc gestus, lingua

vel sermo naturalis (lenguaje de la naturaleza) recte dici potest.

Præ oculis tamen habendum, hunc spontaneum et necessarium naturæ sermonem, hominis arbitrio aliqua ex parte subjacere, quatenus homo per iteratum exercitium et vehementiorem voluntatis conatum, præfata phænomena externa ex naturali instinctu emanantia diversimode potest modificare, ea vel augendo, vel minuendo, vel occultando, vel etiam fingendo, ut in tragædis observare licet.

Alterum genus orationum signorum quibus cogitatio ad sensum exprimitur, quodque articulatis vocibus seu vocabulis continetur, connexionem necessariam vel naturalem cum re cogitata minime habet. De ipsis, utpote præcipuis cogitationis signis, quidpiam oportet disserere, quod ut brevi perficiatur oratione, hæc accipe:

1.º Hæc vox *sermo* (lenguaje) quandoque sumitur pro facultate loquendi quæ homini inest, tanquam ejus quædam naturalis perfectio et attributum, quo ab animalibus brutis naturalis perfectio et attributum, quo ab animalibus brutis discriminatur: quandoque, pro collectione determinata vocum vel terminorum quibus præfata loquendi facultas ad actum reducitur, sive pro *lingua* vel *idiomate* quo utimur; quo sensu sumitur *sermo* dum dicimus ex gr. *sermonem* (el lenguaje) hispanum esse abundantiore gallico: quandoque tandem sumitur pro peculiari quadam ratione, qua loquens vel scribens verba cogitationes exprimentia disponit, sive pro *stilo*; atque hoc sensu dicimus, *sermonem* (el lenguaje) hujus oratoris esse pulchrum, redundantem, aridum, elegantia plenum. Hic porro accipitur *sermo* non primo nec tertio, sed secundo tantum sensu.

2.º Itaque si quæretur utrum verbum vel locutio, (la palabra) sit res homini naturalis? distinctione uti opus est. Nam si locutio accipitur pro potestate et vi exprimendi et significandi internas animi cogitationes et affectiones sonis articulatis seu vocibus, locutio naturalis homini dici debet, quatenus in sua ipsa natura habet principia locutionis hujusmodi atque prædispositionem ad ipsam. Si vero accipitur locutio pro vocabulis, quibus dum loquimur, utimur, locutio non quid naturale, sed arbitrarium existit: nihil siquidem est in humana natura, quod nos determinet vel inclinet ad significandam rem per hanc locutionem seu vocem potius quam per illam.

3.º *Utilitas et necessitas sermonis* (necesidad del lenguaje tomado por la expresion de las ideas, pensamientos y voliciones por medio de palabras) apparet et constat 1.º quia homines ex sua ipsa natura destinati sunt ad constituendam societatem non pure naturalem, temporariam et transeuntem, prout in brutis existit, sed intellectualem etiam, moralem et politicam; quæ profecto societatis genera absque sermone et locutione nec concipi quidem vix possunt.

2.º Quia memoria, sine qua homo in societate congrue vivere nequit, ex sermone et vocibus quibus exprimitur fere integra pendet; verba enim seu vocabula, sunt quasi notæ et characteres quibus cogitationes et affectiones animo quasi figuntur et exarantur.

3.º Quia veritatis acquisitio, contemplatio, et evolutio, quæ maximam et propriam hominis qua talis perfectionem continent, plurimum ex sermone pendent et juvantur; nam dum intus in mente veritatem vestigamus et objecta meditatione agnoscimus aut dijudicamus, nobis simul et semper loquimur, quæ interna locutio vel nulla, vel saltem difficillima, confusa et imperfecta admodum foret, nisi sermonem præhaberemus quo utimur, ut nobiscum intus loquamur.

4.º Quia *sermo gestuum* (lenguaje de la naturaleza, lenguaje de accion) penitus iusuficiens est ad humanas cogitationes et affectiones complete exprimendas et significandas; tum quia gestus, presentia et sensibilia solum exprimunt; tum maxime quia gestus, singularibus aut concretis notionibus continentur et circumscribuntur: ast vero cogitationes, affectiones et ideæ quæ hominem maxime perficiunt et quibus maxime indiget in societate, illæ sunt quæ universales et abstractæ existunt. Quibus si addas, Deum, angelos, et alia objecta pure spiritualia, per sermonem gestuum congrua ratione exprimi ac representari minime posse, proculdubio persuasum habebis non solum infinitam intercedere distantiam inter sermonem verbi et gestus, sed homini prorsus necessarium esse sermone uti, ut humane ac socialiter vivere possit.

4.º Sermo gestuum, respectu individui prior est sermone orali; puer enim antequam loqui sciat, scit utique ploratu, gemitu, gestu, et motibus variis corporis, et proprias affectiones exprimere, et alienas percipere. At respectu spe-

ciei sive totius humanitatis, nihil est opus admittere sermonem naturalem gestuum, sermonem locutionis tempore præcessisse.

5.º Quinimmo, ut certum haberi debet, 1.º sermonem et locutionem, (el lenguaje, la palabra) ipsi humano generi coæva esse, nisi velimus concedere hominum genus mutismo absoluto quondam subjectum fuisse: 2.º ea non ab hominibus primitus et originarie adinventum, sed ab hominis Creatore accepta habere. Quod, ut cætera omittam, constat 1.º quia mutismi status, qui inventioni sermonis necessario præcessisset in opposita hypothesisi, cum natura hominis socialis pugnat, quippe homines convivere et societatem constituere nequeunt, si sermone privantur: 2.º quia etiam gratis admissa hac imperfecta et muta societate hominum, sermonis adinventio exigeret contractum quendam inter eos, quo de significatione hujus vel illius vocis invicem stipularentur; ast vero contractus sive stipulatio usum sermonis necessario præsupponit: 3.º quia sermonis adinventio opus est proculdubio maximæ sapientiæ, ac mentem exigit rerum scientia et cognitione pollentem; at homo qui sermonem ignorat vel mutismo subicitur, imperfectissimam tantum scientiam adsequi potest, ut ipsa experientia ostendit, tum in hominibus a natiuitate mutis, tum in nobis ipsis qui experimur mentem nostram per sermonem et usum locutionis, plurimum juvari ad veritatem et scientias acquirendas. Fatendum ergo sermonem non ab homine inventum, sed à Deo Creatore infusum primo homini, ex quo ad cæteros postea promanavit per traditionem; unde hac in re naturalis ratio apprime concordat Sacro Textui agenti: «Creavit ex ipso (primo homine) adjutorium simile sibi; consilium et linguam dedit illis.» (1).

(1) In nostro opere cui titulus *Filosofía Elemental*, sequens habetur adnotatio, quam hic transcribere liceat, pro pleniori hujus rei notitia:

Son notables las palabras de Humboldt sobre este punto: «El lenguaje no ha podido ser inventado sin un tipo preexistente en la inteligencia humana...»

«Mas bien que creer en una marcha uniforme y mecánica que le waya formando paulatinamente desde el principio mas grosero é

6.º Quamvis vero homo sermonem primævum nequeat fortasse adinvenire, vel saltem impotentia morali quodammodo laboret ad transeundum ex mutismo ad sermonem articulatum, postquam tamen semel hunc adsequitur et possidet, potest equidem ipsum non solum evolvere et perficere, verum alium quoque quasi de novo producere; qua ratione videmus idiomatica varia, alia ex aliis progigni, ac nova etiam temporis decursu efformari.

SCHOLIUM.

Non pauci ex his qui elapso sæculo ethnographiam coluerunt, ipsam narrationis mosaicæ adversari autumarunt, atque spiritu incredulitatis abrepti, statuere aggressi sunt primitivam et originariam pluralitatem sermonis. Ast vero, ex ipsius scientiæ progressu ac recentiorum ethnographorum investigationibus nunc constat: 1.º sermonem originarium humani generis, unicum fuisse: 2.º unicum hujus ac primævi sermonis divisionem ac pluralitatem, ex causa violenta et subitanea originem duxisse: quæ duo facta Moysis narrationem

informe hasta llegar á la perfeccion, abrazaria la opinion de aquellos que refieren el origen de las lenguas á una revelacion inmediata de la Divinidad. Ellos por lo menos reconocen la chispa divina que brilla al través de todos los idiomas, aun los mas imperfectos y menos cultivados.» A conclusiones analogas conducen los trabajos de Klaproth, Remusat, Goulianoff, Merian, Adelung, Schlegel y de tantos otros distinguidos etnógrafos.

Hay mas todavia. De los trabajos literarios y de las investigaciones etnográficas realizadas por los escritores citados, resulta: 1.º que los cuatro mil dialectos ó idiomas que se conocen, pueden considerarse como filiaciones ó derivaciones de tres, ó á lo mas, cuatro lenguas primitivas y rigurosamente diversas, que son, la *indo-germánica*, que tambien suele llamarse *indo-europea*, la *semitica* y la *tártara*, á la cual algunos añaden la *malaya*: 2.º que la aparicion de estas tres ó cuatro lenguas primitivas tuvo lugar de una manera repentina; todo lo cual se halla en perfecto acuerdo con la narracion bíblica sobre la repentina confusion de lenguas realizada en la construccion de Babel, siendo probable que cada una de las tres grandes familias de Noé se separára de Babel, con una de las tres lenguas que se llaman primitivas. *Filosofía Elemental*, t. 1.º, pág. 21.

penitus confirmant (1). Duplex porro existit schola, sive systema ad investigandam affinitatem et connexionem sermonum vel linguarum, quorum primum affinitatem repetit ex analogia et similitudine vocabulorum, alterum ex forma et dispositione grammaticali. Unde prima schola, quam insectantur Klaproth, Balbi, Remusat, Adelung cum aliis, *lexicæ* nuncupari posset; secunda vero ejus præcipui propugnatores sunt, Humboldt et Schlegel, *grammaticæ* non incongrue dicitur (2).

ARTICULUS TERTIUS.

De signo scripto cogitationis.

«Si homo uteretur, ait D. Thomas (3), sola cognitione sensitiva, quæ respicit solum ac hic et nunc, (præsentia secundum locum et tempus) sufficeret sibi ad convivendum aliis vox significativa... Sed quia homo utitur etiam intellectuali cognitione, quæ abstrahit ab hic et nunc, consequitur ipsum sollicitudo non solum de præsentibus secundum locum et tempus, sed etiam de his quæ distant loco, et futura sunt tempore. Unde ut homo conceptiones suas etiam his, qui distant secundum locum, et his, qui venturi sunt in futuro tempore manifestet, necessarius fuit scripturæ usus.» Quæ præclara D. Thomæ verba necessitatem scripturæ et rationem sufficientem ipsius inventionis invictissimè demonstrant.

Vox scripta, est *signum cogitationis internæ scripturæ exaratum*. Scriptura autem defini potest: *Systema seu collectio signorum, quibus internæ cogitationes exterius exprimuntur*

(1) Vid. Wiseman, *Discur. sobre las relac. entre la Cienc. y la Relig.*, Disc. 2.º

(2) «In origine ignota linguarum exploranda, inquit Schlegel, ante omnia respici debet ratio grammatica; hæc enim a majoribus ad posteros propagatur, separari autem a lingua cui ingenita est nequit, aut seorsum populis ita tradit, ut verba linguæ vernaculæ retineant, formulas loquendi peregrinas admittant.»

(3) *Perih.*, lib. 1.º, lect. 2.º

fixa et permanenti ratione. In eo namque præsertim scriptura a sermone discriminatur, quod utatur signis ex se fixis et permanentibus, quibus hominis cogitationes et ideæ ad absentes et futuros pervenire possint.

Duplex scripturæ genus distinguere oportet: vel enim cogitationes et ideæ scripturâ immediate repræsentantur et significantur, ut si ad exprimendam hanc cogitationem: *canis currit*, depingatur canis figura quasi actu currens: vel scriptura non ipsas res cogitatas immediate exprimit et repræsentat, sed vocem vel nomen, quo res illæ ore exprimuntur, ut in allato exemplo, vox scripta *canis*, non ipsum animal immediate repræsentat, sed sonum articulatam quo animal illud significamus voce ore prolata. Prima itaque scriptura recte dicitur *ideographica*, quia ideas immediate respicit, quas signis scriptis figere conatur. Altera, *phonographica* jure nuncupatur, quatenus non res ipsas immediate repræsentat ac exprimit, sed vocis articulos sonos. Eadem porro quatenus syllabas complectitur, *syllabica*; quatenus non modo ex syllabis, sed ex litteris simul coalescit, *alphabetica* audit. Tertium scripturæ genus assignari potest, inter duo præfata quasi medium, quo, nimirum, homo utitur signis, vel arbitrariis quidem, sed quæ non sonos articulos sed res ipsas cogitatas repræsentent, vel partim arbitrariis partim naturalibus, ut dum ad fidelitatem significandam canem depingebant veteres. Scribendi genus hocce, *symbolicum* dici solet, ac etiam *hieroglyphicum*, quia eo maxime usi sunt Egyptii ad res sacras exprimendas; quandoquidem *hieroglyphicum*, si ad litteram accipiatur, idem sonat ac *sculptum in templo*. Atque hæc quidem symbolica scriptura, haberi potest quasi transitus quidam ab ideographica ad alphabeticam.

Scriptura alphabetica ideographicam maximopere superat ac excedit, 1.º quia posterior ista homines pictores exigit: 2.º quia ea sola objecta complectitur, quæ per visum percipiuntur: 3.º et præcipue quia infinita pene characterum multitudine indiget, cum pro qualibet re speciale signum eandem repræsentans habere debeat, ex quo profuit etiam maxima difficultas eandem addiscendi. Quæ eadem sere incommoda occurrunt etiam in scriptura symbolica, in qua præterea, sicut et in ideographica, obscura admodum et difficili ratione, relationes quædam, divisiones, et gradus quorundam

objectorum et idearum, exprimi ac significari possunt. Ast vero in alphabetica scriptura, objecta quæcumque et cuncta idearum genera, viginti quinque simplicibus characteribus facillimè et perspicua ratione exprimuntur.

Quod attinet alphabeti originem, nihil certi statui potest. Quidam a Deo ipso homini communicatum asserunt: alii ipsius adinventionem homini tribuunt, quod probabilius nobis videtur ex usu ipso scripturæ ideographicæ et symbolicæ, quæ sunt quasi gradus quidam, quibus ad alphabeticam successivè et paulatim devenisse videtur homo. Sed quisnam hic homo fuerit, aut in qua natione vel gente primum prodierit, penitus ignoratur; quamvis apud romanos et græcos invaluerit ea olim opinio, Phœnices, nimirum, alphabeticam invenisse scripturam, juxta illud Lucani: *Phœnices primi, famæ si creditur, ausi-Mansuram rudibus vocem signare figuris* (1).

SCHOLIUM.

Primum scripturæ genus, quo objecta ipsa pinguntur, scriptura *kiriologica* apud quosdam audit. Huic succedit ordine et perfectione *symbolica*, seu *hieroglyphica*. Tertia vero, sive alphabetica, dicitur etiam *phonetica*, quia sonos vocis exprimit. Alphabeta autem vetera a recentibus discriminantur præsertim quoad duo: 1.º quia illa a dextra ad sinistram procedebant: 2.º quia veterum illorum maxima pars, sexdecim tantum litteris, seu characteribus constabat, quibus temporis successione addiderunt Romani *g, h, f, q, v, x, y, z*. Quædam

(1) Nobiliores tamen nostræ ætatis ethnographi, existimant primam scripturæ alphabeticæ patriam non Ægyptum, nec Phœniciam, sed Assyriam fuisse, cui sententiæ favet Plinius scribens: «Litteras semper arbitror Assyrias fuisse.» Ut ut tamen se res habeat, id certum ac indubium apud omnes habetur, antiquissimam existere hujus scripturæ inventionem. Quod, ut alia omittam, vel ex eo solum constat quod ætate Cadmi, qui ex Phœnicia ad Græciam ipsam transvexit, vulgata jam ac usitata proculdubio erat apud Phœnices aliosque orientales populos, Cadmum porro Moysi coævum fuisse, constat. Ex quo colligitur, stulte admodum locutos fuisse quosdam, tum nostri, tum præcedentis sæculi incredulos homines, qui objiciebant Moysem auctorem Pentateuchi esse non posse, quia ejus ætate nondum adinventæ erat scriptura alphabetica.

tamen ex his, ut *v*, et *g*, in vetustissimis alphabetis Phœniciorum, Hebræorum, et Græcorum reperiuntur.

ARTICULUS QUARTUS.

De oratione et partibus quibus constat.

Definiri solet oratio generatim accepta: *Vox significativa cujus partes separatim aliquid significant*. Hæc porro significatio; vel est per modum affirmationis et negationis, ut, *Petrus legit*, vel solum ut dictio, ex. c. *Deus sapientissimus*. Vox dici potest: *Sonus articulatus ex intentione aliquid significandi prolatus*; quæ postrema verba excludunt voces, quæ vel mechanicè tantum, vel per animalia quædam temere effunduntur, ut accidit in loquela psittacorum. Atque perfectæ orationis species quinque assignantur: *indicativa seu enunciativa, deprecativa, imperativa, interrogativa, vocativa*; ex quibus sola *enunciativa*, utpote affirmationem vel negationem involvens, ad logici considerationem proprie spectat.

In oratione octo dictionum genera distinguunt grammatici: *nomen, pronomem, verbum, participium, adverbium, præpositionem, conjunctionem, et interjectionem*. Quoniam vero *nomen* et *verbum* præcipuas obtinent partes in oratione logica, ideo, cæteris omissis, aliqua breviter de hisce præhabimus. Itaque

1.º *Nomen*, quod hic præcipue spectamus prouti propositionis elementum esse potest, *terminus* a logicis dici consuevit, atque sub hoc respectu terminus

a) Alius est *positivus*, qui realitatem aliquam vel entitatem positivam significat, ut *anima rationalis*: alius *negativus*, qui realitatis absentiam vel privationem significat, ut *cæcitas*. Terminus positivus, si ipsi anteponatur particula negans, fit *infinitus*, ut *non lapis*. Sunt quidam termini qui voce positivi sunt, at negativi quoad rem significatam, ut *finitudo, mors*. Alii e contra, negativi voce, at positivi quoad sensum et rem significatam, ut *infinitum*.

b) Alia termini divisio est in *substantivum*, qui aliquid significat at modum per se existentis, ut *homo, color*; et *abjectivum*, qui aliquid significat quasi alteri rei adjacens et inhærens, ut *humanus, justus*. Ex quo colligitur hanc divisio-

nem non ex re significata, sed potius ex modo significandi originem ducere; quamvis namque res significata accidens sit ac proinde alteri inhæreat, terminus dicitur *substantivus*, si res illa ad modum rei per se existentis exprimitur et significatur.

c) Terminus substantivus dicitur *abstractus*, quando significat formam aliquam ab omni subjecto præcisam, ut *humanitas*; *concretus* vero, si formam simul cum subjecto, ut *homo*, *grammaticus*. Unde terminus *concretus*, præsertim dum forma significata est accidens, duas ideas complectitur, nempe, formam subjecto inhærentem quam primario exprimit, ut *grammaticam* in *grammatico*, et subjectum cui inest, id est, homo in exemplo allato.

d) Quilibet porro terminus vel *categorematicæ*, vel *syncategorematicæ*, vel mixte significat. Terminus, *categorematicus* est, qui ex se solo aliquid significat, ut *lapis*, *Deus*. *Syncategorematicus*, qui per se solum non significat, sed tantum junctus alteri, ut *omnis*, *aliquis*. *Mixtus*, qui utrumque complectitur, ut *nilil*, prout significat nullam rem.

e) Altera ex præcipuis termini divisionibus est qua dividitur in *communem*, qui de pluribus dicitur, ut *civitas homo*; et *singularem*, qui de una tantum re individuali dicitur, ut *Christus*, *Tagus*. Quæ singularitatis ratio termino advenire potest, vel ex impositione, ut *Aristoteles*; vel ex usu, ut *Apostolus* D. Paulum designat; sive ex aliquo adjuncto, ut *mater Christi*, significat Beatissimam Mariam.

f) Communis terminus, vel plura per modum collectionis significat, ut *civitas*, *senatus*, tuncque dicitur *collectivus*; vel ita plura significat ut de singulis dici possit, ut *homo*, de omnibus et singulis hominibus dici potest, tuncque dicitur *distributivus*. Hic autem

g) In univocum, æquivocum et analogum congrue subdividitur. *Univocus* est, qui aliquid significat quod eadem vel simili ratione pluribus congruit, ut *homo*. Quod si è contra res per nomen significata penitus diversa in diversis sit, terminus dicitur *æquivocus*, ut vox *taurus*, quæ et speciem quadrupedi, et signum zodiaci significat: unde univoca sunt *unius et vocis et sensus*, æquivoca vero, *unius vocis et diversi sensus*. Terminus *analogus* dicitur, qui plures res significat, quæ nec eadem omnino, nec penitus diversæ sunt, sed aliqua

proportionem conveniunt, ut *caput*, quatenus significare potest et determinatum humani corporis membrum, et eum qui reipublicæ vel communitati præest.

h) Dicuntur termini *incomplexi*, illi qui uno signo unam rem significant, ut *Aristoteles*; *complexi*, si plura signa aut plures res complectuntur: unde si plura adsint signa sed unam rem significant, ut *Sixtus Quintus*, dicuntur *complexi voce* at *incomplexi quoad rem*: si per unum signum plures res significant, ut *grammaticus*, dicuntur *incomplexi voce* sed *complexi quoad rem*, quod quidem cunctis concretis accidentalibus congruit. Quod si duabus aut pluribus vocibus, duas aut plures res significet, ut *Antonius grammaticus*, terminus erit *complexus voce et re*.

i) Notanda etiam divisio termini in *transcendentem* et *categoricum*. Prior significat aliquid quod per omnia rerum genera vagatur et in rebus omnibus invenitur, ut *ens*, *aliquid*, *verum*, quorum significatum de realitate quacumque enuntiari potest. At categoricus, aliquid significat quod non in omni ente, sed in quibusdam tantum reperitur, ut *lapis*, *animal*, *cætesum*, *mortale*.

2.º Circa verbi naturam, non parum inter se grammaticæ generalis tractatores digladiantur (1). Nobis, verbum definiri potest: *Vox quæ significat et exprimit rem quatenus vicibus temporis subjicitur, et quatenus aliquid de altero enunciat*. Siquidem verbum omne, præter ideam propriam quam directe exprimit. ex. gr. *mandatum* in verbo *jubeo*, tempus includit; non quidem nudè et secundum se, sed prout differentiis præsentis, præteriti, futuri, variisque horum gradibus subjicitur;

(1) Quidam namque verbi naturam in sola affirmatione et negatione constituunt. Alii ajunt in eo positam esse verbi essentiam, quod actionem vel passionem significet, quæ opinio plurimis e recentioribus arridet. Quam tamen opinionem alii ex ipsis recentioribus, ac inter alios noster Balmes oppugnat, tum quia verba aliqua nec actionem significant nec passionem, ut *dormit*, *quiescit*; tum quia per nomina possunt significari, ut *lectio*, *cursus*. Existimat autem Balmes, verbi essentiam in eo esse positam, quod significet rem aliquam quatenus varietati vel vicissitudinibus temporis subjicitur. Quæ sane opinio, ad eam quam Aristoteles et nobiliores Scholastici tuerentur satis accedit.

qua ex parte discriminatur a nominibus et adverbis, ut *annus, heri, cras*, quæ tempus quidem significant, sed non *ad-significant*, id est, non rem prout mutationibus temporis subiacet. Additur, *quatenus aliquid de alio enunciat*, 1.º quia verbum est id quo utimur ad iudicia exprimenda: 2.º quia omne verbum significat aliquid cum respectu ad aliud tamquam subjectum, sive id fiat per modum affirmationis aut negationis, ut contingit in indicativa oratione, sive id fiat per modum simplicis enuntiationis, ut in optativa et aliis contingit. Unde si *enunciat* accipiatur pro simplici enuntiatione, pertinet ad naturam vel essentiam verbi; si vero accipiatur pro enuntiatione iudicativa, erit potius quasi attributum primarium verbi, quatenus per *solum* verbum iudicia exprimuntur, non per *omne* verbum, ut patet in optativa oratione (1).

Inter verba præcipuum locum obtinet verbum *esse*; quandoquidem in quolibet alio verbo quasi involvitur et includitur: sic, dum dico: *Petrus studet*, idem logicè audit ac si dicerem: *Petrus est studens*. Unde ajunt quidam, ipsum non primitivum tantum, sed *unicum* existere verbum pro iudicio significando.

Porro verbum hujusmodi duplicem obtinet significationem, *absolutam*, nempe, et *relativam* seu *copulativam*; quarum prima ipsi congruit dum rei existentiam significat et exprimit, ut dum dicitur: *mundus est*, id est, *existit*, vel *est existens*. Secunda vero dum convenientiam prædicati cum subjecto significat, ut si dicam: *mundus est perfectus*.

SCHOLIUM.

Simplex enuntiation cum iudicio confundenda non est, quamvis, ut plurimum seu communiter, pro eodem sumantur, quia frequentissime iudicium includit et exprimit. Siquidem in rei veritate et in rigore logico, iudicium affirmat vel

(1) Exposita à nobis definitio nihil fere differt ab ea quam Aristoteles proponit, dum ait. «Verbum autem est quod adsignificat tempus, cujus nulla pars significat separatim, et est semper nota eorum quæ de altero prædicantur.» *Periherm.*, lib. 1.º lect. 4.º

negat rem inesse alteri: ex c. dum dico: *Petrus studet*, *enunciat*, exprimit studium per verbum significatum Petro revera inesse: ast vero dum dico: *utinam Petrus studeret*, studium per verbum significatum percipio et exprimo cum respectu ad Petrum tamquam ad subjectum, sed cui inesse opto, non *affirmo*: unde hic est simplex enuntiation non iudicium. Fortasse si Balmes cum recentioribus aliis, doctrinam hanc præ oculis habuissent, non adeo acriter circa naturam verbi decertassent.

CAPUT SECUNDUM.

DE PERCEPTIONE EJUSQUE ADJUNCTIS.

Res quælibet eatenus termino vocali vel scripto significatur exterius, quatenus interius in mente ex vi perceptionis existit representatio quædam intellectualis ejusdem; quæ quidem representatio dicitur a logicis terminus *mentalis*, et definitur: *Signum formale rei mente perceptæ*, quia rem representat per modum similitudinis, non connexionis. Nuncupari etiam solet *ratio rei, notitia, notio, conceptus, idea*, easdemque patitur divisiones ac terminus vocalis. Ast vero, quoniam Logicæ proprium est terminos, tum quatenus mentales, tum quatenus iudicii elementa constituunt considerare, cum simplex perceptio ad iudicium ex sua natura ordinetur, agere oportet 1.º de generali enumeratione terminorum *mentalium*, sive de *Categoriis*, quibus rerum notiones et conceptus ad quædam capita revocantur; 2.º de eisdem per respectum ad iudicium, id est, de *universalibus*, quibus continentur res quatenus *prædicabiles*; 3.º de proprietatibus generalibus terminorum; 4.º de iis quæ juvant rectam rerum perceptionem.

ARTICULUS PRIMUS.

De Categoriis.

Categoriæ, quæ et *prædicamenta* nuncupari solent, sunt, *suprema genera eorum, quæ de alio prædicari possunt*. Nimirum, res omnes quæ de aliquo propositionis subjecto prædi-

uari vel enuntiari possunt, collocantur et continentur sub aliqua notione universalissima quæ sit genus vel species, ut hæc prædicata, *magnus, parvus, numerus, octavus*, continentur sub generico conceptu quantitatis.

Decem categoriæ ab Aristotele assignantur: *Substantia, quantitas, relatio, qualitas, actio, passio, quando, ubi, situs, habitus*. Quorum aliquam notionem, ac præcipuas divisiones breviter trademus, in eorum præsertim gratiam, qui ad Theologiam intendunt: ea tamen omittam de quibus in Ontologia redibit sermo. Itaque

1.^o *Substantia:*

a) Dividitur in primam et secundam. *Prima*, dicitur ea quæ individua est et singularis, ut *Socrates*. *Secundæ*, dicuntur genera et species, ut *animal, homo*. Unde *secunda* substantia de prima tamquam subjecto prædicari potest, ut dum dicitur: *Socrates est homo*: de subjecto, inquam, logico, non physico, nam subjectum *physicum* est, cui res inest tamquam accidens, *homo* autem, vel humanitas Socrati non inest per modum accidentis.

b) Quædam proprietates, vel potius attributa logicalia substantiæ assignantur, quorum hæc sunt præcipua:

1.^a *Non inhærere subjecto.*

2.^a *Non habere contrarium proprie sumptum.* Contraria etenim ea proprie dicuntur, quæ ab eodem subjecto sese excludunt, ut amor et odium; substantia autem excludere nequit aliam a subjecto, cum subjecto non inhæreat.

3.^a *Esse subjectum contrariorum;* quæ proprietas ex præcedenti consequitur. Siquidem quia illa non inhæret, sed est subjectum, cui inhærent accidentia, oppositas modificationes recipere potest.

4.^a *Non suscipere magis et minus.* Eadem namque substantia intendi aut remitti nequit, qua talis, seu fieri *magis* vel *minus* substantia, secus ac quædam accidentia, quæ intendi ac remitti possunt, ut *amor, amicitia*.

c) Philosophorum quidam ajunt Deum ad categoriam substantiæ pertinere, alii vero inficiantur. Quæ disputatio nominis potius quam rei nobis videtur. Itaque, si nomen *substantia* accipiatur prout significat unam e categoriis, vel supremum genus complectens determinatam seriem generum et specierum, vel quod in idem redit, si accipiatur substantia

quatenus significat modum seu determinationem entis, Deus denominari non potest substantia, quia nec genus aut speciem substantiæ, nec modum aut determinationem essendi constituit, atque ut apposite ait D. Thomas, «Deus est principium totius esse.» Si vero præfatum nomen accipiatur, quoad id, quod perfectionis est in substantia, et quatenus significat ens, quod in se et per se existit, Deo perfectissime congruit ratio substantiæ, quia non solum inhærentiam subjectivam excludit, ut substantiæ creatæ, sed dependentiam quoque absolutam ab omni alio, atque in se continet et superexcedit omnes substantias, quia ut bene habet idem D. Thomas, «per hunc modum est mensura substantiarum omnium.»

2.^o *Quantitas:*

a) Ratione, experientia ac communi sensu testibus, quantitas est modus a corporea substantia inseparabilis, ratione cujus præfata substantia extenditur vel distribuitur in varias partes, sive habet 1.^o *pluralitatem partium*: 2.^o *extensionem localem*, seu naturalem exigentiam ad occupandum determinatum locum: 3.^o *impenetrabilitatem*, qua ita locum occupat, ut secum in eodem loco corpus aliud non patiat: 4.^o *divisibilitatem*, quatenus ratione quantitatis, substantia corporea in partes dividi potest: 5.^o *mensurabilitatem*, quatenus res *extensæ* mensurari possunt.

b) Quantitas vel est *permanens*, cujus partes simul existunt; vel *successiva*, cujus partes non simul, sed una post aliam existunt, ut dies constat horis, quæ sibi succedunt. *Permanens*, est vel *discreta*, cujus partes disjunctæ existunt, ut *numerus quinarius* hominum; vel *continua*, cujus partes invicem unitæ existunt: hæc subdividitur in *lineam*, quæ est extensio in longum, *superficiem*, quæ est extensio continua in longum et latum, et *corpus*, quod est extensio in longum, latum et profundum. Hæc porro notio congruit corpori *mathematico*, non corpori *physico*, quod, qua tale, non constituitur per extensionem nudam, ut vult Cartesius, sed est substantia materialis, quæ per extensionem modificatur.

c) Proprietates quantitatis, quatenus categoriam constituit sunt: 1.^a *Non habere contrarium proprie dictum;* nam contraria ea proprie dicuntur, quæ a subjecto se mutuò pellunt; ast vero quantitas ex seipsa non est activa, sed po-

tius iners. 2.^o *Non suscipere magis et minus*; una enim quantitas major aut minor aliâ dici quidem potest, at non proprie dicitur magis quantitas. 3.^o *Esse fundamentum æqualitatis et inæqualitatis.*

d) Præter quantitatem sensu proprio acceptam, de qua hucusque, est et alia quantitas, quæ *metaphorica* dicitur, et significare potest tum præstantiam naturæ, tum virtutem agendi, ut si dicatur quod virtus activa Dei est major virtute agendi creaturæ.

3.^o Relatio.

De relatione paulo fusius agemus, tum quia non amplius de ea occurret sermo, tum et præsertim, quia ejus notionem exactam habere plurimum interest his, qui ad Theologiam animum intendunt. Itaque,

a) *Relatio* in genere est, *ordo seu respectus unius rei ad aliam*. Unde omnis relatio complectitur, subjectum, fundamentum et terminum. *Subjectum* relationis, dicitur res quæ ad aliam refertur, ut in relatione paternitatis, homopater, est subjectum. *Fundamentum* est ratio propter quam una res aliam respicit, ut nativitas vel generatio in relatione paternitatis. *Terminus*, est id quod respicitur a subjecto, ut in paternitate *filius* est terminus, quia est id, ad quod terminatur paternitas: subjectum et terminus dici etiam solent *extrema* relationis.

b) Prædictus ordo vel respectus unius rei ad aliam, si inest rebus extra mentem positis, relationem *realem* constituit, si secus, relationem *rationis* seu logicam. Qua in re Stoici, Nominales cum aliis bene multis, nullam *realem* relationem in creaturis agnoscunt, merito refragantibus aliis, quibus assentimur. Unde sit

THESIS.

Existunt in rebus veræ relationes reales, ac proinde non omnes relationes, entia rationis sunt.

Prob. Relatio est realis, si existat ante actum intellectus eam percipientis, entia enim rationis ea sunt, quæ actum intellectus consequuntur: atqui ante omnem actum intellectus una res aliam respicit, seu ad aliam refertur: ergo.

Minor patet: siquidem ante omnem intellectus actum, pater vere et realiter est pater hujus hominis: similiter ante omnem intellectus actum, et nemine cogitante, columna est æqualis alteri, quandoquidem ad hoc, ut exurgat præfata æqualitas, sufficit quod utraque hanc determinatam quantitatem habeat.

c) Porro, realis relatio vel est *increata*, id est, *ordo vel respectus unius divinæ personæ ad aliam*, de qua Theologi; vel *creata*, quæ est *realis ordo vel respectus unius rei creatæ ad aliam, vel ad Creatorem*. Hanc dividebant Scholastici in relationem secundum *esse*, et relationem secundum *dici*. Prima est *purus respectus ad terminum*, ita ut in proprio conceptu nihil substantiale et absolutum exprimat, ut paternitas. Secunda est, quæ simul cum respectu ad aliud, exprimit rem absolutam cui inest, ut pars includit respectum ad totum, anima significat quidem rem absolutam, sed simul includit ordinem ad corpus, cui unitur. Relatio secundum *esse*, si sit realis, est relatio *prædicamentalis*, quæ definiri potest: *accidens reale consistens in respectu unius rei ad aliam*. Relatio vero secundum *dici*, aliis est *transcendentali*, quæ est *ordo seu respectus inclusus in ipsa rei natura et ab ea indistinctus*, ut anima ad corpus, intellectus ad objectum intelligibile, creatura ad Creatorem etc. ordinem transcendentalium dicunt. Dicitur *transcendentalis*, tum quia in omnibus fere rebus reperitur, tum quia ab ipsa re, quæ refertur, realiter non distinguitur, ita ut si accipiatur cum præcisione a subjecto vel re, quæ refertur, est relatio rationis; si autem accipiatur pro re *relata*, tunc non solum est realis, sed est ipsa essentia rei, et substantia est sæpenumero, ut pars, anima, creatura. Itaque relatio secundum *dici* et relatio *transcendentalis* solum differunt quoad modum significandi, quatenus posterior significat ordinem cum præcisione rei; prior vero ordinem quatenus identificatum cum natura ordinata. Relatio prædicamentalis spectari potest, et quatenus est accidens quoddam substantiam afficiens, ut reliqua accidentia; et quatenus est accidens *tale*, id est, cujus totum esse et propria natura est ad aliud se habere: unde duplicem conceptum apud philosophos et theologos involvit, nimirum, conceptum *in*, quatenus inest subjecto, et conceptum *ad*, quatenus in propria ratione constituitur, et ab aliis distin-

guitur accidentibus per hoc, quod est *ad aliud* referri et ordinari.

Hæc porro relatio a transcendentali quoad duo præsertim discriminatur: 1.º quia transcendentalis, rebus omnibus creatis congruit; nulla namque invenitur creata res, quæ aliquem respectum ad aliam in se non includat; at prædicamentalis in determinatis tantum rebus ex propria natura exigit existere: 2.º quia hæc postrema advenire potest rei præexistenti, ut paternitas homini, æqualitas columnæ: at transcendentalis, utpote in ipsa rei essentia inclusa, et ab eadem realiter non distincta, simul cum re incipit et desinit esse.

d) Ut relatio sit *prædicamentalis* requiritur, 1.º ut distinguatur a subjecto cui inest; nam si cum ipso identificetur, jam non quid relativum, sed quid absolutum erit, sive illud sit substantia, sive quantitas, sive aliud ex prædicamentis assignatis: 2.º ut sit relatio *realis* et non logica, seu *rationis*, categoriæ enim non rationis, sed realia entia habentur. Porro ut relatio sit realis, quatuor requiruntur conditiones: 1.º ut habeat subjectum reale: 2.º ut ejus causa, vel fundamentum sit etiam reale: 3.º ut habeat realem terminum realiter a fundamento et subjecto distinctum; sic in paternitate, homo pater, qui est subjectum, est quid reale; similiter generatio vel natiuitas, quæ sunt fundamentum; denique terminus sive homo-filius, et est quid reale, et a natiuitate et patre realiter distinguitur. Quod si aliqua ex assignatis conditionibus desit, relatio logica tantum seu rationis erit.

c) Sunt qui existiment relationem prædicamentalem a fundamento realiter non distingui, sed oppidò falluntur. Siquidem prædicamentalis et proprie accepta relatio, si categoriam constituit, et realis natura sit oportet; (in categoriis enim non entia rationis, sed entia realia collocantur) et aliquid in suo conceptu includere, quo a ceteris categoriis vel generibus entium distinguatur. Ast vero, si relatio a fundamento non distinguitur, *specialem* et determinatam categoriam jam nequit constituere; siquidem indubium est, fundamenta relationum ad alias categorias pertinere et reduci, v. g., generatio ad categoriam actionis, extensio, quæ est fundamentum æqualitatis, ad categoriam quantitatis, etc. Ergo vel concedendum relationem prædicamentalem a fun-

damento realiter distingui, vel inficiandum relationem constituere specialem entis categoriam, ac proinde ullas existere reales relationes, sed omnes erunt relationes rationis.

f) Quia res, quæ relationem *fundat*, est quasi ejus existentia ratio et causa, relationum pluralitas generica et diversitas, ex pluralitate et diversitate fundamentorum exurgunt. Fundamenta porro relationum tria communiter assignantur: 1.º *unitas et numerus*, sive convenientia et inconvenientia; sic ex unitate vel convenientia quoad substantiam exurgit relatio *identitatis*, ex convenientia quantitatis *æqualitas*, ex inconvenientia, *inæqualitas*: 2.º *actio et passio*, ut in relationibus causæ et effectus: 3.º *mensura et mensurabile*, quæ hic accipiuntur quatenus significant id, a quo res speciem desumit; quod enim dat vel determinat speciem rei, hujus naturam et esse quodammodo *mensurat*; sic domus determinationem formæ, et esse recipit ab idea exemplari, quam artifex mente gerit, quæ proinde domus quasi mensura existit.

Dividi quoque solet relatio in *mutuam* et *non mutuam*. Prima est cui altera respondet ex parte termini, ut paternitas, cui respondet filiato. Secunda, dum unum tantum extremum relatione afficitur quoad aliud; ut creatura ad Deum quidem ordinatur, sed Deus non ordinatur ad creaturas. Quod si *mutua* relatio, ejusdem sit rationis et nominis inter duo extrema, nuncupatur relatio *æquiparantiæ*, ut similitudo inter duos parietes albos; si secus, *disquiparantiæ*, ut relatio patris ad filium.

g) Quinque relationis proprietates assignari solent. 1.º *Non habere contrarium*: 2.º *Non suscipere magis et minus*, quandoquidem eadem relatio, qua relatio, intensionem aut remissionem non subiacet ex se, sed tantum ratione fundamenti, ut si albedo parietis augeatur: 3.º *Invicem converti*, pater enim est pater filii, et filius est filius patris: 4.º *Esse simul naturá*, quatenus, nempe, relatorum unum sine altero existere nequit, ut pater, qua pater, sine filio: 5.º *Esse simul cognitione*, quatenus unum relationis extremum, qua tale, non concipimus, nisi simul concipiendo aliud. Tres tamen postremæ proprietates soli relationi *mutuæ* congruere proprie videntur.

4.º *Qualitas*:

a) Sicut quantitas est modus, qui consequitur substan-

tiam ex parte materiæ, ita qualitas eam consequitur ex parte formæ, unde etiam in substantiis immaterialibus reperitur. Definiri potest qualitas cum D. Thoma: *accidens dispositivum substantiæ vel in seipsa vel quoad operationem*. Dicitur *accidens*, ut distinguatur a differentiis essentialibus, quæ rem etiam modificant vel determinant, ut *rationale* modificat ac determinat animal, determinatione tamen essentiali, non accidentali. Proprium vero est qualitatis, modificare vel determinare substantiam ut bene vel male se habeat, vel in seipsa, ut sanitas, pulchritudo; vel in ordine ad operationem, ut scientia, virtus, vitium, hominem perficiunt ac disponunt, ut bene vel male se habeat, congrue vel incongrue operetur.

b) Aristoteles qui de qualitate fusè disseruit, quatuor bimestres species qualitatis admisit, quarum prima est *habitus et dispositio*: 2.^a *naturalis potentia et impotentia*: 3.^a *passio et patibilis qualitas*: 4.^a *forma et figura*. Quid sibi voluerit Aristoteles hic per formam et figuram, non satis constat, nec inquirere libet. Quod attinet ad tertiam speciem, describi potest: *qualitas alterationem sensibilem causans vel ab ea causata*. Sic immutatio, quæ a melle in lingua, a calore in manu producitur, pallor vultus ex metu, etc. hanc speciem qualitatis constituunt, quæ, si citò transeat, ut pallor ex metu, *passio*; si vero permanenter adsit, ut pallor ex temperamento vel complexione, *patibilis qualitas* dicitur.

c) Majoris sane sunt momenti reliquæ species, quibus et nomen et natura qualitatis proprie congruunt. Habitus ergo est, *qualitas difficile mobilis determinans subjectum ad bene vel male se habendum*. Dispositio vero, *qualitas facile mobilis determinans subjectum ad bene vel male se habendum*. Nempe, videmus substantiam ex seipsa non includere ea, quibus bene vel male se habet, bene vel male operatur, ut homo necessario non habet nec salutem, nec ægritudinem, scientiam vel errorem, vitium vel virtutem. Hujusmodi ergo qualitates quæ homini advenientes, ipsum modificant, ut bene se habeat vel operetur, dicuntur *habitus*, si vehementius subjecto inhæreant, ut sanitas ex perfecta complexione, virtus moralis vel ex iteratis actibus, vel ex Dei infusione profluens. Si vero entitas illa imperfectè et quasi instabiliter subjecto inhæreat, dicitur *dispositio*, ut moralis virtus ex incepto exer-

citio profluens, scientia, quæ unam aut alteram minoris momenti veritatem complectitur (1).

Habitus et dispositiones ordinis operativi, seu quæ subjectum disponunt ad bene vel male operandum, supponunt potentias seu facultates operativas, ut scientia intellectum, virtus, et vitium voluntatem supponunt, hasque potentias determinant ut congrue vel incongrue operentur. Hujusmodi ergo facultates constituunt secundam qualitatis speciem; ita ut si facultas agendi sit vicens et fortis, nuncupetur *potentia*, si secus, *impotentia*, ut visus in sene, intellectus in hebetis ingenii homine.

d) Qualitati assignantur tres proprietates, quarum prima est, *habere contrarium*, quæ tamen non omnibus, sed aliquibus tantum congruit, præsertim habitibus et dispositionibus. Secunda, *suscipere magis et minus*, quæ aliquibus etiam tantum congruit; nam figura et potentiæ intensionem ac remissionem propriè non subjacent. Tertia, *fundare similitudinem et dissimilitudinem*.

5.^o Sex posteriores categoriæ:

a) *Actio* est, *actus secundus potentiæ activæ*. Et est vel *immanens*, si in ipso agente recipiatur, ut volitio, sensitio; vel *transiens*, si ad aliud subjectum, præsertim ad exteriorem materiam terminetur, ut percussio, scribere.

b) *Passio* prædicamentalis est *actus secundus potentiæ passivæ* vel receptivæ, ut percuti, comburi: unde *passio* definiiri etiam potest: *receptio actionis in patiente vel subjecto*.

c) *Ubi*, prout categoriam constituit, est *circumscriptio corporis per locum*. Dicitur *corporis circumscriptio*, ut ab hac categoria excludantur aliæ species *ubi*, ut *ubi per immensitatem*, quo Deus est ubique; *ubi spirituale*, quo spiritualis subs-

(1) Verba illa, *difficile mobilis* in definitione habitus posita, sumi possunt vel ex parte principiorum habitus, vel ex parte radicationis in subjecto per iterationem actuum. Si sumantur priori modo, omnis habitus disponit ad bene operandum, quia ea quæ ad male operandum substantiam disponunt, ut error et vitium, non innituntur principiis immobilibus et necessariis, sed mutabilibus et instabilibus. Si sumantur posteriori sensu, habitus dici queunt etiam illæ qualitates, quæ ad malum se habent, dum intensius subjecto inhærent.

tantia creata vel definitur alicui loco per operationem, vel est tota in toto, et tota in qualibet parte, ut rationalis anima in corpore, cui substantialiter unitur. Itaque *ubi circumscriptivum* præsefert commensurationem dimensionum locati cum loco. Ast *ubi spirituale*, quod etiam *definitivum* nuncupatur, præ se fert existentiam substantiæ spiritualis finitæ in determinatis rebus corporeis, ita ut simul non sit in aliis, nec *ubique* sicut Deus. Quod quidem contingere potest vel per *operationem*, ut in angelis, vel per *informationem*, ut in rationali anima respectu corporis humani.

d) *Situs* est, *dispositio partium corporis locati in loco*, quatenus, nempe, locati partes partibus loci varie respondere possunt; ut homo eundem retinens locum, potest stare, sedere, cubare.

e) *Quando est, modificatio seu determinatio accidentalis rei, quatenus a tempore pendet et mensuratur.*

f) *Habitus est modus in corpore resultant ex circumpositione vestium vel armorum.* Sustineri posset, duas postremas categorias, esse denominationes extrinsecas, ac proinde ex categoriarum numero expungendas esse (1).

(1) Præcipuas recentiorum sententias circa categorias sic exponit Caj. Sanseverinus: Kantius, qui primus recentium mentes philosophorum ad categoriarum tractationem revocavit, categorias docuit esse formas subjectivas, quibus *ratio pura* ad triplex genus idearum, nempe *Dei, mundi, et animæ* assurgit, quibusque intellectus mundum phænomenicum, sive sensilem sibi construit, cum mundus noumenicus, sive realis nos prorsus lateat. Herbartius eandem fere, ac Kantius, sententiam propugnavit.

Tennemannus vero, Hamiltonus, aliique cum Laurentio Valla, aliter ac Kantius, contenderunt categorias non aliud esse, quam suprema rerum principia; unde ipsis in una metaphysica, eorum sententia, locus dandus est.

Heghelius vero edixit categorias esse simul res, et ideas, sive resideas, propterea quod ipsæ non aliud sunt, quam diversæ determinationes *Ideæ-Entis*, et, quandoquidem nihil est præter *Ideam-Ens*, ejusque determinationes, universam logicam, quam a metaphysica non distinguebat, in unica tractatione categoriarum consistere contendit.

Saint-Hilaireus autem sententiam, quam ipse Stagiritæ tribuit, propugnans, tenet categorias non esse aliud, quam voces quasdam communes, quæ suprema genera rerum, sive supra prædicata sig-

6.º Postprædicamenta:

Ex collatione prædicamentorum sive categoriarum, notionem quædam in mente exurgunt, quarum ope frequenter utimur in veri investigatione. Quinque enumerari solent: *oppositio, prioritas, simultas, motus et modus habendi*; quæ, quia collationem rerum, sive categoriarum consequuntur, *postprædicamenta*, seu si mavis, *postcategoriæ* recte nuncupantur.

a) *Oppositio rerum* est, repugnantia determinata aliquorum. Dicitur *determinata*, ad excludendam oppositionem improprie acceptam vel *disparatam*, ut quæ intercedit inter hominem et equum. Quadrupliciter res invicem opponi queunt: 1.º *relativè*, ut pater et filius, et extrema relationis realis: 2.º *contrariè*, quod locum habet inter entitates reales ex propria natura ab eodem subjecto se excludentes, ut dulces et amarum, vitium et virtus: 3.º *privativè*, quatenus forma vel perfectio excludit carentiam ejusdem in subjecto capaci, ut visus et cæcitas in animali: *contradictoriè*, quod oppositionis genus inter rem et rei negationem reperitur, ut inter ens et non ens.

nificant, ipsasque diversos modos præ se ferre, secundum quos intellectus res considerat, non quatenus ad ipsum spectant, sed quatenus in se sunt. Quocirca contra recentes invehitur, qui categoriarum tractationem a logica exterminatam volunt, pugnatque, si de illis, prout res sunt, in metaphysica, certe, prout sunt voces, in Logica disputandum esse. E contrario, Car. Remusatius contendit Stagiritam, etsi voces suprema sermonis explicare videatur, re ipsa notionum recensionem instituisse, et de illarum vi objectiva in metaphysica tractasse; quapropter categorias voces, conceptiones, et res esse secundum Stagiritam sentit.

Giobertius cum Heghelio consensit categorias esse res, et notiones, sed eum deceptum esse dixit, quod illas ab actu creativo disjunct in principio pantheistico, scilicet in confusione *idealis*, et *realis* fundavit. Jamvero, categoriæ, ejus judicio, sunt res, quia revera Deus, qui est suprema categoria, sive *protocategoria*, categorias secundas quæ circa res contingentes versantur, in se complectitur, easque ex se educit non per sui ipsius evolutionem, uti Heghelio visum est, sed per actum creationis...

Rosminius categorias in *ontologicas, dialecticas et ideologicas* divisit, et Aristotelem, ejusque sive interpretes, sive adversarios reprehendit, quod alias ab aliis haud distinxerunt. *Philos. Christ. cum ant. et nova comparata*. T. 1.º, C. 1.º, art. 7.º

b) *Prioritas* septem modis accipi potest: 1.^o *secundum tempus*, ut Petrus est tempore prior filio, quem genuit: 2.^o *secundum naturam*, quæ etiam dicitur *a quo*, et *causalitatis*, quatenus omnis causa, si non semper tempore et duratione, naturæ tamen ordine prior est suo effectui: 3.^o *secundum rationem consequentiæ*, quando, nempe, unum infert aliud, ut homo animal: 4.^o *secundum ordinem*, ut in rhetorica oratione exordium prius est cæteris partibus: 5.^o *secundum dignitatem*, ut episcopus respectu diaconi, dux respectu militis: 6.^o *secundum generationem*, quatenus ex naturæ lege et conditione, vel una res aliam, vel ejusdem rei determinatus status alium præcedit; sic exercitium sensibilitatis prius est exercitio intellectus et voluntatis, et in eodem homine puer præcedit virum: 7.^o *secundum perfectionem*, juxta quem perfectiora imperfectioribus priora habentur, ut exercitium intellectus prius est perfectionis ordine, quam sensibilitatis, et vir prior puero: unde prioritas generationis attenditur ex processu imperfecti ad perfectum, prioritas vero perfectionis ex nobilitati rei per respectum ad aliam sibi aliquatenus subordinatam.

c) *Motus*, si latiori sensu sumatur, sex genera complectitur: 1.^o *generationem*, quæ est transitus de non esse ad esse substantiale, ut dum arbor, vel homo incipiunt esse: 2.^o *corruptionem*, quæ est mutatio generationi opposita: 3.^o *augmentationem*, a minori ad majorem extensionem: 4.^o *diminutionem*, quæ priori opponitur: 5.^o *alterationem*, qua res transit ab una qualitate ad aliam, ut ab errore ad scientiam: 6.^o *motum localem*, corporis de uno ad alium locum. Quæ innuere opus erat, quia eorum frequens mentio occurrit, in veterum et D. Thomæ scriptis etiam theologicis, ut saltem quid sibi velint hæc vocabula sciant, qui Theologiam postea ediscent.

d) *Modi habendi* in infinitum pene variantur. Præcipui sunt 1.^o per *inærentiam*, quo modo substantia habet accidentia: 2.^o per *continentiam*, quo modo vas habet aquam: 3.^o per *possessionem*, quo sensu homo habet agrum: 4.^o per *relationem*, quo sensu pater habet filium: 5.^o per *juxtapositionem*, vel contactum, ut homo habet vestem, vel ense. Hocce postprædicamentum potius ad grammaticam, quam ad logicam spectare videtur.

Simultatis natura et divisio, ex prioritate satis innotes-

cit, sicut et posterioritatis notio, quæ prioritati opponitur.

SCHOLIUM PRIMUM.

Qui relationum realium existentiam in creaturis inficiantur, ajuntque relationes cunctas esse meras denominationes extrinsecas, vel rationis entia, quæ consequuntur considerationem intellectus, latam viam aperiunt objectionibus hæreticorum Trinitatem catholicam præsertim impugnantium. Nescio plane quid hujusmodi philosophi responderent sabellianismi propugnatori, qui diceret: «Vobis fatentibus, pater et filius in humanis, qua tales, id est, quatenus relationibus paternitatis et filiationis affecti, per solam denominationem extrinsecam et mentis considerationem invicem distinguuntur: ergo similiter in divinis Pater et Filius realiter non distinguuntur ex paternitate et filiatione, quæ nihil aliud sunt apud vos, quam denominationes extrinsecæ intellectus cogitationem consequentes.» Profecto, si in humanis pater et filius, qua tales, realiter non distinguuntur, sed tantum ratione reliquorum accidentium, et quia substantia, vel natura, quæ est in patre est numerice distincta ab ea, quæ est in filio: ergo cum in divinis, nec ulla sint accidentia, nec ulla realis distinctio ex parte substantiæ vel naturæ, nullum caput superest, ex quo realis distinctio in Trinitate inveniatur. Si in creatis nulla existit realis relatio, cur eandem concedere oportet in divinis?

SCHOLIUM SECUNDUM.

Conveniunt philosophi, principium categoriarum esse unicum, nempe, *ens* vel *esse*. Ast vero *esse* quandoque veritatem enuntiationis tantum significat, ut dum dico: Petrus est sapiens; quandoque rei essentiam, quandoque vero existentiam actualem significat. Cum ergo categoriæ sint res ipsæ, vel essentiæ extra mentem existentes, plane conficitur, earum principium esse *ens*, quatenus significat essentiam actu existentem. Kant, apud quem categoriæ nihil aliud sunt quam formæ variæ judiciorum, eas consequenter derivat ab *esse*, quatenus continet universalem judicii formam, nempe, *verbum est*, quatenus veritatem compositionis significat. Ex

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN
BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

"ALFONSO REYES"

Apdo. 1625 MONTERREY, MEXICO

55080

quã Kantiana theoria sponte fluit idealismus; nam si categoriæ sunt meræ formæ subjective iudicii, suntque diversi modi *essendi*, quatenus esse hoc relationem tantum prædicati et subjecti exprimit, per eas nihil scire possumus de rebus vel naturis, quatenus realibus et extra mentem existentibus, sive, ut ipsius Kant verbis utamur, per categorias cognoscimus quidem mundum *phænomenicum*, sed minime *noumenicum*. Hegel, ut scopulum Kant in re hac vitaret, identificavit ens reale cum ideali, statuitque proinde categorias esse modos seu determinationes, quibus *Ens-Idea*, sive Ens Absolutum ut unicum, nempe, *Deus*, se ipsum evolvit, ponit, et determinat. Unde, idealismum Kant ut excluderet, pantheismum induxit (1).

ARTICULUS SECUNDUS.

De Universalibus.

§ I.

De universali in communi.

Universale, si vis nominis attendatur, est unum versus alia; si res significata, est unum respiciens multa, sive ea

(1) Agere hic solent aliqui de notionibus quibusdam, quibus categoriæ seu prædicamenta claudi possunt, quasque *anteprædicamenta* dicunt. Præcipua inter ea sunt, 1.° *univoca*, quorum nomen commune est et realitas per nomen significata simpliciter eadem, ut homo, canis, leo, univoca sunt respectu animalis: 2.° *equivoca*, quorum nomen est commune, et res significata simpliciter vel prorsus diversa: 3.° *analogæ*, quæ inter illa medium obtinent locum. Et nuncupantur *attributionis*, si agatur de rebus, quæ conveniunt ex parte nominis, sed differunt ex modo, quo rem significatam respiciunt; sic *sanum* dicitur de animali, de medicina, de colore; sed de animali ut subjecto, de medicina ut causa, de colore ut signo vel effectu. Quod si ratio per nomen significata in diversis est solum eadem ex proportione vel similitudine quadam, analogum *proportionalitatis* tunc dicitur. Analogorum præcipua fundamenta tria sunt: *relatio*, vel respectus plurium ad unum, ut patet in exemplo *sani*: *penuria vocabulorum simul cum rerum assimilatione*, ut *pes* dicitur de homine et infima parte montis: *venustas sermonis*, quæ idearum collatione et metaphoris inde exurgentibus perficitur.

respiciat ut causa, sive per modum representationis aut cognitionis, sive ut natura, quæ, quatenus *est in multis*, et *de multis potest prædicari*, ut natura humana, quæ multis inest individuis de quibus prædicatur, dicitur universalis in *essendo*. Atque hoc est de quo hic agitur.

THESIS 1.°

Dantur naturæ universales, quæ respondent vocibus et conceptibus universalibus nostri intellectus.

Prob. Universale est unum in multis: atqui natura, quæ voce universali significatur, verè est una in multis: ergo. Prob. min. Verè est in multis, quod verè affirmatur illis inesse: atqui cum veritate affirmatur naturam ipsam realem multis inesse: ergo. Prob. min. In his duabus propositionibus: *Petrus est homo: Paulus est homo*, aliquid unum, nempe, *homo* affirmatur de multis: atqui *est homo* in præfatis propositionibus, non significat vocem vel conceptionem mentis, falsum siquidem est, quod Petrus sit vos-homo, vel purus conceptus mentis: ergo significat et accipitur pro ipsa natura humana voce *homo* significata: ergo ipsa natura humana est una in multis, ac proinde universalis.

2.° Definitiones rerum, res ipsas, et non voces aut mentis internos conceptus referunt et respiciunt: atqui definitiones, sicut et objecta scientiarum non de singularibus, sed de universalibus sunt; nec enim cum triangulum ex. gr. definitio, aut puram vocem, aut mentis conceptum, aut triangulum singulare definitio: ergo.

Corollarium. Ergo rejiciendum Nominalium systema. Quandoquidem autumabant illi, universalis nihil esse aliud quam voces, quibus plura singularia simul et quasi collective significantur.

THESIS 2.°

Universalitas extra mentem non existit, sed consequitur actum intellectus.

Prob. 1.° pars. Omnis natura actu existens est singularis, existentia enim singularium est: atqui singulare opponitur universali: ergo universalitas non congruit naturæ, prout in seipsa a parte rei existit.

Prob. 2.^a pars. Natura quævis, vel spectatur prout in singularibus existit, vel *secundum se*, id est, quatenus complectitur prædicata essentialia et necessaria, ut *animal rationale, scientiæ capax*, etc. respectu hominis; vel prout per intellectum abstrahitur a singularibus conditionibus, quæ ipsam in singularibus dividunt ac multiplicant: atqui universalitas naturæ non congruit prout in singularibus, ut probatum est, nec etiam si spectetur *secundum se*: ergo solum intellectu. Prob. min. quoad secundam partem. Quod convenit naturæ secundum se, de ea prædicatur vel essentialiter vel saltem necessario, ut *rationale* essentialiter, adriativum vero tanquam attributum necessarium de homine prædicatur, ac proinde affirmari potest de omni eo, qui habet illam naturam, nam quod essentialiter aut necessario homini ex. gr. convenit, affirmari potest de omni homine: ergo si universalitas conveniret naturæ spectatæ *secundum se*, conveniret omni habenti illam naturam, sicque possemus dicere quod Petrus est essentialiter universalis, sicut possumus dicere, quod est essentialiter rationalis.

Corollarium. Ergo rejiciendum est Platonis systema, quo adstruebat naturas reales simul cum universalitate extra mentem existere. Natura enim quælibet per realem existentiam singularis fit.

Pro pleniori universalium notione.

Quæres 1.^o Quotuplex sit universale.

Resp. Duplex, metaphysicum et logicum. Universale metaphysicum est res seu natura, quatenus a singularibus per mentem abstrahitur. Ex hoc namque ipso quod mens relinquendo et non cogitando ea, quibus Petrus, Paulus, Joannes inter se differunt, naturam humanam tantum, in qua conveniunt cogitat, ex vi hujus modi cogitandi humanitatem, hæc una redditur, ac proinde universalis. Unde universale metaphysicum dici potest: *unum abstractum vel præcisum a multis*. At universale logicum, tunc proprie exurgit, quando natura a singularibus abstracta, concipitur ut capax multis inesse ac de illis prædicari; ut dum natura humana concipitur esse posse in multis individuis, de quibus proinde quasi inferioribus vel subjectis prædicationis enunciari potest, ut *homo* de Petro, Paulo, Joanne. Unde definiri solet: *unum aptum inesse multis ac de illis prædicari*.

Quæres 2.^o Quomodo efformetur universale?

Resp. Universale metaphysicum abstractione efformari, qua mens quasi removendo ea, in quibus plura differunt, id solum accipit vel cogitat, in quo conveniunt et assimilantur. Unde *fundamentum* universalis metaphysici est ipsa convenientia vel similitudo, quæ inter plura, ex quibus abstractio fit, intercedit. At universale logicum, præter abstractionem, requirit collationem quandam respectu inferiorum, de quibus prædicari potest. Unde universale logicum posterius est naturæ universali metaphysico; ex eo enim quod natura concipitur ut una, concipi potest cum aptitudine ad essendum in multis, ac de illis tanquam inferioribus prædicari. Itaque sicut rerum assimilatio est fundamentum universalis metaphysici, ita istud est quasi fundamentum proximum universalis logici.

Corollaria:

1.^m Ergo universale est concretum quoddam accidentale, in quo natura abstracta habet locum subjecti, et universalitas, rationem formæ.

2.^m Ergo universale constat duplici elemento, uno reali, nempe, natura ipsa, quæ est aliquid reale in rerum natura existens, et altero ideali sive rationali, quod est forma universalitatis, quæ naturæ reali additur per operationem intellectus.

3.^m Ergo universale logicum consistit et constituitur formaliter per relationem rationis. Siquidem respectus ille sive relatio quam universale logicum dicit ad inferiora, de quibus prædicari potest, non in rerum natura existit.

§ II.

De Universalibus specialim.

Ex dictis superiori paragrapho colligitur tot esse universalium logica, quot modis res aliqua concipi potest ut una et prædicabilis respectu aliorum, quæ concipiuntur ut ipsi subjecta et inferiora. Jam vero, quintuplici ratione id contingere potest. Nam quod est in multis, vel illis concipitur inesse ut quid essentialia, vel ut quid essentiali adjunctum. Si primum, vel 1.^o ut tota essentia eorum, quibus inest, et sic dicitur *species*, ut homo respectu Petri et Pauli: vel 2.^o ut

pars essentiae per quam res cum aliis convenit, et sic est *genus*, ut animal respectu hominis et equi: vel 3.^o ut pars essentiae per quam res ab aliis speciebus idem genus participantibus discernitur, et sic est *differentia*, ut rationale respectu hominis. Si vero agatur de re essentiae abijuncta, vel ipsi adjungitur necessario, et tunc dicitur *proprium*, ut admirativum vel capax scientiae respectu hominis: vel contingenter essentiae rei adjungitur, ut aegritudo respectu ejusdem. Ergo quinque assignari debent universalia logica, quae expriment modos, quibus unum de multis potest praedicari, nempe, *genus*, *species*, *differentia*, *proprium* et *accidens*. De quibus, ut aliquid sigillatim dicamus:

a) *Genus* dicitur: *unum aptum inesse nullis specie differentibus, ac de illis praedicari essentialiter incomplete*. Per priores particulas definitionis, genus convenit cum reliquis omnibus universalibus: at per $\tau\delta$ *specie differentibus* a specie et *differentia* discriminatur; per $\tau\delta$ *essentialiter*, a proprio et accidente, quae extra essentiam sunt; per $\tau\delta$ *incomplete*, a specie, quae totam essentiam rei exprimit.

Genus aliud dicitur *supremum*, quod nullum aliud supra se agnoscit, ut substantia; *infimum*, si nullum infra se habeat, ut animal; *medium*, si et supra et infra se aliud habeat, ut vivens, quod supra se habet substantiam, et infra animal. Quae divisionis ratio, proportionem servata, congruit etiam differentiae et speciei.

b) *Species* defini potest: *unum aptum inesse nullis numero differentibus, ac de illis praedicari essentialiter complete*. Dicitur *numero differentibus*, ut discernatur a genere; quamvis enim species, si sit suprema aut media, praedicari possit de pluribus specie differentibus, ut *animal*, quae est species viventis, de homine et leone, ut id ei non congruit quatenus *species*, sed potius quatenus genus quoddam est; quia species, qua talis, propriam universalitatem induit per respectum ad singularia, tanquam ad propria inferiora, et non ex eo quod sub universaliori natura continetur, sive, ut aiebant Scholastici, constituitur formaliter universalis per respectum *superioritatis ad individua*, non per *respectum subiectionis ad genus*. Homo ex. gr. comparari potest tum cum animali, cui subijtur, tanquam una ex speciebus sub eo contentis, tum cum individuis in quibus invenitur, et de quibus praedi-

cari potest: ratio ergo universalis logici, et denominatio *speciei*, homini congruit propter secundum respectum, non propter primum, per quem superiora tantum respicit, non inferiora, quibus inest, et de quibus potest praedicari.

Correlativum ergo speciei, qua talis, est individuum, quod defini solet: *Illud cujus proprietatum collectio, eadem in alio non reperitur*. Proprietates vero accidentales, quibus unum individuum ab alio discernitur, hisce versiculis continentur: *forma, figura, locus, tempus cum nomine, sanguis, patria sunt septem, quae non habet unus et alter*.

c) *Differentia* est. *Unum aptum inesse nullis, ac de illis praedicari essentialiter incomplete, sed per modum adjectivi*. Dicitur *essentialiter*, ut distiguatur a proprio et accidente. Dicitur *incomplete*, quia non exprimit totam essentiam individui, ut species. Additur *per modum adjectivi*, per quod a genere et specie discriminatur, quae substantive enunciantur, ut animal, homo; at *differentia* adjective, ut rationale. Cujus ratio est, quia concipitur ut quid determinans et contrahens genus, ac speciem qualificatam reddens.

Notandum hic, genus, speciem et differentiam, dum de inferiori praedicantur, convenire quoad rem significatam, solumque discriminari quoad modum significandi. Dum dico v. gr.: *Petrus est animal*: *Petrus est homo*: prima propositio eatenus est vera, quatenus $\tau\delta$ *animal* non solam animalitatem, sed rem, quae habet animalitatem significat, ita ut ejus sensus sit: «Petrus est res, quae habet animalitatem;» et sic in $\tau\delta$ *res quae*, confuse includitur et significatur homo et Petrus: atque hac ratione constituitur identitas praedicati cum subjecto, quae requiritur ad veritatem propositionis affirmativae. Cujus etiam signum est quod si $\tau\delta$ *animal*, ibi significaret tantum id, quod exprimit, seu solam animalitatem, propositio falsa evaderet, quandoquidem ejus sensus tunc esset: «Petrus est res, quae solam animalitatem habet.» Itaque in hisce universalibus aliud est id, quod significant, aliud, quod expriment.

d) Quadruplici ratione aliquid *proprium* nuncupari potest: 1.^o *quod convenit omni, sed non soli*, ut habere libertatem convenit omni homini, sed non soli: 2.^o *quod convenit soli, sed non omni*, ut esse medicum, soli homini, sed non omni congruit: 3.^o *quod convenit omni et soli, sed non semper*,

ut cibum sumere, omni et soli animali, sed non semper: 4.^o quod convenit et omni, et soli, et semper, ut esse admirationis capax respectu hominis.

Atque hoc postremo sensu accipitur *proprium*, prout unum ex universalibus constituit, et definiiri solet: *Unum aptum inesse multis, ac de illis prædicari in quale necessario*; hoc est, per modum rei necessario essentiam consequentis, ac ex principis ejusdem emanantis. Quæ consequutio seu emanatio, vel fit cum distinctione reali inter essentiam et proprietatem, ut potentia sensitivæ realiter ab animalis essentia distinguuntur; vel cum sola distinctione rationis, ut mortalitas, vel finitudo, a composito materiali realiter non distinguitur, quantumvis juxta nostrum concipiendi modum ipsum consequantur. Proprietas, quæ priori modo naturam sequitur, dicitur *physica* et *realis*, altera vero *attributalis* tantum vel *logica*.

e) *Accidens*, quatenus universale constituit, est: *Unum aptum inesse multis, ac de illis prædicari per modum adjuncti contingenter essentiam consequentis*. Sic cum dico: *Pertus est sapiens*, est prædicatio per modum accidentis logici, seu universalis; per modum *accidentis*, quia sapientia potest adesse et abesse, salva Petri essentia; per modum *universalis*, quia de pluribus potest prædicari.

SCHOLIUM PRIMUM.

Quia enuntiationis veritas esse rei consequitur, et ex eo pendet, universale, quod est *unum in multis*, de multis quoque enuntiaripotest: qua ratione *prædicabilitas* tanquam proprietas universalium habetur.

Æternitas etiam negativa, merito connumeratur inter proprietates universalium; naturæ namque universales, quæ tales, abstrahunt ab existentia, ac proinde ab omni temporis differentia et duratione; quod sufficit ad hoc quod res denominetur æterna *negative*: siquidem *positive* æterna res aliqua tunc dicitur, quando ejus existentia actualis omnes temporis differentias et durationem ambit, includit et superat, quod solius Dei proprium est. Unde si naturæ universales accipiantur pro earundem typis in mente divina existentibus, æternitatem etiam positivam sibi vendicant.

SCHOLIUM SECUNDUM.

Ex his, quæ hucusque exposita manent, facile perspicitur nos adhærere sententiæ eorum, qui Realismum moderatum tuerentur, qui a Nominalismo et Realismo absoluto æque recedentes, docent naturam, quæ universalis denominatur, in singularibus existere; universalitatem vero, seu, ut ait D. Thomas, *intentionem universalitatis*, non a parte rei, ut ajunt, nec in singularibus, sed in solo intellectu existere; ita tamen, ut ejusdem *reale fundamentum* in singularibus, seu rebus extra animam existentibus, inveniatur. Quod si quis existimet, nimium nos in universalibus exponendis immoratos esse, sciat rem hanc majoris momenti esse, quam vulgo existimetur; quandoquidem, sicut Realismus absolutus ad idealismum et pantheismum solet vergere, ita Nominalismus materialismo et sensualismo viam sternit. (1) Id, ut præmittamus systemata præfata nexum intimum habere cum aliis fundamentalibus totius philosophiæ problematibus, maxime vero cum eo, quod ad naturam et originem idearum refertur.

(1) Apposite ad rem Rosmini, cujus verba ex gallico sermone ad hispanum vertere placet. «Desde el momento que se supone..... que las cualidades ó esencias consideradas fuera de los individuos, no son mas que vanas palabras, como pretende Stewart, se rechazan y destruyen, sin quererlo, todas las artes y ciencias..... El hombre racional de estos filósofos, no poseería mas que la pobre reminiscencia de las cosas que ha visto..... El nominalismo moderno toma su origen del materialismo. Los *nominales* han sido siempre materialistas generalmente hablando. Hobbes sostuvo con ardor el nominalismo. Despues de Hobbes, los que con mayor furor negaron la existencia de las ideas abstractas, son La-Metrie, Helvetius y el autor del *Sistema de la naturaleza*. ... No concedais al hombre mas que la facultad de percibir los individuos sensibles, y no le quedan mas que los sentidos puesto que los sentidos son los que presiden á la perfeccion de los individuos: desde este instante la razon no existe. Cualquiera que sea el principio de los sentidos corporales, preciso será en todo caso que deje de existir al disolverse el órgano material: de aqui *el unus est intentus hominis et jumtorum.*» *Nouvel Essai sur l'orig. des id.* Sect. 3.^a cap. 4, art. 48.

ARTICULUS TERTIUS.

De proprietatibus terminorum.

Quinque proprietates terminorum assignari solent, nimirum: *suppositio, appellatio, ampliatio, restrictio, alienatio*. Sed quoniam postrema ad rhetores potius quam ad logicos spectant, suppositionem, quæ est *positio termini pro aliquo de quo verificatur*, et appellationem, quæ dici potest, *sensus vel modus quo unus terminus alium afficit*, breviter tantum expendemus. Itaque

1.^o *Suppositio.*

a) Alia est *materialis*, quæ est positio termini loco suppositus, ut si dicam: *amo, est verbum*; alia *formalis*, quando terminus ponitur ad rem significandam, ut *homo est creatura*, homo ponitur pro ipsa natura humana. Quod si in propositione utamur termino, cui nihil in rerum natura respondet, ut *centaurus*, dicitur de *subjecto non supponente*.

b) Suppositio formalis potest esse, vel *simplex*, quando terminus ponitur pro significato immediato; vel *realis*, (quæ etiam *personalis* et *absoluta* dicitur,) quando terminus significatum tam immediatum quam mediatum complectitur. Sic in hoc termino *album*, si sumatur tantum pro ipsius significato immediato, ut in hac propositione *album est accidens*, *album* habet suppositionem simplicem, sed si dicam *album est quid creatum*, tum habet suppositionem realem, quia prædicatum de eo verificatur, tam ex parte albedinis, quæ est ejus immediatum significatum, quam ex parte subjecti, quod mediate ibi significatur.

c) Dividitur etiam suppositio in *collectivam*, quæ est positio termini communis pro significatis conjunctim sumptis, ut in hac propositione: *apostoli sunt duodecim*: *distributam*, quæ est positio termini communis pro omnibus et singulis significatis, ut in hac: *anima rationalis est immortalis*: et *disjunctivam*, quæ est positio termini communis pro aliquibus ejus significatis, ut in hac: *quidam homines sunt justi*. Distributiva, si non ad omnia et singula individua, sed ad genera, vel species descendat, ut dum dicitur, *omne animal fuit in arca Noe*, nuncupatur *incompleta*. Similiter disjunctiva,

si aliqua significata termini communis *indeterminate* significet, dicitur *confusa*: si *determinate*, tunc dicitur *disjunctiva determinata*, ut in hac: *quidam homines crucifixerunt Christum*.

d) Ad discernendam terminorum suppositionem, quasdam regulas logici afferunt, quarum præcipuæ hæ sunt:

1.^o *Si terminus afficitur signo universali, supponit distributive vel collective juxta exigentiam alterius, cui adjungitur. Signa hic dicuntur termini syncategorematici, ut omnis, nullus, aliquis, quidam.*

2.^o *Si terminus afficitur signo particulari, disjunctivè supponit, sed confuse aut determinate juxta quod alter exigit. In hac propositione: aliqui equi sunt necessarii ad trahendam rhedam, suppositio *equi* est confusa, quia non designantur vel determinantur equi necessarii. In hac vero: aliqui equi fuerunt in arca Noe, ejusdem suppositio est determinata.*

3.^o *In propositione affirmativa, prædicatum ex vi propositionis supponit disjunctive, quamvis sit terminus communis; at in negativa, supponit semper distributive complete. Hinc, ut vera sit hæc propositio, homo est animal, sufficit quod homo sit aliquid ex animalibus: at, ut vera sit hæc: homo non est lapis, requiritur quod excludantur omnes lapidis species et individua.*

2.^o *Appellatio.*

a) Dicitur *materialis*, quando prædicatum cadit supra significatum materiale subjecti: *formalis* vero si afficiat subjectum quoad ejus formale significatum. Porro *materiale* significatum in termino concreto est subjectum, quod habet formam; *formale* autem est ipsa forma, ut in *medicus*, medicina dicitur significatum formale, homo vero, qui habet medicinæ scientiam, significatum materiale. Hinc quando dico, *medicus cantat*, appellatio est *materialis*, quia cantare de medico verificatur non ratione medicinæ, sed ratione subjecti. Ex opposito, appellatio erit *formalis*, si dicam: *medicus ægritudinem expellit*.

b) Regulæ majoris momenti pro appellatione discernenda sunt duæ: 1.^o *In propositione, cujus subjectum est terminus concretus, appellatio est materialis, in rigore logico: 2.^o Numeralia primitiva nominibus substantivis applicata, appellantur tam formaliter quam materialiter; applicata vero nominibus abjektivis, appellantur solum materialiter.*

ARTICULUS QUARTUS.

De recta perceptione.

§ I.

Leges generales rectæ perceptionis.

Prima ac fundamentalis conditio rectæ perceptionis ea est, ut perceptio naturæ rei percipiendæ consentanea sit. Unde si agatur de natura, quæ a parte rei existit, v. gr. de luna, ejus perceptio tunc erit recta, si eam percipio prout in seipsa et in rerum natura existit: si vero agatur de re prout possibili, ejus perceptio erit recta, si omnia ea dignoscantur, quæ rei essentiam ingrediuntur et constituunt.

2.º *Attentio objecto percipiendo alte defigatur.* Cum enim attentio quasi concentratio quædam sit virium mentis, quo altius subjecto infigitur, objectum magis penetratur. Hæc porro attentionis vis maxime augetur: 1.º si reliqua objecta, quantum fas est, semoveantur; siquidem pluribus intentus minor est ad singula sensus: 2.º Si animo pacato rem contemplerur, nam dum sensationibus, aut passionibus vehementius afficimur, attentio purè intellectualis vigere nequit: 3.º Si id, quod contemplatur ac percipere studet, sibi homo proponat tanquam rem magni momenti, honoris aut utilitatis.

3.º *Si objecti percipiendi notionem ex aliis accepimus, verba, quibus significatur, accurate sunt perpendenda.* Sæpe enim vocabulorum, quibus objecta exprimuntur, sensum determinando, et cum aliis vocabulis conferendo, pleniorum, et magis distinctam rei cognitionem adsequimur.

4.º *Si de objecto composito agitur, partes singule tum in seipsis, tum per respectum ad totum quod componunt, inspiciendæ sunt atque ad examen revocandæ.* Ratio prioris partis regulæ est, quia ea est humanæ mentis conditio, ut plura uno intuitu distinctè percipere nequeat. Ratio vero posterioris, quia si partes vel elementa rei seorsim considerentur, nullo habito respectu vel ad reliqua elementa, vel ad totum ex iisdem exurgens, perceptio inexacta et incompleta facile evadit.

5.º *Intellectualis perceptio juvanda est per eas facultates, quæ cum objecto percipiendo affinitatem habent.* Unde si agatur de objecto sensibili, sensus adhibendi sunt; si de rebus ad humaniores litteras spectantibus, congrua imaginationis applicatio. Cavendum tamen ab illusionibus, tum sensuum, tum imaginationis, sicut et ab illecebris passionum.

§ II.

De legibus specialibus rectæ perceptionis.

Ex nunc puncte dictis colligere fas est, præter attentionem, maxime conferre ad recte percipiendum, abstractionem, divisionem et definitionem, de quibus proinde sigillatim aliquid dicendum.

1.º *Abstractio.*

a) Quoniam, ut scite habet D. Tomas, (1) «nisi cognoscantur distincte principia, quibus aliquid constat, non potest haberi distincta ejus cognitio» ad adæquatam et distinctam rei notitiam comparandam, maximi momenti proculdubio est abstractio, quæ mens unum sine alio in objecto considerat. Qua in re animadvertere oportet: 1.º omnem cognoscendi facultatem in homine ex sua ipsa natura abstractivam esse, seu præcisivam, ut videre licet in ipsis sensibus; quamvis enim in lapide color cum duritie conjungatur, visus colorem absque duritia percipit: 2.º abstractionem non implicare separationem, nec etiam realem distinctionem ex parte objecti; potest namque intellectus varia attributa et varios aspectus in una et eadem re considerare seorsum, ut in anima rationali, simplicitatem, intellectualitatem, et immortalitatem, quamvis a parte rei non distinguantur.

b) Dividi potest abstractio in *spontaneam*, qua intellectus quasi ex naturæ instinctu pergit ex consideratione unius elementi, vel attributi ad aliud: et *voluntariam*, seu *reflexam*, qua ex præconcepta idea, et libera voluntatis determinatione in re aliqua singula elementa inspicere hoc vel illo ordine

(1) 1.º P. q. 83, art. 1.º

studemus. Hæc divisio abstractioni congruit ex parte originis.

c) Ex parte vero *modi*, abstractio vel est *simplex*, vel *composita*. Prima ea dicitur, qua unum quidem sino alio, cui in objeto jungitur, consideramus, sed ad modum simplicis apprehensionis, nihil iudicando de ipsius distinctione a cæteris. Quod si abstractio ita fiat, ut simul iudicetur rem, quæ sub abstractione inspicitur distingui, vel identificari cum alia ejusdem objecti, merito dicitur composita. Si in homine considero *rationem*, nihil iudicando circa ejus distinctionem a voluntate, erit abstractio *simplex*; si secus, erit *composita*. Cum ergo *veritas* et *falsitas* non nisi in iudicio reperiantur, ut postea ostendemus, abstractio *simplex* falsitati non subest, unde illud tritum apud scholasticos: *abstractum non est mendacium*.

d) Si spectetur ex parte *objecti*, abstractio congrue dicitur in abstractionem *formæ a materia*, *universalis a particulari*, *attribuit ab attributo*. Prima locum habet dum consideramus formam sine subjecto, cui inest, sive sit forma *accidentalis*, ut grammatica respectu subjecti; sive *substantialis*, quatenus consideratur, nihil considerando de supposito, ut dum considero *humanitatem* sine consideratione individui, quod eam habet. Abstractio *universalis a particulari*, contingit, ut vox ipsa inquit, dum conceptus universalior ab inferiori seu minus *universali* præscinditur, ut dum notio *viventis* vel *substantiæ* abstrahitur a notione *hominis*, vel *Petri*; quæ proinde varios subit gradus juxta varietatem conceptuum *universalium*. Cum aliquod subjecti attributum ab alio mente secernimus, sit abstractio *attributi ab attributo*, ut dum in Deo *simplicitatem*, *infinitudinem*, *æternitatem* seorsum consideramus, quamvis in re unum idemque sint. Quod si hujus abstractionis fundamentum in objecto ipso inveniat, ita ut unus conceptus alium minime includat, ut in homine *animalitas* respectu *rationalitatis* dici tunc solet *præcisio objectiva*. Si vero potius ex parte ipsius actus intellectus se habeat, et unus conceptus alium implicite includat, ut unum, et verum respectu entis, tunc dicitur *præcisio formalis*, sive per modum *expliciti ei impliciti*.

2.º *Definitio*.

a) Vel est *nominalis* vel *realis*. Prima est, *oratio qua decla-*

ratur significatio nominis. Secunda est, *oratio explicans naturam rei per nomen designatæ*.

b) *Definitio nominalis* triplici ratione peragi potest: 1.º quatenus nominis significatio ex ethymologia determinatur, ut si dicam: *providus, est qui procul videt*; 2.º quatenus nominis significatio declaratur ex communi hominum sensu et acceptione, ut si dicam: *Deus, est eus supremum quod sit omnium causa*; 3.º quatenus vos quæ plures et diversos patitur sensus apud homines, ad unum illorum determinatur, ut si dicam: «nōmine *naturæ*, intelligo seriem, seu complexum omnium causarum et rerum creatarum,» ubi vox *natura* circumscribitur uni ex pluribus significationibus, quibus communiter gaudet.

c) *Definitio realis*, si rem explicat per principia ipsius constitutiva, dicitur *essentiatis*; si secus, *descriptiva*. Quod si prior rem explicat per principia, quæ rei naturam physice constituunt, ut dum dico: «homo est substantia composita ex corpore organizato et anima rationali,» nuncupatur *physica*: si id fiat per principia metaphysica, ut *animal rationale* respectu hominis, nuncupatur *metaphysica* aut *logica*. Porro, definitiones vere *essentiales* paucissimæ sunt, quoniam rerum intimam *essentiam* raro penetramus. *Definitio descriptiva*, dicitur *propria*, si rem explicat per proprietates seu attributa, quæ rem necessario comitantur, ut in hac: homo est animal societatis politicae, scientiæ et admirationis capax: dicitur *causalis*, si rem explicat per causas efficientes vel finales, ut in hac: homo est *ens ad cognitionem veri et beatitudinem sempiternam in Deo consequendam, destinatum*: si denique rem explicat per adjuncta quædam quæ contingenter ipsi insunt, dicitur *accidentalis*; unde ista, ut plurimum, in singularibus tantum locum habet.

d) *Regulæ definitionis* quatuor assignantur:

1.º *Definitio debet esse clarior definito*; alioquin rem definitam non manifestaret. Itaque pro definitione nominali, notiora vocabula; pro reali, notiores conceptus adhibere oportet. Peccant igitur contra hanc regulam, qui idem per idem equivalenter declarant, ut si dicam: *incorruptibile est, quod corrumpi non potest*.

2.º *Omni et soli definito conveniat*. *Definitio enim cum re definita identificari seu converti debet*: hinc est, quod pecca-

rent hæc hominis definitiones: *substantia vivens: animal rationale virtute præditum*: prima siquidem convenit omni, sed non soli homini; altera vero, soli, sed non omni.

3.^o *Constare debet genere proximo et ultima differentia.* His enim quasi terminis circumscribitur rei essentia, unde proprie solum in definitione essentiali locum habet. Attamen etiam in descriptivis, quantum fieri potest, servanda est, quatenus nempe, ea adjuncta et causæ asserantur, quæ naturæ definiendæ quasi proximiora habeantur.

4.^o *Nec superabundans sit, nec deficiens.* Superabundaret hæc hominis definitio: *substantia vivens, sentiens et rationalis*; vita namque in sensu aperte implicatur.

5.^o *Divisio.*

a) Cum divisio nihil aliud sit quam *oratio distribuens totum in partes*, tot sunt divisionis genera, quot modis partes totum aliquod respicere possunt. Atque hinc

b) Triplex divisionis genus exurgit: *actuale, potentiale, accidentale*. Divisio actualis est, qua totum distribuitur in partes, quibus actu constat. Quod si hujusmodi partes realiter inter se distinguantur, ut corpus et anima in homine, erit *actualis physica*; si sola ratione, ut animalitas et rationalitas in eodem, nuncupatur *actualis metaphysica*. Potentialis est, qua *natura universalis distribuitur in inferiora, quæ sub ea continentur*. Quælibet namque natura universalis, quæ talis, ex. gr. *animal*, quasi potentia et virtute continet ea, de quibus prædicari potest, ut hominem, leonem, equum, quæ proinde sunt veluti ipsius partes. Dicitur *potentialis*, quia partes dividentes non actu sed potentia in, vel potius sub toto continentur. Quandoque dicitur *logica*, quia universale logicum spectat. Accidentalis est, qua vel subjectum distribuitur per respectum ad accidentia, ut homo in album et nigrum; vel accidens per respectum ad subjecta quibus inesse potest, ut album, in nivem, et lac. Unde hujusmodi divisionis genus minus proprium et accuratum existit.

c) Præcipuæ divisionis regule ad quatuor revocantur:

1.^o *Divisum sit majus qualibet parte dividente.*

2.^o *Partes dividentes simul sumptæ æquare debent totum divisum.* Si dicam: «substantia aut est materialis aut sensitiva, aut celestis,» incongrua erit divisio, quia prætermittit intellectualem, nec proinde adæquat divisum: congrua

vero hæc: «substantia vel est materialis vel spiritualis.»

3.^o *Pars una alteram non contineat*, unde incongrua erit divisio terræ in Europam, Asiam, Africam, Americam, Oceaniam, et Hispaniam, quæ in Europa præcontinetur.

4.^o *Divisio brevis sit, juxta naturam tamen subjecti divisi, et finis qui quæritur.* Ratio primæ partis est, quia, si divisio nimia sit et ad minutissima descendat, confusionem generat. Ratio secundæ partis est, quia divisio magis vel minus protrahi debet juxta rei divise naturam, ac maximè ex scopo qui in divisione quæritur; nam si humanum corpus divido pro anatomia edocenda, non præcipuas tantum partes, sed minutiores enumerare oportebit.

SCHOLIUM.

D. Thomas meminit frequenter *totius potestativi*, quod consistit in virtute seu vi agendi, quæ competit alicui naturæ, ut si vis activa hominis dividatur in vegetativam, sensitivam et volitivam; quæ proinde nuncupari posset *divisio potestativa vel virtualis* hominis.

CAPUT TERTIUM.

DE JUDITIO ET PROPOSITIONE.

Judicium non secus ac simplex perceptio spectari potest, et intra mentem, tuncque retinet *judicii* nomen; et extra mentem, quatenus verbis exterius manifestatur, tuncque dicitur *propositio*, quæ proinde nihil aliud est quam expressio verbalis judicii. Itaque agere oportet: 1.^o de judicio: 2.^o de propositione: 3.^o de ejus proprietatibus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Judicio.

Quæ Logicæ tyro de judicio in seipso spectato scire debet, paucis his continentur.

1.^o *Judicium est actus intellectus quo unum de alio affirmat aut negat.* Unde ad judicium tria concurrunt, termini

sen conceptus, qui inter se conferuntur, horum collatio, et affirmatio aut negatio unius de alio, quod formaliter iudicandi actum constituit. A Scholasticis et D. Thoma nuncupatur frequenter, *compositio* et *divisio*.

2.^o Ex his patet, iudicium esse actum verum et positivum intellectus, et non meram acquiescentiam mentis percipientis relationem inter duas aut plures ideas, sicuti Malebranche autumat; aliud namque est percipere relationem inter aliqua, aliud affirmare vel negare unum esse aliud.

3.^o Fundamentalis regula pro rectitudine iudicii interni hæc est: «Identitas extremorum nunquam affirmanda est aut neganda, nisi quatenus adesse vel abesse percipitur.» Itaque iudicium, seu ratio affirmationis et negationis, commensurationem habere debent cum perspicuitate et evidentia, quæ perceptionem identitatis, aut repugnantiam extremorum comitantur. Hinc est, quod si identitas clare et evidenter percipitur, certo iudicamus; si minus clare ac distincte, probabiliter tantum. Quapropter regulæ recti iudicii, nihil aliud sunt quam applicationes hujus fundamentalis præcepti.

4.^o Iudicium est quasi præcipuus et fundamentalis intellectus nostri actus, quo veritatem adsequitur; simplex etenim perceptio ad iudicium tendit et natura sua ordinatur; ratiocinium item quadantenus ad iudicium revocatur, quatenus et quidam complexus iudiciorum. Veritas ita arcte cum iudicio nequit, ubi evidentia immediata adest, ut etiamsi velit, abstinere nequeat ab assensu vel dissensu, ut contingit in primis principiis.

Corollarium. Ergo oppido falluntur quidam, qui cum Lugdunensibus ajunt iudicium esse actum voluntatis et non intellectus. Verum enim ad intellectum spectat, et iudicium non tantum veritatem respicit, sed præcipuus est actus pro veri cognitione.

ARTICULUS SECUNDUS.

De propositionis natura et divisione.

Propositio est oratio unum de alio affirmans aut negans. Ex quo colligitur propositionem constare duobus saltem elementis, et copula illos conjungente. Sunt autem illa elemen-

menta res de qua aliquid enunciat, quæ nuncupatur *subjectum*, et illud quod de altero enunciat, quodque *prædicatum* appellatur. Porro prædicatum quandoque verbo continetur vel includitur, ut in hæc: *Petrus currit*, ubi *currit*, idem significat ac *est currens*.

Propositio spectari potest: 1.^o ex parte *materiæ*, quæ est modus, quo prædicatum respicit subjectum; 2.^o ex parte *formæ*, quæ copulam respicit; 3.^o ex parte *quantitatis*, quæ subjecto continetur; 4.^o ex parte *qualitatis*, quæ conformitatem et difformitatem cum re respicit; unde ex hoc capite in *veram* et *falsam* tantum dividitur.

Igitur ratione *materiæ* dividitur in *necessariam*, cujus prædicatum ita convenit vel repugnat subjecto, ut ipsi nequeat non convenire vel repugnare, ut *homo est rationalis: contingentem*, cujus prædicatum convenit quidem, sed potest non convenire, ut *homo est justus: possibilem*, cujus prædicatum de facto non convenit, sed nec repugnat *essentiæ* subjecti, ut *omnis homo est albus: impossibilem*, cujus prædicatum nequit subjecto convenire, ut *homo est lapis*.

Ratione *formæ* dividitur 1.^o in *affirmativam* et *negativam*; 2.^o in *absolutam*, quæ prædicatum simpliciter enunciat de subjecto, v. g.: *homo est animal*; et *modalem*, in qua exprimitur modus quo prædicatum subjecto congruit, v. g.: *Petrus contingenter est justus*. Hi autem modi quatuor assignantur: *necessario*, *contingenter*, *possibiliter*, *impossibiliter*.

Ratione *quantitatis*, propositio dividitur in *universalem*, cujus subjectum afficitur signo universali, v. g. *omnis spiritus est immortalis: particularem*, cujus subjectum signo particulari afficitur v. g. *aliquis homo est justus: singularem*, cujus subjectum vel est singulare, vel afficitur signo singulari v. g. *Cicero fuit consul: hic homo est justus: indefinitam*, cujus subjectum commune aliquid est, sed nullo afficitur signo: v. g. *Triangulus est figura*.

Notandum hic 1.^o in propositione affirmante, prædicatum supponere vel sumi universaliter quoad *comprehensionem*, particulariter vero vel disjunctive quoad *extensionem*. Est autem comprehensio termini id quod actu essentialiter in ejus idea continetur; extensio vero complectitur ea in quibus ejus ratio invenitur, ita ut de ipsis prædicari possit. Exemplum; *animal* ea tantum *comprehendit*, quæ rationem vel

essentiam animalis constituunt; at *extenditur* ad ea omnia, in quibus hæc essentia reperitur, seu ad species et individua de quibus prædicari potest. Cum ergo dico: *omnis homo est animal*, prædicatum ex parte comprehensionis, sive quoad id, quod animalitatem constituit, universaliter subjecto convenit, quia omne id quod animal essentialiter includit, *omni homini* convenit; non vero ex parte extensionis, quia, ut jam diximus, in affirmativa sumitur disjunctivè, quamvis enim ut verificetur propositio opus sit, ut homo habeat omne illud quod animalitatem constituit, non tamen ut sit omne animal.

Notandum 2.^o quantitatem propositionis indefinite ex ejus materia repetendam esse, ita ut, si sit in materia necessaria, habeatur tanquam universalis; si secus, tanquam contingens. Quod si materia non sit proprie necessaria, sed tantum improprie, quatenus subjecto ut plurimum congruit, dicitur *universalis moraliter*; v. g. *Hispani catholicam Religionem diligunt*.

Notandum 3.^o propositionem non evadere negativam, nisi negatio copulam afficiat, v. g. *Deus jubet non mentiri*, affirmativa est, quia negatio prædicatum, non copulam afficit.

Ex parte adjunctorum propositio, vel est *simplex*, quando uno tantum subjecto et prædicato constat; vel *composita*, quæ pluribus simplicibus aliqua particula unitis constat. Et est multiplex:

a) *Conditionalis*, in qua duæ aut plures simplices conjunguntur particula conditionali. Ut vera sit, sufficit consequentem sequi ex antecedenti, vel rem conditionatam nexum habere cum conditione, quamvis neutrum eorum existat, ut in hac; *si Petrus est canis, est irrationalis*, vera est quamvis nec Petrus sit canis, nec irrationalis, quia in ea tantum affirmatur quod, posito primo, sequitur secundum. Unde hujusmodi propositiones sunt quasi mediæ inter simplices et compositas.

b) *Copulativa*, est quæ duas aut plures simplices particula copulativa jungit. Ad ejus veritatem requiritur omnes et singulas simplices, in quas resolvitur, esse veras, ita ut, si earum aliqua falsa sit, copulativa, qua talis, falsa integre redditur, ut in hac: *Petrus est vivens, et animal, et lapis*.

Triplici ratione efformari potest, vel pluribus subjectis et pluribus prædicatis; vel pluribus subjectis et uno prædicato; vel uno subjecto et pluribus prædicatis, ut in adducto exemplo.

c) *Disjunctiva* duas aut plures simplices jungit particula disjunctiva: v. g. *Substantia vel est spiritualis, vel materialis: Petrus vel est italicus, vel gallus, vel hispanus*. Falsa erit quando inter extrema datur medium, vel aliud extremum, ut in posteriori illa, si absolute sumatur.

d) *Causalis* duas aut plures causali particula conjungit. Ad ejus veritatem requiritur ut id, quod ut causa affirmatur, vere sit causa consequentis: unde hæc est vera: *homo est capax scientiæ, quia est rationalis*: hæc vero falsa: *homo est capax scientiæ, quia est corpus*.

e) *Discretiva* unit duas aut plures simplices particula discretiva: v. g. *Petrus non est sapiens, sed tamen pius*.

f) *Exclusiva* aliquid affirmat vel negat exclusione aliorum: v. g. *Solus Deus super omnia diligendus*, quæ æquipollet his duabus. *Deus est super omnia diligendus: cætera non sunt super omnia diligenda*. Unde exclusiva continet unam affirmativam et alteram negativam. Exclusio quandoque subjectum, quandoque prædicatum respicit.

g) *Exceptiva*, quæ aliquid affirmat vel negat excipiendo: v. g. *Omnes homines, præter primum, generatione producti sunt*. Resolvitur in has: *primus homo generatus non fuit: ceteri homines generati sunt*.

h) *Comparativa* aliquid affirmat vel negat comparando: v. g. *Deum offendere est damnorum maximum*.

i) *Reduplicativa* est cujus subjectum particula reduplicante afficitur: v. g. *judex, quatenus judex, reos punit*.

Quatuor postremæ, quamquam voce tenus et primo aspectu simplices videntur, at reipsa compositæ sunt, atque in duas vel plures quoad sensum resolvi possunt: quapropter *exponibiles* dici solent; illæ vero in quas resolvuntur *exponentes*. Prudens magister omnia hæc amplius evolvet, exemplis illustrabit et alias species, quæ hic brevitatibus gratia prætermittuntur, edocebit.

ARTICULUS TERTIUS.

De proprietatibus propositionum.

Tres enumerantur: *oppositio*, nempe, *conversio*, *æquipollentia*, de quibus breviter dicendum.

1.º *Oppositio*.

a) Definiri potest: *affirmatio et negatio ejusdem de eodem secundum idem*. Duæ enim conditiones potissimum ad oppositionem propositionum requiruntur, quarum prima est, ut eodem omnino subjecto et prædicato constant, re, ratione, et nomine: unde vel minima ipsorum variatio sufficit ad oppositionem tollendam. Altera conditio est, ut una sit affirmans et altera negans.

b) Triplex est hujusmodi oppositio: 1.º *Contradictoria*, quæ existit inter duas propositionis quarum una sit universalis et altera particularis, vel inter duas singulares, ita ut una sit affirmativa et altera negativa: v. g. *Omnis homo est doctus: aliquis homo non est doctus. Petrus est justus. Contraria*, quæ datur inter duas universales quarum altera sit affirmans et altera negans: v. g. *Omnis homo est doctus: nullus homo est doctus. Subcontraria*, quæ datur inter duas particulares quarum una sit affirmativa et altera negativa; v. g. *aliquis homo est justus: aliquis homo non est justus*. Species alia oppositionis est *subalterna*, quæ existit inter duas affirmativas, vel duas negativas, quarum una sit universalis et alia particularis; v. g. *Omnis homo est doctus: aliquis homo est doctus: sed* hujusmodi est tantum oppositio quod quantitatem, non vero quoad affirmationem et negationem, quod tamen præcipuum est in oppositione.

Omnis homo est animal. Contrariæ. *Nullus homo est animal.*



Aliquis homo est animal. Subcontrariæ. *Aliquis homo non est animal.*

c) Quælibet harum suam habet regulam. Pro contradictoriis hæc est regula cui subjiciuntur: *Nequeunt esse simul veræ aut simul falsæ*; aliter enim idem esset et non esset simul, periretque principium contradictionis. Pro contrariis: *Possunt esse ambe falsæ, at nunquam simul ambe veræ*: prima pars locum habet si sint in materia contingenti. Pro subcontrariis: *Nunquam possunt esse simul falsæ, bene tamen simul veræ*. (1)

2.º *Æquipollentia*.

a) Definiri potest: *oppositarum propositionum capacitas, ut ope negationis alterutri additæ ejusdem valoris vel sensus efficiantur*.

b) Regula pro æquipollentia hoc brevi versiculo clauduntur: *Præ contradic: post contra: præ postque, subalter*. Id est, si vis propositiones reddere æquipollentes, negationem præpone subjecto in contradictoriis. Negatio enim id omne quod post se reperit, quasi perimit: unde si præponatur universali affirmativæ, ejus et affirmationem et universalitatem destruit, eam efficiendo et negativam et particularem:

(1) Vide rationes harum regularum apud Goudin, qui egregie ostendit omnes ad principium contradictionis reduci.

v. g. *Omnis homo est justus*, si ei negatio præponatur dicendo: *non hominis homo est justus*, redditur æquipollens quoad sensum contradictoriæ: *aliquis homo non est justus*. Quod si negatio subjecto universali postponatur, ipsum relinquit in sua universalitate, solamque affirmationem vel negationem tollit, ut apparet in contrariis.

5.º Conversio.

a) Definatur: *Mutatis extremorum propositionis de subjecto in prædicatum, relenta qualitate ejusdem*. Si eadem servatur quantitas, conversio dicitur *simplex*, v. g.: *nullus homo est angelus: nullus angelus est homo*: si quantitas mutatur, dicitur *per accidens* v. g.: *Omnis homo est animal: aliquid animal est homo*. Si servatur quantitas, sed extrema fiunt infinita, ipsis anteposendo negationem, dicitur *per contrapositionem*, v. g.: *Omnis homo est animal: Omne non animal est non homo*.

b) Ut dignoscatur quænam ex his conversionibus, cuique propositioni congruat, hæc verba solent adduci:

Feci simpliciter convertitur: Eva per accid.

Asto per contrap: sic fit conversio tota.

Præ oculis habendum, vocalem A designare propositionem universalem affirmativam, E universalem negativam, I particularem affirmativam, O particularem negativam, juxta illud:

Asserit A negat E, verum generaliter ambo.

Asserit I negat O, sed particulariter ambo.

Itaque priores illi versiculi id denotant, propositiones respondententes vocalibus contentis *Feci, Eva, Asto*, converti posse conversione ibidem determinata.

SCHOLIUM GENERALE.

Mirum quot opinionum commenta circa judicium apud recentiores philosophos reperiantur. Cartesio et Mallebranche ducibus, judicium voluntatis non intellectus actum esse cartesiani autumarunt. Reid cum universa pene schola scotica, docuit judicium, simplicem perceptionem præcedere, ac proinde primum intellectus actum existere. At adversus hanc opinionem, quæ plurimos fautores in Gallia et Italia nacta fuerat, jure merito insurrexit Gallupi, qui ostendit

omne judicium comparisonem includere, ac proinde simplicem terminorum comparisonem judicium necessario præcedere. Rosmini mediam viam tenere volens inter Reid et Gallupi, statuit 1.º simplicem perceptionem *entis*, judicium præcedere, quippe *entis possibilis* idea vel notio nobis est innata: 2.º primam spiritus operationem respectu omnium aliorum objectorum, esse judicium quo sensationes ad ideam innatam entis refert, et cum ea conjungit: quinimò simplicem intellectus perceptionem cum judicio confundit, saltem respectu corporum. (1) Gioberti etiam, judicium ab idea, ac proinde a perceptione non distinguit; siquidem, apud ipsum, primus actus mentis est intuitio quædam *Entis sive Ideæ* in qua continentur hæc duo judicia: *Ens est: Ens creat existentias*. Cousin, consentaneè ad suam rationis theoriam, judicia *spontanea*, quibus singularium rerum existentiam percipit mens, absque comparisonem ulla fieri, ac proinde simplicem perceptionem non præexigere docet, quamvis res aliter se habeat in judiciis *reflexis*, quæ comparisonem peraguntur. Opiniones has, aut evolvere aut oppugnare, operis hujus consilium non patitur. Sensus igitur communis, ac sanæ philosophiæ pronuntiata, quæ in re hac cum doctrina Divi Thomæ apprimè consentit, sic se habent:

1.º Simplex rei intelligentia seu perceptio, judicium ubique et semper, saltem naturæ ordine, præcedit; quandoquidem judicium sine duorum extremorum collatione nec quidem concipi potest; extremorum autem comparatio, eorumdem aliquam perceptionem necessario præsupponit.

2.º Judicium, quatenus determinata intellectus manifestatio, essentialiter seu *formaliter* constituitur per affirmationem et negationem; etenim intellectum ut *judicantem* non concipimus, nisi intus pronuntiet rem esse vel non esse, adesse vel non adesse alteri.

3.º Assertio et negatio, quæ judicio continenter et exprimuntur, non ideas solas seu conceptiones internas men-

(1) Sic namque perceptionem intellectualem corporum definit: «C'est un jugement par lequel l'esprit affirme la subsistance de quelque chose perçue par les sens.» *Nouv Essai sur l'orig. des idées*, C. 3.º, art. 17.

lis respiciunt, ut Locke autumabat, viam ex hoc idealismo sternens, sed res ipsas seu naturas prout a parte rei existunt, cujus rei ratio in Ideologia exponetur.

4.^o Judicium affirmativum est veluti ratio sufficiens ac fundamentum negativi; eatenus namque attributum aliquod a subjecto removemus, quatenus cum essentia vel proprietate, quæ subjecto conveniunt pugnare videmus. Unde merito Div. Thomas: (1) « Veritas negativæ (propositionis) fundatur supra veritatem affirmativæ, cujus signum est, quod nulla negativa probatur nisi per aliquam affirmativam. »

CAPUT QUARTUM.

DE RATIOCINATIONE ET ARGUMENTATIONE.

Ratiocinatio, non secus ac propositio, si intra mentem spectetur, *ratiocinationis* nomen relinet; quatenus verbis exterius profertur, *argumentatio* nuncupatur. Primo igitur de ratiocinio in seipso; deinde de argumentatione agere oportet.

ARTICULUS PRIMUS.

De ratiocinatione.

Ea quæ ratiocinationem intra mentem præcipuæ spectant, paucis his complectimur :

1.^o Ratiocinatio dici potest: *Actus intellectus quo ex duobus aut pluribus judiciis aliud cum eis connexum inferitur.* Dico *ex duobus*, et non *ex uno*, prout quidam dicunt, quia in omni ratiocinatione tria saltem judicia ad minus implicita reperiuntur; videlicet, duo in quibus duo termini vel conceptus cum tertio aliquo comparantur vel affirmando vel negando; et tertium, quo ex vi hujus affirmationis vel negationis, prædictorum conceptuum convenientia inter se affirmatur vel negatur. Duo vel plura priora judicia simul sumpta vo-

(1) 4.^o 2.^a q. 72, art. 6.

cantur *antecedens*, quia tertium ex iisdem illatum, quod idcirco *consequens* dicitur, nature et cognitionis ordine, præcedunt.

Cavendum tamen ne *consequens* cum *consequentia* confundatur; primum namque est ipsum judicium quod ex aliis deducimus, at *consequentia* est nexus ejusdem cum judiciis ex quibus inferitur: unde *consequens* potest esse verum in seipso, et tamen *consequentia* falsa vel potius illegitima; ac etiam vice versa, *consequens* falsum et *consequentia* legitima: e. c.: *Aliqui Apostoli martyrio obierunt; sed S. Petrus est Apostolus: ergo martyrio obiit.* *Consequens* verum quidem est, at *consequentia* illegitima.

2.^o Sicut judicium simplex est mentis actus, quamvis perceptionem et comparisonem terminorum præsupponat, ita ratiocinium, quamvis alia judicia præsupponat, at in seipso et formaliter spectatum, quatenus deductionem unius judicii ex aliis implicat, simplicissimus est mentis actus. Cognitiones tamen, quæ ope ratiocinationis acquiruntur, *discursivæ* nuncupantur, quatenus per discursum habentur: quandoque etiam *scientificæ*, scientia enim est cognitio per demonstrationem acquisita.

3.^o Fundamentum seu *principium* cui affirmativum ratiocinium innititur, hoc est: *Quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se.* Negativum, huic innititur: *Quorum unum est idem alicui tertio et aliud non est idem, ea non sunt idem inter se.* Sic in hoc ratiocinio affirmativo: *Omnis substantia cogitans est spiritualis: atqui rationalis anima est substantia cogitans: ergo rationalis anima est spiritualis:* eatenus affirmatur in conclusione identitas duorum extremorum, quatenus et quia in præmissis statuitur identitas utriusque eorum cum tertio, nempe, *substantia cogitans.* Præfata duo principia, ratiocinio etiam singulari aptantur, quod non congruit duobus aliis ratiocinii principiis, quæ sic se habent: *Quod dicitur de omni, dicitur de quolibet sub eo contento: Quod negatur de omni, negatur de quolibet sub eo contento.* Hæc porro principia ad priora quadantenus revocantur; quoniam ideo licet prædicatum aliquod de inferioribus affirmare, quia identificatur cum universali sub quo illa continentur.

4.^o Discrimen inter ratiocinium affirmativum et negativum, non ex parte intellectus, qui utriusque causa efficiens

existit, sed ex parte objecti proprie desumitur; sive enim ratiocinium affirmativum sit, sive negativum, per actum positivum intellectus perficitur et constituitur.

ARTICULUS SECUNDUS.

De argumentatione atque ejusdem speciebus.

Ex nunc dictis, argumentatio in genere definiri potest: *Oratio ratiocinationem exprimens, in qua una propositio ex aliis inferitur.* Propositio quæ per argumentationem statuenda est, dicitur *quæstio*: si spectatur quatenus per ipsam probata jam est, dicitur *conclusio* vel *consequens*. Propositiones ex quibus illa inferitur, dicuntur *præmissæ*, quia conclusioni præmittuntur et singulatim accipiuntur; quatenus vero simul accipiuntur et conclusionem præcedunt, dicuntur *antecedens*, ut supra diximus.

Pro argumentatione in genere spectata tres has regulas assignant aliqui: 1.° *Ex vero nunquam sequitur falsum*: intellige de consequentia seu illatione legitima: 2.° *Ex falso non sequitur verum per se, per accidens tamen sequi potest*. 3.° *Antecedens, qua tale, debet esse notius consequente*.

Præter syllogismum rigorosè sumptum, de quo, ut de accuratissima et nobiliore argumentationis specie ac ratiocinii forma, postea dicemus, præcipuæ argumentationis species sunt:

a) *Inductio*, quæ est argumentatio in qua ex particularibus sufficienter enumeratis, universale colligitur. Quod si inferiora omnia, vel partes cunctæ alicujus totius enumerentur, completa tunc vocatur; si secus, incompleta. Prima vix locum habere potest nisi dum procedit a speciebus ad genus, ut si dicam: *planeta A. planeta B. etc.* enumerando omnes, *recipit lucem a sole: ergo omnes planetæ a sole lucem accipiunt*: et enim si procedatur ab individuis ad speciem difficile semper et tædiosum, quandoque vero omnino impossibile erit cuncta enumerare et observare.

Itaque inductio, qua talis, omnimodam certitudinem præstare nequit nisi certo conscius simus omnia inferiora observata fuisse; quod cum difficile admodum sit, præsertim cum de individuis agitur, colligitur inepte philosophos quos-

dam post Baconem, inductionem prædicare tanquam verum, et fere unicum scientiarum instrumentum. Dixi *inductio quæ talis*, quia si eidem analogia adjungatur, præsidium maximum præstare potest, præsertim quoad scientias físicas, chymicas, et alias, quæ observatione et experimentis nituntur. Est autem *analogia* quoddam argumentandi genus, quod ex existentia alicujus attributi vel effectus in aliquibus, colligimus existentiam, vel ejusdem, vel similibus in alio. Sic, ex eo quod in animalibus quibusdam observo seriem operationum, quæ cum his, quæ in me sensibiles dicuntur, affines sunt, colligo inesse ipsis animam inferiorem rationali, quæ sit principium ipsarum, et quam sensitivam appello. Sic, si hæc planta medicinalis ægritudinem hanc curavit, ex analogia colligo hanc plantam ejusdem speciei, eandem vel affinem ægritudinem curare posse. Quod si planta non solam similitudinem specificam et generalem, sed individua quoque habeat, puta, quia eodem solo est nata, eadem anni tempestate incisa, eundem maturitatis gradum attingit, etc. tunc analogia majorem vim obtinet. Atque ad præfatam analogiam revocari potest ea argumentationis species, *exemplum* a quibusdam nominata, in qua ex simili simile aliquod inferitur.

b) *Enthymema* est argumentatio duabus constans propositionibus quarum una ex altera inferitur. A syllogismo vix differt, at ad ipsum facillime revocatur, quia in eo reticetur, sed supponitur altera præmissa, v. g.: *peccatum est maximum malum: ergo fugiendum*; subintelligitur altera præmissa: *maximum malum est fugiendum*.

c) *Sorites* est argumentatio in qua ex pluribus propositionibus gradatim positis ad illationem conclusionis devenitur. Hujusmodi propositiones ita colligari debent, ut prædicatum primæ fiat subjectum secundæ, sicque successive in omnibus usque ad conclusionem, in qua subjectum primæ conjungitur cum prædicato ultimæ v. g.: *virtus est magnum bonum: quod est magnum bonum hominem perficit: quod hominem perficit est nobis appetendum: ergo virtus appetenda nobis est*. Hæc argumentatio tuta non erit: 1.° si aliqua propositio falsa vel dubia reliquis admisceatur: 2.° si omnes sint negativæ, quia, ut infra dicetur, ex negativis nihil legitime inferitur.

d) *Epicherema* ea dicitur argumentatio, cujus alterutra vel utraque præmissa probationem continet: e. c. *Qui multis angitur*

curis beatus non est; beatitudo enim angorem excludit: atqui homo qui cupiditati indulget multis curis angitur, tum propter conscientiae stimulos, tum quia non fruitur his quae cupit: ergo qui cupiditati indulget non est beatus.

e) Dilemma vocatur ea argumentatio in qua praemissae disjunctivae omnes partes subsumuntur ad propositam conclusionem inferendam: ut tritum illud contra scepticos: Aut scis, te nihil scire, aut nescis: si nescis, non potest hoc affirmare: si scis, ergo aliquid sciri potest. Deficit haec argumentatio: 1.º si disjunctiva falsa sit, quia inter extrema enumerata datur medium: 2.º si ex aliquo extremo concludatur id quod revera ex illo non inferitur: 3.º si in adversarium retorqueri possit.

f) Polysyllogismus, de quo hic agunt aliqui, quamvis vix a syllogismo discriminetur, nihil est aliud quam argumentatio in qua syllogismo completo subnectitur alter, ita ut conclusio prioris assumatur tanquam praemissa subsequentis, v. gr.: Quod est substantia simplex et spiritualis corrumpi nequit: sed anima rationalis est substantia simplex et spiritualis: ergo corruptioni non subest: sed substantia quae corruptioni non subest est immortalis: ergo rationalis anima est immortalis.

ARTICULUS TERTIUS.

De syllogismo.

Ut breviter simul ac dilucidè de syllogismo dicamus, primo de ipsius natura ac divisione; deinde de regulis quibus subicitur, agemus.

§ I.

De syllogismi natura ac divisione.

Syllogismus est argumentatio in qua duo extremi termini propositionis conferuntur cum aliquo tertio, ut inde concludatur ipsorum relatio inter se vel affirmativa vel negativa. Siquidem, ex principis ratiocinii supra allatis, aliqua inter se identificari vel non identificari scimus, ex eo quod cum tertio conveniunt vel secus. Ergo dum nexum aut repugnantiam inter extrema propositionis statim non pervidemus, quaerendum

tertium extremum quocum comparentur, ut praefata connexio vel repugnantia dignoscatur. Sit exemplum: si mihi offeratur haec propositio: anima hominis est immortalis, quia nexum inter immortalitatem et animam hominis statim et perspicuè non video, quaeram alium terminum, cujus nexum cum quolibet extremorum facilius agnoscam, ex quo inferre mihi licebit, nexum extremorum propositionis inter se ex vi principii illius: Quae sunt eadem uni tertio termino et substantia spiritualis, syllogismum conficiam hac ratione: substantia spiritualis est immortalis; sed anima rationalis est substantia spiritualis: ergo anima rationalis est immortalis; ubi, ut vides identitatem seu convenientiam inter praedicatum et subjectum propositionis concluditur ex identitate praedicati cum et substantia spiritualis in prima praemissa, et identitate subjecti cum eodem termino in altera praemissa.

Itaque in omni syllogismo sunt tres tantum termini, nempe, majus extremum, quod est praedicatum conclusionis seu propositionis de qua quaeritur; minus extremum, quod est subjectum ejusdem; medium, quocum haec in praemissis conferentur, quodque proinde in praemissis bis reperitur sed conclusionem non ingreditur. Similiter, tribus tantum propositionibus syllogismus constat, et sunt ea in qua medium comparatur cum majori extremo, quae idcirco vocatur major; ea in qua idem medium cum minori extremo confertur, et vocatur minor; denique, quae continet duo extrema, et vocatur conclusio. Haec porro propositiones et termini quibus constant, constituunt materiam syllogismi, ita ut termini sint materia remota, propositiones vero proxima.

Forma syllogismi consistit in ordinata dispositione terminorum et propositionum quibus constat. Haec porro forma complectitur ex una parte positionem relativam (la combination) extremorum cum medio, quae vocatur figura syllogismi, ex alia parte, dispositionem propositionum secundum quod universales vel particulares, affirmativae vel negativae sunt, quae dicitur modus syllogismi.

Hinc variae divisiones syllogismi exsurgunt. Nam ratione materiae dividitur in demonstrativum, probabilem et sophisticum, de quibus postea. Ratione formae in informem, qui artificiosa partium dispositione caret; et formatum, cujus termini

et propositiones ad dialecticæ leges congrue ordinantur. Atque hic

1.º Dividitur in *simplicem*, qui tribus tantum simplicibus propositionibus constat; et *compositum*, qui vel pluribus, vel tribus tantum sed quarum aliqua composita propositio sit. Prioris generis, jam expositi sunt posterioris generis sunt:

a) *Conditionalis*, cujus altera præmissa est conditionalis v. g.: *Si Deus est justus punit peccatores; sed Deus est justus; ergo peccatores punit*. Rectè concludere possunt: 1.º ab affirmatione antecedentis ad affirmationem consequentis: 2.º a negatione consequentis ad negationem antecedentis.

b) *Disjunctiva*, cujus major, disjunctiva constat propositione, e. e.: *Rationalis anima vel est substantia spiritualis vel materialis; sed est spiritualis; ergo non est materialis*. Deficiunt hujusmodi syllogismi: 1.º si inter disjunctionis extrema detur medium: 2.º si ex disjunctiva, quæ tres aut plures partes continet, concludatur affirmatio unius ex negatione alterius, v. gr. *Hæc substantia cogitans vel est rationalis anima, vel angelus, vel Deus; sed non est angelus; ergo est Deus*.

c) *Copulativa*, cujus major copulativa constat, e. e.: *Nemo potest servire Deo et mammonæ; sed avarus servit mammonæ; ergo non servit Deo*. Ejus regula hæc est: si in minori affirmatur una pars, recte negatur altera in conclusione: at non è contra.

2.º Dividitur in *directum*, qui concludit servato congruo ordine dialectico terminorum et propositionum, ut exemplum in definitione syllogismi allatum; et *indirectum*, in quo vera infertur propositio, sed mutato prædicato in subjectum, v. g.: *Omnis anima rationalis est immortalis; sed nullus angelus est anima rationalis; ergo aliquod immortale non est angelus*.

3.º Dividitur in syllogismum *primæ figuræ*, et est ille in quo medium est subjectum in majori et prædicatum in minori: *secundæ figuræ*, in quo medium prædicatur in utraque præmissa: *tertiæ figuræ*, in quo in utraque præmissa tanquam subjectum collocatur. Quæ ut facilius memoriæ infigantur, hæc versiculo describuntur:

Sub præ, prima; sed altera, bis præ: tertia, bis sub.

Adi potest *quarta figura*, in qua medium prædicatur in majori et est subjectum in minori, v. g.: *Omnis homo et vivens; sed omne vivens est substantia; ergo aliqua substantia est homo:*

Sed, ut quisque facile perspicit, hæc ad primam reduci potest ac debet, præmissarum ordinem mutando.

Quod attinet ad syllogismi *modos*, innumeri ferè sunt pro diversa dispositione, quam ex parte terminorum et propositionum pati possunt syllogismi. Unde ut utiles et recti ab inutilibus discernantur sit.

§ II.

De regulis recti syllogismi.

Regulæ, quas Aristoteles, qui verus syllogismi auctor et parens habetur, (1) proposuit, ad syllogismos recte concludentes dignoscendos, subjectis versibus continentur.

1. Terminus esto triplex: medius, majorque minorque.
2. Latius hos, quam præmissæ, conclusio non vult.
3. Aut semel aut iterum medius generaliter esto.
4. Nequaquam medium capiat conclusio fas est.
5. Ambæ affirmantes nequeunt generare negantem.

(1) Non defuere tamen intemperantis criticæ amatores, qui hanc gloriam Aristoteli præripere studuerunt. Contendebant, nempe, illi, Stagiritam syllogismi doctrinam a logica Gotamæ ex India philosophi, hausisse. Ast vero injuria id et prorsus immerito: nam, ut Saint-Hilaire, Blainville et alii recentiores invictè demonstrarunt, in primis, si non penitus falsum, ad minus valde incertum est, Nyaya Gotamæ, ex quo syllogismi doctrinam Aristotelem hausisse autumabant quidam, esse antiquiorem quam hujus *Organon*. Deinde, argumentatio, quæ in Nyaya Gotamæ continetur, a syllogismo Aristotelis prorsus discriminatur: quandoquidem ejus partes quinque enumerantur, scilicet; *propositio, ratio, exemplum, applicatio, et conclusio*. Quapropter jure merito Blainville: «Aristote, inquit, fut le premier à analyser la pensée humaine jusque dans ses moindres détails, à en marquer les moindres mouvements, et à en formuler les lois: le syllogisme, dont il est le createur, n'est que la marche naturelle de la pensée humaine analysée. Nous prouverons que l'Indien Gotama ne l'a jamais connu, qu'il n'a même jamais su ce qu'était la logique rigoureuse; d'ailleurs il vivait très-probablement plus de sep à huit cents ans après Aristote. Au Stagirite donc appartient toute la gloire; et l'on peut dire que depuis lui, la logique n'a pas fait un pas dans son développement fondamental.» *Histoire des Scienc.* t. 1.º, pag. 204.

6. Pejorem semper sequitur conclusio partem.
7. Utraque si præmissa neget, nihil inde sequetur.
8. Nil sequitur geminis ex particularibus unquam.

Octo igitur sunt regulæ syllogismi, quas breviter explicare oportet, ut a tyronibus capiantur.

1.^a *In syllogismo non sint nisi tres termini.* Si namque plures sint, jam non fiet comparatio duorum extremorum cum uno et eodem termino medio, in qua tamen comparatione sita est integra syllogismi essentia, juxta ejus fundamentale principium: *Quæ sunt eadem uni tertio etc.* Defectu hujus regulæ non concludit sequens syllogismus: *Omnis angelus est spiritus; sed omnis arbor est substantia: ergo omnis substantia est spiritus;* quippe in eo quatuor adsunt termini, *angelus, spiritus, arbor, substantia.*

Quod si hæc regula accipiatur non tantum quoad vocem, sed etiam quoad sensum et significationem, merito dici potest quod ad eam reducuntur regulæ omnes; nam si bene res perspicatur, syllogismus quilibet deficiens, ideo deficit, quia aliquis ex tribus ejus terminis, non sumitur eodem sensu vel significatione in præmissis et in conclusione; ac proinde, si non voce tenus, at sensu quatuor terminis constat.

2.^a *Nullus terminus in conclusione sumatur universalis quam in præmissis.* Extrema siquidem, quæ conclusionem ingrediuntur, eo ipso et non alio modo in conclusione comparari et connecti debent, quo in præmissis cum medio comparantur et nexum habent; secus, syllogismus quatuor terminis quoad sensum constabit; ut si dicam: *Omne corpus est substantia; sed nullus angelus est corpus: ergo nullus angelus est substantia.* Qui syllogismus tribus tantum terminis quoad vocem constat, at quatuor quoad sensum; nam *substantia* in majori, utpote prædicatum affirmativæ, supponit disjunctivè, ac proinde accipiatur pro *aliquibus* substantiis; at in conclusione, utpote prædicatum negativæ, supponit universaliter distributivè, ac proinde pro *omnibus* substantiis.

3.^a *Medius terminus in aliqua præmissarum debet supponere distributive.* Nam si in utraque sumatur particulariter, poterit sumi in una pro una parte, et in altera præmissa pro alia, sicque quatuor terminos syllogismus habebit.

Excipitur tamen syllogismus singularis, qui etiam *expositorius* dicitur; modo tamen medius terminus ita singularis

sit, ut nulla ratione aliis possit communicari: unde hic: *Pater est Deus; sed Filius est Deus: ergo Filius est Pater,* recte non concludit, quia licet *Deus* sit terminus singularis, at pluribus personis communicatur.

4.^a *Medius terminus conclusionem non ingrediatur.* Conclusio enim convenientiam tantum vel repugnantiam extremorum inter se, prout ex comparatione cum medio deducitur, continere et enuntiare debet.

5.^a *Ex duabus affirmativis, negativa conclusio deduci nequit.* Præmissæ affirmantes statuunt identitatem extremorum cum medio; conclusio vero negans, identitatem extremorum negaret et excluderet ex eorundem identitate cum tertio; quod prima principia ratiocinii labefactat.

6.^a *Si altera præmissarum sit negans, conclusio quoque negativa erit; particularis vero, si aliqua præmissa sit particularis.* Apud logicos negans propositio, dicitur pejor vel debilior respectu affirmantis; particularis respectu universalis.

Ratio prioris partis: negativa præmissa statuit unum extremum non esse idem cum tertio; affirmativa, statuit alterum extremum esse idem. Si ergo inferatur conclusio affirmativa, inferetur duo esse idem inter se ex eo quod unum eorum sit idem cum tertio et aliud non, contra ipsa prima ratiocinii principia.

Ratio posterioris: si conclusio est universalis negativa, distribuit duos terminos, et tamen in præmissis, ipsorum unus absque distributione remansit; quia si particularis præmissa est affirmativa, nullum ex tribus terminis syllogismi distribuit, ac proinde in altera duo tantum ad summum distribui possunt, quorum unus debet esse medius, ne deficiat tertia regula. Si vero præmissa particularis, sit negativa, tunc altera erit affirmativa, quia utraque negativa esse nequit: ergo duo tantum termini etiam in hoc casu distribui possunt, videlicet, prædicatum particularis negativæ, et subjectum universalis affirmativæ, quorum unus debet esse medius terminus; nec proinde remanet locus distributioni alterius extremi. Si conclusio est universalis affirmativa necessario supponit præmissas affirmativas: at si harum una sit particularis, nihil in eis distribui potest nisi in subjecto universalis affirmativæ, qui locus medio debetur. Ergo si conclusio

sit universalis, distribuet subjectum, quod in præmissis distribui non potuit.

7.^a *Ex duabus præmissis negativis, nihil legitime potest concludi.* Quandoquidem ex eo quod duo extrema repugnent uni tertio, nec convenientia, nec repugnantia eorundem inter se legitime infertur.

8.^a *Ex duabus præmissis particularibus, nihil legitime concluditur.* Etenim, si utraque sit affirmativa, nullum ex tribus terminis distribuere potest, ac deficit proinde regula tertia: si ambæ sint negativæ, peccat contra septimam regulam. Si una sit affirmativa et altera negativa, medium tantum distribuitur, ne deficiat tertia regula; et tamen in conclusione, quæ negativa erit, ex regula sexta, distribuitur unum extremum in prædicato; quod est contra secundam.

Si hujusmodi regulæ modis omnibus cujuslibet figuræ applicentur, quatuordecim tantum modi utiles remanent, quorum quatuor ad primam spectant et his vocibus exprimi solent: *Barbara, Celarent, Darii, Ferio*: quatuor alii ad secundam, quibus respondent *Cesare, Camestres, Festino, Baroco*: sex demum postremi, qui exprimi solent his vocabulis: *Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison*, ad tertiam spectant figuram.

Vocales quibus constant præfata voces, indicant naturam et ordinem propositionum, quæ quatuordecim modos utiles ingrediuntur. Sit exemplum pro qualibet figura:

Bar *Omne animal est substantia*

ba *Omnis homo est animal*

ra *Ergo omnis homo est substantia.*

Ce *Nullus equus est rationalis*

sa *Omnis homo est rationalis*

re *Ergo nullus homo est equus.*

Da *Omne metallum est corpus*

rap *Omne metallum est substantia*

ti. *Ergo aliqua substantia est corpus.*

De reductione syllogismorum agere hic solent logici. Nos eam prætermittimus, quoniam nullius fere usus est in praxi ac proinde tempus et labor quæ in ipsa tum explicanda, tum discenda iusumere oporteret, respondentem utilitatem non haberet.

Notare tantum libet, reductionem duplicem esse, *directam*,

nempe, quæ etiam *ostensiva* vocatur; et *indirectam* seu *ad impossibile*. Reductio directa est *revocatio syllogismi imperfecti ad perfectum*. Imperfecti porro syllogismi dicuntur non solum omnes qui indirecte concludunt, sed etiam modi utiles et directi secundæ et tertiæ figuræ, qui omnes variatis situ et ordine præmissarum reduci possunt ad aliquem ex quatuor primæ figuræ, qui *perfecti* vocantur. Excipiuntur *Baroco* et *Bocardo*, qui hanc reductionem non patiuntur. Reductio ad impossibile tum locum habet, quando *contradictoria consequentiæ negatæ assumitur, ita ut ex ea et altera præmissa concessa, inferatur contradictoria alterius præmissæ jam concessæ*.

ARTICULUS QUARTUS.

De Syllogismo demonstrativo seu demonstratione.

§ I.

Notio et divisio demonstrationis.

Quoniam, quæ lucusque diximus, *formam* syllogismi spectant, syllogismo omni congruunt. At, ut supra jam innuimus, si ex parte materiæ seu propositionum quibus constat syllogismus spectetur, *demonstrativus* vocatur, qui *constat præmissis necessario et evidenter veris*. Quæ definitio demonstrationis naturam satis explicat; siquidem syllogismus omnis qui præter legitimam formam, præmissas continet necessario et evidenter veras, demonstrationem proculdubio constituit. Proprium est itaque demonstrationis quod iudicium vel propositionem deducat ex præmissis evidenter notis. Præmissæ vero evidenter notæ esse possunt, quandoque *per se*, prout contingit in *primis principiis* quæ dicuntur illæ propositiones *quorum veritas immediate et quasi intuitionem quadam intellectus percipitur, statim ac terminorum quibus constant significatio capitur, v. g.: totum est majus sua parte; impossibile est idem simul esse et non esse*. Dicuntur etiam, *dignitates, axiomata, propositiones per se notæ, principia indemonstrabilia*; quia, videlicet, nec demonstratione indigent sed simplici terminorum preceptione, nec, ut plurimum, demonstrationem saltem directam, patiuntur. At *ex aliis* notæ præmissæ dicuntur

tur, quando perspicue videtur ipsorum nexus cum alia propositione vel veritate, donec ad propositionem *per se* notam deveniatur.

Ex quo colligitur: 1.° in omni vera demonstratione necessario deveniendum esse ad unam vel plures propositiones, quæ ratione evidentie immediata et quasi intuitivæ, sint basis et fundamentum totius demonstrationis, simulque certitudinis, quæ ex illa in mente resultat; quam ob rem aptissime et scite docet D. Thomas, quod *tota certitudo scientie oritur ex primis principiis*: 2.° præfatum demonstrationis fundamentum indemonstrabile semper esse, quoniam quidem si omnia demonstrabilia supponantur, daretur processus infinitus, proindeque impossibilis redderetur demonstratio quævis. Qui ergo omnia vellet sibi demonstrari, nec ad disputandum, nec ad discendum, nec ad philosophandum erit aptus.

Præter præmissas, thesis demonstranda præsupponit notionem aliquam subjecti et prædicati. De subjecto quidem prænoscere oportet *an sit*, seu aliqua ratione existat; de nihilo enim, qua tali, nihil quæritur. De prædicato vero non semper opus est præscire ipsum esse, cum sæpe id ipsum per demonstrationem quærat, sed tantum *quid sit* quoad nomen, seu definitionem saltem nominis. Notiones hujusmodi incomplete subjecti et prædicati, et cognitio præmissarum, dicebantur apud Scholasticos *præcognita* seu *prænotiones* demonstrationis.

Demonstratio dividitur,

1.° In *simplicem* et *compositam*. Prima est, quæ unico constat syllogismo: altera, quæ duos vel plures complectitur. Unde hæc nihil aliud est quam complexus demonstrationum simplicium.

2.° In *directam* et *indirectam*. Prima est, quæ thesım demonstrandam deducit ex præmissis in quibus ejus veritas præcontinetur, et in quas resolvi potest, ut si dicas: *quod cogitat vivit; sed anima rationalis cogitat: ergo vivit*. Hæc dicitur etiam *ostensiva* et *apodictica*. Altera, locum habet quando veritas thesis demonstrandæ ex evidenti falsitate ejus contradictoriæ evincitur: v. g. *Si Deus non esset æternus, aliquando non existisset: ergo ab aliqua causa accepisset esse: ego esset productus, ac proinde creatura*. Hæc demonstratio, quæ nuncupatur etiam *ab impossibili*, *ex absurdis*, et *apagogica*, ma-

ximum robor obtinet pro adversariis refellendis, nititurque illa regula quod *duæ contradictoriæ nequeunt esse simul veræ aut simul falsæ*. Ast vero, in ratione demonstrationis scientificæ, potior est et nobilior directa quam indirecta demonstratio: hæc enim evincit tantum thesım non posse esse falsam, non tamen ostendit quare et quomodo sit vera, nec intellectum illustrat ad pervidendam rationem vel causam propriam ipsius veritatis, prout efficitur demonstratione directa.

3.° Ex parte principiorum vel medii, demonstratio dividitur in demonstrationem *a priori*, et demonstrationem *a posteriori*. Prima ea est, in qua tanquam medium assumitur id quod in rerum natura, vel nostra cogitatione est causa vel ratio ejus quod demonstratur, ut contingit dum effectus per causam demonstratur, vel attributa seu proprietates ex essentia a qua profluunt, v. gr.: *quod est rationis particeps est capax scientiæ; sed homo est rationis particeps: ergo homo est capax scientiæ*; ubi attributum ex essentia, ex qua enascitur, demonstratur, quamvis essentia non tempore sed nature tantum ordine et cogitatione nostra, proprietate prior sit.

Demonstratio *a posteriori* ea dicitur, in qua causa per effectum demonstratur, sive realis et distinctus ille effectus sit, sive nostra tantum cogitatione, quatenus, cum fundamento in re, unum concipimus tanquam rationem alterius: exemplum primi, dum demonstramus existentiam Dei ex existentia mundi: exemplum posterioris, si demonstramus æternitatem Dei ex ejusdem immutabilitate; quamvis etenim a parte rei immutabilitas et æternitas in Deo identificentur, nec unum sit causa alterius; at merito, et cum fundamento in re, nos concipimus immutabilitatem tanquam rationem, ac proinde tanquam priorem ex nostro concipiendi modo ejusdem æternitate. Porro si in demonstratione *a priori* afferatur ad rem demonstrandam causa vel ratio immediata, appellatur tunc etiam *propter quid*: si vero thesis demonstratur vel *a posteriori*, vel *a priori* quidem, sed vel per causam remotam, vel indirecte, dicitur tunc demonstratio *quia*.

Demonstrationis quasi proprius effectus est *scientia*, quæ dici proinde solet: *cognitio per demonstrationem acquisita*. Et merito; nam *scire* nihil est aliud quam rem cognoscere per causas, seu dignoscere *cur* res ita sit, quod profecto per de-

monstrationem perficitur, maxime si hæc sit *a priori* et *propter quid*. Quod si scientia non ut *actus*, prout sumitur in adducta definitione, sed ut *habitus* accipiatur, et quatenus est complexus seu collectio veritatum demonstratarum circa aliquod objectum, dicitur *speculativa* quando sistit in objectorum et veritatum contemplatione, ut dum in Ontologia, entis proprietates et veritates, quæ circa ipsum versantur, speculamur: *practica* vero, si eas veritates demonstret et speculetur, quæ tendunt ad directionem voluntatis et actionum ab ea emanantium, sive circa finem moralem, sive circa exteriorem materiam, ut ethica, et mechanica. Quod si ex parte principiorum et objecti scientia aliqua alteri subjiciatur, et ab ea quadantenus pendeat, dici solet *subalternata*, ut optica respectu geometriæ: illa vero cui subjicitur, dicitur *subalternans*.

Qua in re notare libet, scientiam ipsam habitualement dupliciter accipi posse: 1.^o *strictè*, ita ut solum complectatur veritates evidenter demonstratas circa determinatum objectum: 2.^o *latius*, quatenus præter veritates perfectè demonstratas, complectitur, tum hypotheses aliquas, tum theses, quæ non demonstrationi, sed opinioni ac variis probabilitatis gradibus subjiciuntur. Quandoquidem, si mathesim, ad summum, excipias, in qualibet scientia observare licet quamplurimas hypotheses ac opinabiles theses, quæ et rationem illustrent ac perficiunt, et non ignobilem scientiæ illius partem constituunt, et viam menti sæpe aperiunt ad veritatem paulatim et temporis successione acquirendam, prout ex ipsa scientiarum historia facile perspicitur.

§ II.

Præcepta spectantia praxim demonstrationis.

Superest, ut præcepta quedam praxim demonstrationis spectantia proponamus, quorum hocce sit

Primum: *Res demonstranda ejus sit conditionis, quæ nec mentis facultatem, nec proprii ingenii vires excedat.*

Adversus primam præcepti partem peccaret, qui aggrederetur demonstrare veritatem mysteriorum fidei catholicæ, quæ, utpote supra rationem humanam posita, certitudini

quidem subjacent propter divini testimonii infallibilitatem, at minime evidentiæ, quæ in demonstratione desideratur et quaeritur. Adversus secundam partem ille peccaret, qui alicujus scientiæ plane ignarus difficiliore ejusdem demonstrationes vellet conficere, vel demonstrationes eas, quæ in aliqua scientia confici nequeunt absque subsidio aliarum scientiarum, quibus nequitur et a qua illa pendet; ut si quis arithmeticæ prorsus ignarus, vel ejusdem difficiliore demonstrationes, vel algebraicas, quæ ex arithmetica plurimum pendent, conficere vellet.

Secundum: *Res demonstranda dilucide proponatur.*

Quod tunc digne fit, quando propositio rem demonstrandam exprimens, vel breviter et perspicue rem exprimit, vel si longiori oratione id efficit, aut terminis constat obscuritatem vel confusionem redolentibus, congrue explanatur per definitiones nominum et rerum, priusquam demonstratio ipsa conficiatur. Juvat quoque propositionis partes, si plures contineat, ab invicem discernere, et exinde singulatim et ex ordine demonstrare.

Tertium: *In demonstratione qualibet præmissis omnino certis et evidentibus uti oportet.*

Nec enim proprie demonstratio dici poterit, si ejus aliqua præmissa certa et evidens non fuerit; ex præmissa namque probabili, quantumvis alteri evidenti jungatur, conclusio penitus certa et evidens tam ratione formæ quam materiæ, sive, ut veteres agebant, ratione *consequentis* et *consequentiæ*, erui nequit, prout perfecta demonstratio postulat, sed tantum conclusio magis aut minus probabilis. Ex quo colligere licet, veras ac perfectas demonstrationes, pauciores numero esse in scientiis quam vulgo existimetur. Cæterum, si de demonstratione *ad hominem* agatur, tunc opus non est ut præmissæ evidentes sint aut veræ in seipsis, sed sufficit quod ab adversario admittantur ut veræ, etiamsi apud nos et in seipsis falsæ sint.

Corollaria:

1.^m *Ergo assensus præmissarum se habet tanquam causa seu ratio sufficiens assensus conclusionis.* Siquidem, præsupposita congrua forma syllogismi, sine qua demonstratio consistere nequit, intellectus dum assentitur præmissis sibi evidentibus seipsum determinat et movet ad assentiendum conclusioni,

quæ cum ipsis necessario nexu ligatur. Quo sensu accipi queunt verba D. Thomæ, dum ait: «Præmissæ habent rationem causæ efficientis et activæ respectu conclusionis.» (1)

2.^m Ergo in demonstratione assensus conclusionis, necessarius dici potest necessitate hypothetica. Intellectus namque hominis ita comparatus est, ut veritati sub evidentia perfecta sibi propositæ obsistere nequeat; prouti observare licet in primis principiis, quibus semel propositis, nullus sanæ mentis refragari potest. Cum ergo in vera demonstratione, conclusio necessarium et evidentem nexum habeat cum præmissis, si supponitur assensus præmissarum, consequitur necessario assensus conclusionis, quæ in ipsis contenta a mente pervidetur. Unde merito D. Thomas: «Naturaliter, inquit (2), et ex necessitate inhæret intellectus principiis et conclusionibus habentibus necessariam connexionem cum aliis.» Dixi necessitate hypothetica, quia voluntas potest avertere intellectum a cogitatione præmissarum, ac consequenter ab assensu conclusionis.

ARTICULUS QUINTUS.

De syllogismo probabili.

Probabile, si vis tantum nominis, inspiciatur, est illud quod ut probetur dignum existit; at si rem ipsam significatam attendamus, probabile illud dicitur, quod verum apperet. Hæc porro veri fundata similitudo, quæ probabilitatem constituit, latitudinem quamdam sortitur, juxta vim et pondus rationum seu fundamentorum, quæ rem aliquam probabilem reddunt.

Sicut demonstrationis effectus est scientia, ita probabilitas opinionem seu opinativum assensum in mente producit. Unde opinio dici potest: assensus mentis alicui rei tanquam veræ cum formidine partis oppositæ. Hic porro assensus et formido ipsum concomitans, varietati subjacent juxta diversitatem et pondus fundamentorum, quæ ad assensum impellunt, ita ut quo graviora adsint fundamenta rationalia, magis stabilis et firmus

(1) Post. lib. 4.^o lect. 3.^a

(2) 1.^o P. q. 82, art. 2.^o

sit assensus mentis et minor proinde formido de opposito. Assensus itaque opinativus non in indivisibili consistit, sed potius concipi debet tanquam quid interjectum inter ignorantiam rei et ejus certitudinem, ad quorum alterutrum magis aut minus accedit juxta pondus et vim fundamentorum probabilitatem constituentium; probabilitas ergo est veluti mensura assensus, quo mens objecto adhærescit.

Atque probabilitas hæc, si solum nitatur testimonio et auctoritate aliorum rem illam verisimilem vel probabilem habentium, extrinseca nuncupatur: si rationibus vel fundamentis ex ipsius rei natura petitis, probabilitas intrinseca dicitur: si vero utrumque genus fundamentorum complectatur, mixta posset nuncupari. Difficile profecto negotium est rei cujusque probabilitatem, præsertim extrinsecam, determinare et quasi mensurare; nihilominus ad id utcumque perficiendum, præcepta quædam postea adjicientur, dum criticam delibabimus.

Sicut scientia seu certa quævis cognitio evidens, demonstratione aliqua continetur, ita probabilitas seu potius opinio quælibet, syllogismo probabili vel simplici, vel composito, explicitè vel implicitè continetur. Est autem syllogismus probabilis, cujus vel utraque præmissa vel una saltem probabilitate donatur. Etenim, denominatio syllogismi ex natura ipsius conclusionis maxime sumitur et dependet; ast vero, si aliqua præmissarum probabilis tantum sit, quamvis altera certa sit et evidens, conclusio probabilitatis fines superare nulla ratione poterit. Apud veteres quosdam, syllogismus probabilis, topicus dicebatur.

Sunt quædam communia loca, ex quibus media desumi queunt ad probationes vel argumenta saltem probabilia conficienda: et dico saltem probabilia, quia ex quibusdam ipsorum media demonstrativa accipi possunt. Decem communiter numerantur, quæ sunt:

a) A causis: dum effectus vel aliquid ad ipsum spectans per ejus causam probatur, sive hæc causa interna sit, ut formalis et materialis; sive externa, ut efficiens et finalis.

b) Ab effectu: dum e converso, rei causa vel aliquid eandem attingens, ex effectu probatur, ut existentia et intelligentia Dei ex universi existentia et ordine. Quædam sunt propositiones, hæc duo loca spectantia, quæ axiomatis loco haberi possunt, et alteram præmissam syllogismi sive demon-

strativi, sive probabilis constituere. Tales sunt: *Si effectus est causa est: Posita causa necessaria et totali, ponitur effectus: Quod est causa causæ est causa causati: Sublata causa tollitur effectus.* At horum quædam nec veritatem habent, nec axiomata vere sunt, nisi probe et cum restrictione accipiantur. Sic v. g. pronuntiatum illud: *quod est causa causæ est causa causati*, falsum est si universali et absoluto sensu accipiatur: Deus enim, qui causa est voluntatis humanæ, non est tamen causa peccati ab eadem emanantis. Similiter, quamvis pereat pater, qui est causa filii, non ideo filius perit; unde præfatum axioma: *sublata causa tollitur effectus*, locum tantum habere potest, vel quatenus existentia causæ præsupponitur necessario ad existentiam effectus; vel quoad illos effectus, qui a causa pendent non solum quoad existentiam accipiendam, sed conservandam etiam. Hujusmodi ergo et similia axiomata sub quibus æquivocatio potest latere, vel diversas patiuntur significationes, exponere debet prudens magister.

c) *A subjecto*: dum aliquid de proprietatibus vel accidentibus rei probamus ex natura subjecti cui in hærent.

d) *A definitione*: dum definitionem subjecti vel prædicati adhibemus ad probandum nexum vel repugnantiam quæ inter ea existunt. Quod si definitio essentialis sit, optimam est medium demonstrationis: si vero descriptiva tantum sit, argumentationem modo demonstrativam, modo probabilem constituit, juxta ipsius et rei, de qua agitur, naturam. Quædam etiam axiomata hic assignantur: *Quod convenit generi, convenit speciei: Sublato genere, tollitur species: Quod affirmatur aut negatur de definitione, affirmatur vel negatur de definito: Cui convenit definitio convenit definitum, et vice versa.*

e) *A divisione*: dum aliquid circa partem, ex toto probamus; aut enumeratis omniibus partibus, totum colligimus; aut exclusis reliquis, eam partem quæ sola superest, colligendo deducimus. Hujus loci axiomata sunt: *Si est totum, est pars: Si est in parte est in toto: Exclusis omniibus rei partibus, excluditur totum: Exclusis reliquis partibus valet consequentia ad eam quæ superest.*

f) *A contrariis*: dum ex positione unius contrarii, vel alterius negationem, vel attributum aliquod ipsi convenire ostendimus, ut si dicam: «Petrus est stultus: ergo non est sapiens:» «Virtus est quærenda: ergo vitium est fugiendum.»

Unde hic *contraria* non accipiuntur stricte pro rebus inter quas oppositio tantum contraria intercedit, sed pro qualibet oppositione.

g) *Ab adjunctis*: dum aliquid de re probatur, ex familia, personis, loco, tempore, vel aliis conditionibus quæ ipsam circumstant.

h) *A simili*: dum similitudine vel analogia utimur ad rem probandam.

i) *A nomine*: dum ex nomine aliquid rei convenire arguimus, sive communis et usitata nominis significatio adhibeatur, sive ejusdem etymologia, ut si dicam: «Petrus amat sapientiam: ergo est philosophus.»

j) *Ab auctoritate*: dum aliquid probare intendimus ex sapientum hominum vel peritorum in re illa testimonio. Qua in re, præter alia, quæ postea dicemus, ponderare oportet, 1.º utrum auctor peritus communiter quoad scientiam illam habeatur: 2.º utrum rem ex proprii ingenii viribus perpenderit an ex aliis tantum exscripserit: 3.º utrum subjectam materiam ex professo, ut ajunt, et determinata intentione perpenderit, an vero summis labris, et quasi accidentaliter attigerit: 4.º utrum partium studio agatur, quod conjicere aliqua ratione licebit, ex auctoris indole, vivendi ratione, moribus, familia, patria, et ætate, qua vixit. Sed de his fusius fortasse postea.

Corollaria:

1.º *Ergo falluntur illi qui cum Ant. Genuensi affirmant, probabilitatem esse unum e multis gradibus qui certitudinem constituunt.* Siquidem, ex his quæ hujus articuli initio diximus, satis constat, probabilitatem penitus distingui et sejungi a certitudine, quæ mentis assensum adeo firmum claudit, ut formidinem de opposito penitus tollat.

2.º *Ergo propositio probabilis aut etiam probabilior, falsa esse potest.* Nec enim impossibile est, illud quod nobis maxime probabile et verisimile apparet, falsum revera in seipso existere.

3.º *Ergo probabilitas, saltem quoad nos spectata, mutabilitati subjicitur.* Equidem non raro contingit, id quod prius probabilius nobis videbatur, tanquam minus probabile postea sese nobis offerre, vel quia nova momenta deteximus, vel quia priorum vim attentius perpendifimus. Quinimmò, res quæ ali-

quo tempore probabilior merito apud homines habetur, omnem probabilitatis gradum temporis decursu exuere potest propter momenta oppositum plane persuadentia. Sic probabile olim erat, aquam in antlia ascendere propter horrorem vacui, ut aiebant; at post instituta experimenta in barometro et rebus aliis, præfatus ascensus, gravitati aeris planè tribuendus est, ac proinde improbabilis penitus evasit vetus illa opinio.

SCHOLIUM.

Sicut in theologicis auctoritas primum ac præcipuum obtinet locum, quia vero Dei maximè innititur, quod quidem per determinata organa, Summum Pontificem, concilia, SS. Patres, etc., nobis aperitur et transmittitur, ita e contra in philosophicis disciplinis ac naturalibus scientiis, ultimum locum auctoritas ex se obtinet. Objecta namque et veritates, quæ tum philosophia, tum scientiæ physicæ et naturales pertractant, cum rationis naturalis vim non superent, ratione, observatione et experimentis dignosci possunt ac firmari. At ea quæ Theologia expendit, arctum nexum habent cum veritatibus et objectis supra rationem hominis positis: proinde ratiocinatione quidem utitur Theologia, sed cujus fundamenta prima ac principia divino testimonio continentur; unde non potest quin maximam vim et frequentiore usum auctoritas in theologicis habeat. Cave tamen ne inde inferas, sapientum auctoritatem in philosophicis et naturalibus, prorsus contemnendam esse. Immò, quamvis rationi evidenti vel urgenti postponenda sit hæc auctoritas in philosophicis, maximi tamen faciendâ est, 1.º quia minora et mediocria ingenia, nec omnia momenta quæ sapientes viri, nec eorum robur plenè et facile capiunt: 2.º quia dum de rebus vel scientiis agitur nobis parum notis, ratio ipsa postulat ut sapientioribus et peritis in hisce rebus fidem faciamus. Auctoritas ergo rationi postponenda, at simul ratio auctoritate temperanda in scientiis philosophicis, physicis, et naturalibus.

ARTICULUS SEXTUS.

De syllogismo sophistico.

Quamvis *sophisma* et *fallacia* pro eodem sæpe sæpius usurpentur, differunt ad rigorem metaphysicum. *Sophisma enim est vitium argumentationis cujus vi hæc falsum concludit.* Unde abstrahit ab animo fallendi. At *fallacia* significat idem vitium, dum argumentationi animo fallendi vel irretiendi adversarium, admixcetur.

Sophismata in argumentatione ex triplici fonte oriri possunt, nimirum, *ex forma, ex dictione, ex rebus.* Prætermittis igitur his quæ *ex forma* oriuntur, quippe quæ in regulis syllogismi præoccupata jam sunt, reliqua breviter percurramus:

Præcipua sophismata *ex dictione* sunt:

a) *Æquivocatio*, apud Græcos *homonymia*, quæ dici potest: *significatio diversa unius et ejusdem nominis.* Quæ diversitas contingere potest: 1.º quia nomen plura diversa æquè principaliter significat: 2.º quia unam rem proprie, alteram metaphoricè: 3.º quia rem aliquam directe, alteram quasi indirecte et ex consignificatione analogâ. Sic *peccatum*, directè malum morale et culpæ maculam significat, at ex consignificatione vel analogia quadam, hostiam piacularem pro peccato; quo sensu ait Apostolus de Christo: *Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, id est, hostiam pro peccato seipsum fecit. Exemplum hujus sophismatis habebis si eum Bajo dicas: *Quod non est ex fide peccatum est, ut ait Apostolus: sed infideles fidem non habent: ergo infidelium opera sunt peccata:* æquivocatio hic latet, quia *fides* in majori significat conscientiam moralem; at in minori, virtutem theologicam.

b) *Amphibologia*, quæ est voluti æquivocatio integrè orationis, dici potest: *ambiguus orationis sensus.* Quæ sensus ambiguitas oritur, vel ex eo quod oratio ex se multa significat, ut illud vulgatum: *ajo te Æacida Romanos vincere posse;* vel quia metaphoricum sensum involvit, ut illud Christi: *Neminem per viam salutaveritis*, quod non prout jacet accipere oportet, sed ad indicandum maximam celeritatem et diligentiam in evangelii prædicatione.

c) *Sensus compositus et divisus*: dum, scilicet, inter arguendum fit transitus a sensu composito ad divisum vel e converso. Exemplum: *Omnis homo potest ambulare; sed Petrus catenis vinctus est homo: ergo catenis vinctus potest ambulare*: fit transitus a sensu diviso ad compositum in secunda præmissa et conclusione.

d) *Accentus sophisma* tunc adest, quando vocabuli significatio variatur ex ipsius mutatione, vel quoad quantitatem, vel quoad orthographiam: ut si *occido* cum penultima longa mutetur in *occido* cum eadem brevi, si *habeo* mutetur in *abeo*, etc.

e) *Figura dictionis*, quod, sicut et præcedens, minoris momenti est sophisma, et contingit quando dictio alteri similis eodem omnino sensu accipitur, cum tamen sensu tantum accommodo juxta rei naturam accipiendum esset. Sic sophisma hoc offenderet, sicut offendebant Ariani, qui ex eo quod Christus Patrem præcatus fuerit de discipulis, ut *sint unum sicut et nos*, colligeret non majorem unitatem inter Patrem et Filium intercedere quam inter homines per charitatem unitos.

Sophismata præcipua ex rebus hæc sunt:

a) *Accidentis*: dum, nempe, fit transitus ex eo quod rei accidentaliter congruit ad id quod essentialiter, vel vice versa. Exemplum: *iste servus est pater; sed iste servus est tuus: ergo est pater tuus*. Ac generatim occurrit hoc sophisma dum suppositio termini variatur, ut apparet si dicas: *homo est species: sed Petrus est homo: ergo est species*.

b) *Transitus a simpliciter ad secundum quid, et e converso*: dum vel ex eo quod simpliciter verum est deductio fit ad id quod secundum quid tantum est verum, vel ex vero secundum quid ad verum simpliciter. Exemplum prioris: *Lex divina ait: non occides: ergo non licet carnifici hominem a iudice damnatum occidere*. Posterioris: *Petrus ætiops est albus secundum dentes: ergo ætiops est albus*. Huc revocari etiam potest transitus a sensu hypothetico ad absolutum, ut si dicas: *Nisi penitentiam egerit peccator peribit; sed hic homo est peccator: ergo peribit*.

c) *Ignoratio elenchi*, quæ duobus modis accidere potest: 1.º dum tanquam contradictoria afferuntur, quæ vere contradictionis leges non servant, v. g.: *Deus est impassibilis; sed Christus passus fuit: ergo non est Deus*; impassibilitas enim et

passibilitas in Christo secundum diversas naturas reperiuntur; unde vera non adest contradictio, quæ debet esse *ad idem, secundum idem, similiter, et eodem tempore*: 2.º dum inter arguendum, non probatu thesis, quæ ostendenda erat, sed alia ipsi quadantenus similis, v. g.: si arguas cum cartesianis: *calor non sentitur nisi in rebus perceptione præditis: sed corpora calida sensu destituuntur et perceptione: ergo calor non existit in rebus calidis, sed in anima tantum*.

d) *Petitio principii*, tunc habetur quando ad thesis probationem assumitur id quod in eadem continetur. Et tripliciter accidere potest: 1.º si pro medio assumatur thesis probanda paulisper quoad voces inmutata: 2.º si assumatur tanquam per se nota cum revera non est: 3.º si id quod ad thesim probandam assumitur æque ignotum vel dubium sit ac thesis ipsa. Quod si petitio principii ita fiat quod a probatione ad thesim, et vicissim a thesi ad probationem per identitatem vel æquivalentiam significationis regrediamur, exurgit tunc *circulus vitiosus*; ut si quis probaret Platonem fuisse discipulum Socratis, quia Socrates fuit magister Platonis, et hoc postremum probaret, ex eo quod Plato fuit discipulus Socratis.

e) *Consequentis*, quod sophisma tunc occurrit, quando arguitur ex conversione eorum quæ revera non convertuntur; ut si in syllogismo conditionali arguatur ex negatione antecedentis ad negationem consequentis, v. g.: *Si Petrus currit, movetur: sed non currit: ergo non movetur*.

f) *Non causæ ut causæ*, dum effectus tribuitur causæ a qua revera non profluit. Exemplum: *aliqui episcopi et sacerdotes catholicæ Religionis peccatis indulgent: ergo catholica Religio non est bona. Catholici potestati seculari non obediunt in his quæ Religioni adversantur: ergo Religio Catholica inobedientiam et seditionem fovet*. Non enim Catholica Religio est causa aut inobedientiæ, aut peccatorum ab ejus ministris perpetrarum, sed abusus potestatis temporalis, quæ præcipit quod jure non potest, et passiones vel malitia hominum. Sophisma hocce, sicut et petitio principii latissime patent, et frequentissime occurrunt non solum in familiari consuetudine, sed in quamplurimis conscriptis libris et ephemeribus.

g) *Interrogationis*, dum, nempe, plures vel oppositæ interrogationes simul proponuntur et convolvuntur, quatenus ex

alterius determinata responsione, falsum vel absurdum aliquid colligatur.

SCHOLIUM.

Ut cuique attentius rem consideranti facile patebit, sophismata omnia vel fere omnia, catenus argumentationem vitiosam reddunt, quatenus efficiunt in ipsa reperiri quatuor terminos, ut observare licet in *equivocatione, amphibologia, sensu, composito et diviso, dicto simpliciter et secundum quid, sophismate accidentis*, etc. Excipe tamen *petitionem principii*, quæ ideo sophisma constituit, quia duos tantum terminos complectitur. Atque ex hoc colligere licet, sophismata cuncta, sive *ex forma, sive ex dictione, sive ex rebus*, ideo sophismata vere dici et esse, quia vel per excessum, vel per defectum a prima syllogismi regula deficiunt. Ergo jure merito Aristoteles edixit, essentiam syllogismi in eo sitam esse, quod tribus terminis constet.

SECTIO SECUNDA.

Logica specialis seu applicata.

Cartesius, Spinoza, Locke, Arnauld, sive quisquis auctor sit *Artis cogitandi*, cum aliis bene multis, præsertim e cartesianæ scholæ, Logicæ objectum et terminos ita proteaderunt, ut in eam induxerint controversias circa naturam facultatum animæ, originem cognitionis, naturam et originem idearum, et alia ad psychologiam et ideologiam spectantia. At contra ea, fuere nonnulli, inter quos eminent Hamilton et Kant, qui fines Logicæ ita contrahunt, ut contendunt in ea solum tradendas generales leges syllogismi *puri*, id est, ab omni materia abstracti. Ex quo colligunt nulla ratione ad eandem spectare de certitudine, aut veritatis criterio, de probabilitate, fide, methodo, etc. pertractare. Nobis ea insidet sententia, hæc postrema, ad Logicam, si non primario, at certe secundario saltem spectare, atque conferre plurimum ad perfectam ipsarum legum generalium ratiocinationis notitiam: at simul abhorremus ab illorum opinione et praxi qui non qualibet psychologię et ideologię notiones, sed plenas ac difficiliore controversias harum scientiarum Logicæ admixcent. Hanc itaque mediam viam tenentes agemus: 1.º de ipsa Logicæ: 2.º de veritate et ejus criterio: 3.º de critica quatenus ejus ope certa, probabilia, et dubia dijudicamus: 4.º de methodo.

CAPUT PRIMUM.

DE IPSA LOGICA.

«Ratio, ait D. Thomas, (1) non solum dirigere potest inferiorum partium actus, sed etiam actus sui directiva est: hoc

(1) 4.º *Poster. lect. 1.º*

enim est proprium intellectivæ parti, ut in seipsam reflectatur; nam intellectus intelligit seipsum, et similiter ratio de suo actu ratiocinari potest. Sicut igitur ex hoc quod ratio de actu manus ratiocinatur, adinventæ est ars ædificatoria vel fabrilis, per quas homo faciliter et ordinatè, hujus actus exercere potest; eadem ratione, ars quædam necessaria est, quæ sit directiva ipsius actus rationis, per quam, scilicet, homo in ipso actu rationis ordinatè et faciliter, et sine errore procedat. Et hæc est ars logica, id est, rationalis scientia, quæ est circa ipsum actum rationis sicut circa propriam materiam.

Præclaris hæc D. Thomæ verbis continentur, ut intuenti facile patet, cuncta ea quæ de Logica quærere oportet ac scire; nempe, Logicæ artificialis necessitas, existentia et utilitas, ejusdem naturæ, objectum. De quibus ut aliquid dicamus sit.

ARTICULUS PRIMUS.

De necessitate et utilitate Logicæ.

Logica generatim spectata definiri potest cum Tullio: *disserendi ratio et scientia*. Dispersitur tamen in naturalem et artificialem; quarum prima est, *facultas seu vis ratiocinandi homini ex natura insita*. Ea proinde, homines cuncti, etiam imperiti et rudes donantur; etenim sine ullis artis præceptis, sed ex solo rationis lumine, homo accuratas ratiocinationes conficit, vera a falsis, certa ab incertis et sophisticis, non raro discernit. *Artificialis vero Logica est, scientia rectè ratiocinationis leges complectens, quibus mens ad verum faciliter et ordinate adsequendum dirigatur.*

Itaque Logicæ artificialis officium est mentem dirigere ac firmare, ut verum a falso, certum ab incerto discernere, valeat; potissimum vero, ut scientificas demonstrationes conficiat et ad prima principia resolvat. Hinc est, quod ejus officium per cunctas vagatur scientias; unde non immerito *modus sciendi* ab Aristotele dicitur; quippe quæ instrumentum generale omnium scientiarum, sive *generalis introductio ad scientias* posset nuncupari.

Atque exinde jam colligitur utilitas et præstantia hujus Logicæ artificialis. Namque si inferiora et externa opera, ut canere, ædificare, pingere etc. arte dirigente ac naturalem vim

firmante et perficiente indigent, ad opera ejusmodi ordinate, faciliter et tuto perficienda, nulli dubium quin ratio ipsa, arte aliqua indigeat, qua firmetur et dirigatur in investigatione veritatis; nec enim minor, immò major est difficultas in recto judicio et accurata ratiocinatione instituendis et perficiendis in qualibet materia, quam in supra adductis operibus inferioribus externis.

Jam, si quis quærat de necessitate Logicæ artificialis, quoad reliquas scientias acquirendas, distinctione opus est. Nam vel agitur de scientia *perfecta*, quo nomine intelligo pleniorum et perfectiorum notitiam conclusionum et veritatum ad aliquam scientiam spectantium, ita ut per demonstrationes etiam complexas certo dignoscantur, et ad propria principia resolvi queant; vel agitur de scientia *imperfecta*, quæ tunc habetur dum quis, aut aliquas tantum aut faciliores scientiæ veritates demonstravit cognoscit, simul tamen plures alias vel ignorat, vel saltem demonstrare, et ad principiaolvere non valet.

Existimo igitur, scientias perfecte haberi non posse absque artificialis Logicæ subsidio. Idque triplici potissimum ratione: 1.º quia plurima quæ adsunt impedimenta ad verum adsequendum et a falso discernendum, præjudicia, nempe, multiplicis generis, animi passiones, sensuum pericula, imaginationis æstus, insitæ animi propensiones ad hæc vel illa objecta, cætera hujusmodi, possibile non est vitare, quantum ad perfectam scientiam exigitur, sine artificialis Logicæ ope, doctrina et subsidio. 2.º Quia complexas ac longiores demonstrationes accurate conficere absque cognitione legum ratiocinationis, quæ in Logica artificiali edocentur, tanquam moraliter saltem impossibile haberi potest. 3.º Quia has ipsas demonstrationes ad principiaolvere, earum rectitudinem et indeficientiam ostendere, easque simul contra impugnantes tueri, prout scientia in statu perfecto postulat, res est vel plane impossibilis, vel nimium difficilis ei, qui artificialem Logicam minime callet.

Ast vero, si de scientia imperfecta agatur, acquiri ea proculdubio potest ex solius Logicæ naturalis, seu luminis rationis subsidio, prout ipsa quotidiana experientia evincit. Præterea, hominum quorundam ratio ita a natura instituta existit, ut naturali quadam propensione ac quasi veri instin-

ctu, verum a falso facili ratione discernat: unde in ipsis naturalis Logica vegetior existit ac majorem obtinet vim quam in aliis hominibus ea, quæ artificialis dicitur.

SCHOLIUM.

Baco et qui cum eo scholæ empiricæ nimium indulserunt, syllogismum, qui præcipuum est opus et objectum artificialis Logicæ, et cui cætera logicalia subordinantur, parvi faciendum existimarunt, atque ipsi unam inductionem, quæ naturæ observatione nititur, substituendam autumarunt. Ex opposito, Cartesius ratiocinandi leges ex interno et privato examine virium animæ, exclusis doctrinis et opinionibus anteceptis, cuique eruendas esse profitetur; ex quo factum est, ut cartesianorum Logica, non pauca complecteretur ad psychologiam et ideologiam spectantia. Itaque Baco, contemplationem naturæ tanquam verum Logicæ fontem habuit; Cartesius, observationem propriæ cogitationis: primus, fontem externum unice Logicæ assignavit; alter, fontem internum. Ast vero Aristoteles et Scholastici cum eo, merito Logicæ duos simul fontes assignarunt; primum *internum*, nempe, examen ratiocinationis in seipsa ac in suis elementis, quæ sunt termini et judicia; alterum *externum*, nempe, natura ipsa rerum, et oralis sermo, mentis conceptus exprimens. Ac olim quidem, nec multis ab hinc annis præjudicia scholis baconianæ et cartesianæ faventia effecere, ut Aristotelis Logica respectui traderetur; ad hodie nunc præjudicii rejectis ac re ad veritatis leges discussa, critici fere omnes ac philosophi, qui hoc nomine digni censentur sciunt et agnoscunt, Stagiritæ Logicam absolutissimum existere opus, ratiocinationis criticem ac leges accuratissime exponens, et cui difficile sit quidquam alicujus ponderis addere. (1)

(1) Apposite ad rem Tredelemburg in Præf. *Element. Log. arist.* de Aristotele ita loquitur: «Quæ exposuit, ea quoniam non dies commentus est, nec dies debet; valuerunt per duo millia annorum, agnoscuntur, suspiciuntur vel ab iis hodie philosophis, qui ab Aristotelis Logica quam longissimè recessisse videbantur. Hæc igitur sunt, quæ tanquam rata et certa gymnasiis commendentur. Ut in

ARTICULUS SECUNDUS.

De natura Logicæ.

Prænotanda:

1.º Scholastici quinque habitus seu virtutes intellectuales distinguere solebant, juxta quintuplicem modum, quo ratio humana ad verum faciliter attingendum fertur. Atque sunt:

a) *Intelligentia*, quæ apud D. Thomam *intellectus* sæpe audit, et nihil est aliud quam *facilitas illa qua hominis intellectus prima principia seu veritates immediate evidentes, statim ac ipsi offeruntur, percipit ac intuetur*. Mens siquidem nostra ad percipiendam et amplectendam veritatem primorum principiorum, ex innata vi et ineluctabili fertur pondere, ita ut semel ac veritates præfate ipsi objiciuntur assensum nequeat cohibere. Cujus rei ratio est, quia hujusmodi veritates primæ continent et expriment relationes necessarias et essentielles rerum, quatenus in ideis divinis præcontinentur, et Dei ipsius intelligentia percipiuntur; unde cum nostra ratio sit quædam *impressio Divini luminis in nobis, ac similitudo increate veritatis in nobis resultantis*, ut scite ac profundissime docet Div. Thomas, nihil mirum quod in ipsa implicite et virtualiter contineantur præfate veritates, quæ proinde connaturales menti quodammodo, et implicite innatæ dici queunt. Quandoquidem, quævis vel imperfectissima rerum et terminorum, quibus constant, perceptio, sufficit ad hoc ut quasi intuitionem quadam spontanea, immutabili ac instantanea intellectus percipiantur. Ex quibus collige: 1.º *intelligentiam* non dicendam esse virtutem intellectualem acquisitam, sed potius naturalem vel quasi naturalem: 2.º eam esse prin-

geometria Euclides, sic in logicis Aristoteles sæculorum vicissitudines ita superavit, ut uterque exemplar sit in quod intueantur et æquales, et posterius. Qui geometriæ elementa petit, ad Euclidis et evidentiam et elegantiam; qui Logicæ, ad Aristotelis et sublimitatem et simplicitatem redire jubeatur.

cipium fundamentale omnium scientiarum, tum quia evidentia et certitudo cujusvis scientiæ ex primis principiis derivantur, tum quia scientia quævis nihil vere est aliud quam vel applicatio principiorum ad facta particularia, vel evolutio veritatum quæ in ipsis primis principiis virtualiter continentur. Hæc serio recogitet magister ac discipulis exponat; nam si semel, prout oportet, penetrentur, difficilioribus problematibus psychologiæ, ideologiæ, ac etiam ontologiæ et moralis, magnam lucem affundunt. Cæterum, si hæc prima principia practica sint, et ordinem moralem spectent, ipsorum habitus seu facilitas intellectualis, *synderesis* appellari solet.

b) *Sapientia*, altera intellectualis virtus describi potest: *cognitio certa et evidens rei per causas sublimiores*. Unde hoc nomen Metaphysicæ et Theologiæ tribui solet, eo quod rerum scientificam notitiam quærent et tradunt per primas, nobilissimas, et aliores causas, tum essendi, tum cognoscendi.

c) *Scientia est cognitio certa et evidens rerum per causas inferiores*. Unde quælibet cognitio circa objectum aliquod magis aut minus universale per veram et genuinam demonstrationem acquisita, scientiæ denominationem potest suscipere.

d) *Prudentia* posset describi: *habitus seu facilitas perficiens rationem ad dirigendas et exequendas humanas actiones, quatenus moralem ordinem attingunt*. Etenim, præter actiones eas, quæ ex sua ipsa natura et essentia ad ordinem moralem spectant, ut colere Deum, diligere proximum, honorare parentes, sunt et aliæ in quibus vel semper adinvenitur, vel saltem adinveniri potest bonitas aut malitia moralis, præter bonitatem aut malitiam physicam, quam primo et directe spectant, ut pingere, ædificare, et reliqua similia, quæ circa externam materiam peraguntur. Omnes igitur hominis actiones, quatenus ordinem moralem attingunt et ingrediuntur, per prudentiam diriguntur et ab ipsa pendent. Ex his porro illæ, quæ circa exteriorem versantur materiam, alio præterea habitu seu facilitate indigent ex parte intellectus, ut rectitudo seu bonitas et perfectio physica ipsis debita ordinate et faciliter attingantur. Atque hujusmodi habitus

e) *Ars* dicitur, et est: *facilitas quædam studio et usu comparata, qua intellectus perficitur ad dirigenda et exequenda*

opera externa. Itaque, sicut prudentia mentem perficit quoad hominis opera, primo et principaliter quatenus intra mentem ipsam perficiuntur, secundo et minus principaliter quatenus exterius exercentur et rebus aliis applicantur, ita e contra, ars respicit hominis opera, primo et principaliter quatenus et exterius exercentur et exteriori materiæ applicantur, secundo et minus principaliter quatenus voluntaria sunt interne et ad finem moralem referri possunt; nam si interne spectentur ex parte intellectus, id est, quatenus præfata opera mente concipi, ordinari et dirigi debent, antequam executioni mandentur, ad artem non secundo, sed primo et principaliter spectant. Quia prudentia præcipue respicit actiones hominis quatenus sub ordine morali a ratione et voluntate egrediuntur, ars vero hominis operationes quatenus in externa materia aliquid producunt, ideo apud Scholasticos dicebatur prudentia, *recta ratio agibilium*; ars vero, *recta ratio factibilium*. Quibus prælibatis sit

THESIS.

Logica est vera scientia, aliquid tamen de artis natura participat.

Prob. 1.^a pars. Scientia, ex nunc dictis, est cognitio certa et evidens rei per causas, ac per veram demonstrationem acquisita: sed Logica plurima de suo objecto certo et evidenter demonstrat, ex. gr. quod definitio essentialis debet constare genere proximo et differentia, quod syllogismus tribus tantum terminis constare debeat, quod ex duabus præmissis negativis nihil inferri potest, quod contradictoriæ non possunt esse simul veræ etc. quorum rationem et causam ostendit et demonstrat ex principiis per se notis et necessariæ veritatis, prout sunt principium *contradictionis*, principium *identitatis*, et principia, *dici de omni et dici de nullo*: ergo Logica vere habet rationem scientiæ, quatenus, nempe, de recta ratiocinatione tum in seipsa, tum in suis elementis spectata, scientificè agit.

Artibus tamen quodammodo adsimilatur, ut fert altera thesis pars, quatenus in Logica spectatur complexus seu collectio regularum et præceptorum ad recte perficiendum definitiones, divisiones, syllogismos, etc. quo sensu procul-

dubio *ars bene disserendi* apud Tullium vocatur. Cave tamen eam confundas cum iis quæ proprie artes dicuntur, sive mechanicæ illæ sint, sive liberales, aut quæ *pulchræ artes dicuntur*. (1)

(1) Mirum quod existant dissidia inter philosophiæ ac æsthetici tractatores, circa naturam ac divisionem artium.

Cæterum, si artis divisio ad ea omnia quibus nomen hocce tribui quandoque solet, extendatur, tunc dispescere oporteret artes in *scientificas et non scientificas*; quarum primæ illæ sunt, quæ artes simul et veræ scientiæ existunt, ut logica, medicina, aliæ hujusmodi. Inter eas quæ scientificæ non sunt, aliæ *mechanicæ* audiunt, ut textoria, fabrilis etc. aliæ *liberales* dicuntur, sed nunc frequentius *pulchræ artes*, ut musica, pictura, poësis etc. Atque hæc sunt, quæ proprie et absoluto sensu, artes dicuntur, dum de arte sine addito loqui contingit.

Ast vero, ipsis pulchris artibus insistendo, non una est scriptorum sententia circa earundem naturam ac divisionem. Apud quosdam ars nihil est aliud quam imitatio naturæ: alii artem habent, tanquam liberum phantasiæ productum. Aliqui quatuor tantum pulchras artes admittunt, *sculpturam, picturam, architectonicam et musicam*; quidam his addunt *rhetoricam et mimicam* sive sermonem pedestrem. Alii ser. enumerant pulchras artes, nimirum, *eloquentiam, musicam, poësim, sculpturam, pingendi artem, et architectonicam*.

Porro, in arte considerare oportet, *essentiam, finem, legem*. Artis essentia in communi spectata, definiri potest: *forma quædam qua in determinato subjecto exprimitur pulchritudo idealis et absoluta*. Proprium siquidem est operum artis in anima excitare, non ideam tantum, sed sensationem pulchri, (sentimiento de lo bello) idque potius quoad pulchritudinem moralem, idealem et absolutam, quam quoad pulchritudinem corpoream vel physicam. Ex quo inferitur, quod *finis* artis est representare et exprimere pulchritudinem moralem et idealem per pulchritudinem physicam, ita ut formæ et pulchritudines ordinis physici et corporei, sint qua si symboliæ figure, quibus ars utitur ad exprimendam et representandam pulchritudinem moralem et idealem. Atque exinde colligitur quod.

Les suprema artis est congrua expressio pulchritudinis morales et idealis; opus siquidem artis, qua tale, eo perfectius erit, quo melius pulchritudinem moralem exprimat in materia et per formas corporeas et physicas. Quinimo etiam, ars quæ magis ad pulchritudinem idealem accedit ex parte expressionis, perfectior reliquis existit. Unde merito adnotavit Gœschler, poësim, ex hoc capite, primum obtinere locum inter pulchras artes. Præstat ipsius verba ex gallico ad patriam transferre sermonem: «El rango más elevado en la gerarquía de las artes pertenece á la poësia; porque mientras en la cultura, la pintura y hasta la música, la idea se revela y percibe a

Sed objicies: Scientia est de rebus necessariis et immutabilibus: sed objecta circa quæ Logica versatur non sunt necessaria nec immutabilia: ergo Prob. min. Logica agit de definitione, propositione, syllogismo aliisque similibus, quæ utpote rationis entia, et contingentia sunt, et a ratione pendunt: ergo.

Resp. Dist. maj. Scientia est de necessariis *quoad existentiam*, neg. *quoad essentiam et proprietates seu attributa cum ea connexa*, conc. Et similiter distinguenda minor. Utique definitiones ex. gr. vel syllogismi, effici aut non effici possunt a nobis, ac proinde contingentia et mutabilitati subsunt quoad existere vel non existere; at minime quoad essentiam et proprietates, nec etiam quoad leges quibus subijci debent. Definitionem possum conficere vel non conficere, sed efficere nequeo ut *recta* sit definitio, quæ certas non servat leges. Similiter, sive existat syllogismus sive non, semper verum erit ad ejus naturam pertinere quod tribus tantum terminis constet. Sane, si opus esset scientias esse de rebus necessariis et immutabilibus quoad existentiam, nulla agnoscenda esset tanquam scientia præter eam, quæ de Deo agit. Sed

Instabis: Logica habetur et vere est instrumentum scientiarum: ergo non est scientia.

Resp. Est instrumentum *purum*, neg. instrumentum *scientificum*, conc. Duplicem respectum in Logica oportet considerare; primum, quatenus refertur ad propriam materiam seu objectum, scientificæ et per causas tradendo et edocendo quæ ad definitionem, divisionem, universalialia, syllogismos spectant; et sub hoc respectu omnes obtinet condiciones ad rationem scientiæ requisitas. Alter respectus seu ordo ipsi

través de medios puramente materiales, en la poësia el medio mismo de expresion viene á ser casi exclusivamente espiritual: este medio es la palabra viviente. Al paso que la música solo hace sensibles las impresiones, y las artes plásticas no pueden realizar mas que formas, la poësia une el ritmo musical y la armonía á las formas fijas de las artes plásticas. La idea brilla aquí en la palabra viviente: el poeta, dueño de las dificultades técnicas y no teniendo que luchar con la materia, debe en cambio sacar la materia del fondo mismo de su imaginacion.» Vid. etiam Cousin, *Du Vrai, du Beau et du Bien* lect. 9.

inest, quatenus ad materiam et objecta aliarum scientiarum referri potest, nimirum, quatenus scientia ratiocinationis in seipsa et in suis elementis spectata, quæ est ipsissima Logica, huic vel illi materiæ potest applicari; sub quo plane respectu merito dicitur instrumentum aliarum scientiarum. Logica sub priori respectu, seu quatenus primum munus exerit, dicebatur a Scholasticis, Logica *docens*; quatenus alterum munus exerceat, Logica *utens*.

ARTICULUS TERTIUS.

De objecto Logicæ.

Prænotanda:

1.º Objectum scientiæ illud dicitur, quod ejus considerationi et investigationi subicitur. Et duplex distingui solet, *materiale*, quod constituitur per materiam illam vel res quas scientia considerat; et *formale*, quod dicitur ratio illa, quam in rebus illis præsertim querit et attingit. Sic radii lucis sunt objectum materiale optici, quia sunt materia circa quam versatur; sed ejusdem objectum formale est motus ipsorum, quia optica in radiis lucis non eorum naturam aut omnes proprietates considerat et querit, sed eorundem motum et directionem dum in diversa corpora impingunt. Simile quid in facultatibus seu potentiis, quæ non secus ac scientiæ determinata objecta respiciunt, licet observare: nam quamvis objectum materiale visus ex. gr. sint corpora, attamen ejusdem potentiæ objectum formale, est color quo quasi medio, ad corpora ipsa perlingit. Si objectum materiale et formale simul accipiantur, constituunt integrum et totale scientiæ vel potentiæ objectum, quod proinde *objectum attributionis* audit.

2.º Ast vero, quoniam scientia quævis, proprietates, attributa et prædicata sui objecti vestigare et dignoscere nequit nisi ope quarundam veritatum per seipsas et immediate evidentium, ex quibus suas legitime conficiat demonstrationes, scientia, præter objectum proprium, propria quoque prima principia sibi vendicat, per quæ objectum quasi intellectuallu luce collustratur, ut a scientia possit attingi. Hujusmodi prima principia dicebantur a Scholasticis *objectum*

formale quo, vel etiam *ratio sub qua* scientiæ. Quenam sint prima principia Logicæ, supra jam diximus: superest nunc, ut de objecto materiali et formali ipsius aliquid dicamus.

THESIS.

Objectum materiale Logicæ sunt res omnes a nobis cognitæ; objectum vero formale est ordo seu artificiosa dispositio quam in hujusmodi notionibus ipsemet intellectus ponit.

Prob. 1.º pars. Logica apud omnes, est scientia ratiocinationis, non solum quatenus ratiocinatio in seipsa et privativè spectatur, sed etiam spectata in suis elementis, terminis, nempe, et propositionibus, simul cum his quæ ad horum rectam perceptionem et usum requiruntur, definitione, divisione, universalibus, prædicabilibus, etc.: atqui materia ratiocinationis tum in se, tum in suis elementis spectata, sunt res omnes a nobis cognitæ: ergo hæc constituunt objectum materiale Logicæ. Atque exinde.

Prob. 2.º pars. Nam id quod in hujusmodi rebus, quatenus a nobis perceptis, Logica docet, querit et efficit, est congruus ordo in rebus quomodocumque perceptis, tum ut ipsæ perfectius et distinctius cognoscantur, tum ut ex ipsis ad aliarum notitiam tuto et faciliter perveniamus: ergo objectum formale Logicæ est congrua dispositio notionum, vel conceptum mentis, per quam hæc in suis operationibus perficitur, firmatur et dirigitur ad verum agnoscendum et judicandum. Unde merito D. Thomas: «Ordo quem ratio considerando facit in proprio actu, pertinet ad philosophiam rationalem,» quæ est Logica apud Scholasticos, apud quos etiam ordo ille vel artificiosa dispositio conceptuum dicitur *ens rationis*.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.º Definitio et ratiocinatio sunt objectum formale Logicæ; sed definitio et ratiocinatio sunt operationes intellectus: ergo formale objectum Logicæ sunt ipsæ operationes intellectus, et non ordo ipsarum.

Resp. Dist. maj. Definitio etc. *precisè quatenus actiones intellectus*, neg. *quatenus includunt congruam dispositionem*

conceptuum, conc. Aliud est in ratiocinatione (idem dic de definitione et similibus) ipsa actio, vel operatio vitalis mentis, aliud plane diversum determinata et congrua dispositio terminorum et propositionum ex quibus coalescit. Agere de ratiocinatione, prout vitalis et intellectualis est operatio, ac etiam prout ab aliis ipsius mentis actibus discriminatur, ad Psychologiam pertinet, minime ad Logicam, quæ tanquam proprium sibi vendicat, agere de congrua dispositione et ordine conceptuum per terminos et propositiones, quæ ratiocinationem ingrediuntur: Brevius cum Scholasticis: definitio et ratiocinatio *effectivæ*, non sunt objectum formale Logicæ, sunt vero quatenus *effectivæ*.

Objic. 2.^o Artificiosa dispositio conceptuum est ens rationis: ergo nequit esse objectum formale Logicæ. Prob. cons. Scientiæ specificantur et distinguuntur essentialiter per sua objecta; sed ens rationis nequit dare speciem et distinctionem essentialem enti reali: ergo si artificiosa dispositio, etc.

Resp. Neg. cons. Ad prob. dist. maj. Specificantur et distinguuntur per objecta *extrinsecè*, conc. *intrinsicè*, neg. Et similiter ad min. Dum dicitur scientias accipere ab objecto determinationem specificam et distinctionem, non est intelligendum, objectum esse partem internam et constitutam scientiæ, ad modum quo anima rationalis interne constituit, specificat et essentialiter ab aliis distinguit hominem; sed illud eatenus accipiendum est, quatenus scientiæ non secus ac potentiæ vitales, ordinem transcendentalem includunt ad determinata objecta, qui ordo ab ipsa scientia vel potentia realiter non distinguitur, sed est ipsamet scientia quatenus ex sua ipsa natura commensuratur determinato objecto, tanquam termino quem necessario ex propria natura respicit. Jam vero, nihil obstat quominus realis scientia specificetur et distinguatur ab objecto quod non sit ens reale, si id extrinsecè tantum et per modum termini contingat. Sed

Instabis: Ordo Logicæ ad suum objectum habet esse realis: ergo ejus terminus, nempe, objectum Logicæ debet esse aliquid reale.

Resp. Dist. Ant. Ordo etc. est realis *transcendentalis* conc. realis *prædicamentalis*, id est, relatio proprie dicta tanquam accidens a subjecto cui inest realiter distinctum, neg. Solutio patet ex dictis de relatione.

CAPUT SECUNDUM.

DE VERITATE VARIOQUE MENTIS STATU QUOAD IPSAM.

Scimus equidem disputationem de veritate ad Metaphysicam directe spectare; nos tamen hic eam attingimus, quoniam ejus notio cum his quæ de certitudine, errore, dubio ac veri criterio dicere oportet, nexum habet.

ARTICULUS PRIMUS.

Prænotionis generales.

1.^o Veri denominatio, tum rebus ipsis extra mentem nostram positis, tum conceptibus internis, quibus cognoscuntur et continentur, tum etiam signis externis, quibus præfatam cognitionem aliis manifestamus, non raro tribuimus; dicimus enim *res veras*, notitiam vel cognitionem *veram*, verbum vel sermonem *verum*. Atque hinc exurgit divisio veritatis in *metaphysicam*, *logicam*, et *moralem*.

2.^o Veritas *metaphysica*, est ipsum *ens reale* quatenus habet esse determinatum et adæquatum typo quod ipsi respondet in mente divina. Siquidem, omne ens essentiam habet determinatam, sibi propriam et ab aliis distinctam, quæ essentia præcontinetur et repræsentatur ab æterno in mente divina; ita ut qualibet res, eo ipso quod existit, necessario consentanea est et adæquata alicui ex ideis divinis, quæ continent et repræsentant omnia entia sive actualia sive possible. Unde veritas metaphysica posita est in conformitate seu adæquatione cum mente divina; eatenus enim aurum v. gr. est *verum* aurum, quatenus in se habet naturam consentaneam et imitricem idea auri in Deo ab æterno existenti. Quod intelligere oportet de veritate metaphysica in se spectata; nam si sermo sit de veritate metaphysica *quoad nos*, vel potius quoad *modum* quo nobis eam agnoscere licet, satis notum est, nos nec essentiam ipsam immediate, nec ejus conformitatem cum idea divina posse intueri; sed ejus *veritatem* agnoscimus et quasi venamur ex collatione notarum, effectuum et accidentium, quæ in ea observamus; sic v. gr. agnoscimus

hoc metallum esse *verum aurum*, quia continet notas, characteres et proprietates, quæ in re hoc vocabulo communiter designata, observantur.

Hæc veritas metaphysica, dicitur etiam veritas *rei*, quia identificatur cum essentia rei; veritas *transcendentalis*, quia nullo determinato generi circumscribitur, sed invenitur in omni ente reali, omne enim quod est, in quantum est, verum est. Dicitur demum veritas *objectiva*, tum quia identificatur cum ente reali, quod est objectum nostri intellectus; tum etiam quia ratione ipsius objecta aptitudinem habent ad determinandam in nobis *veram cognitionem* de ipsis: ex eo enim quod hoc metallum est *verum aurum*, et intellectui *meo* obijci potest, et verum fit iudicium quo iudico hanc rem esse aurum.

Ex quo inferitur, ens reale, qua tale, præter comparationem seu adæquationem actualem quam habet cum intellectu divino, quæ primo et principaliter constituit veritatem metaphysicam, involvere etiam comparationem, aptitudinem, seu adæquationem potentialem, virtualem et quasi secundariam cum intellectu humano, quatenus eo ipso quod est ens reale, potest ab ipso cognosci, ac mensurare et regulare *veritatem iudiciorum*, quæ circa illud ens intellectus humanus efformet. Quam doctrinam ex D. Thoma mutuamus, dum ait: (1)

«Res ergo naturalis inter duos intellectus constituta, secundum adæquationem ad utrumque vera dicitur: secundum enim adæquationem ad intellectum divinum, dicitur vera in quantum implet hoc ad quod ordinata est per intellectum divinum... Secundum autem adæquationem ad intellectum humanum, dicitur res vera in quantum nata est de se formare veram existimationem...

...Prima autem ratio veritatis, proprius inest rei quam secunda; quia prior est comparatio ad intellectum divinum quam humanum; unde etiamsi intellectus humanus non esset, adhuc res dicerentur veræ in ordine ad intellectum divinum.»

(1) QQ. Disp. De Verit. q. 1.º art. 2.º

3.º Veritas *logica*, quæ etiam veritas *relativa*, veritas *subjectiva*, veritas *cognitionis* vel *in cognoscendo*, veritas *formalis* nuncupari solet, rectè definitur: *conformitas seu adæquatio intellectus qua cognoscentis cum re cognita*. Cognitionis enim, eatenus *vera* dicitur, quatenus concordat cum re, quæ est objectum vel terminus cognitionis. Ex quo facile inferitur, quod sicut idea divina est quasi mensura et ratio veritatis metaphysicæ, ita veritas metaphysica vel rei, est quasi mensura et ratio veritatis logicæ vel cognitionis.

4.º Veritas tandem *moralis*, nihil est aliud quam *conformitas seu adæquatio sermonis externi cum iudicio interno loquentis*. Tunc siquidem res, *vera moraliter* dici potest, quando exterius enuntiat vel affirmatur id ipsum quod intra mentem et prout intra mentem existit.

5.º Quoniam oppositorum opposita est ratio, *falsitas* quæ veritati opponitur, dispesci etiam potest in *metaphysicam*, *logicam*, et *moralem*. Ast vero, quia metaphysica veritas cum ipso ente reali identificatur, *falsitas metaphysica*, si proprie et in rigore sumatur, vel nullibi existit, vel carentiæ entis, id est, nihilo tantum congruit, quod cum nulla idea divina adæquatur. At si minus proprie et secundario per comparationem ad nostrum intellectum accipiatur, *falsum* metaphysicè illud dicitur, *quod occasionem falso iudicio præbere potest*: quo sensu lapis pretiosus, *falsus* a nobis dicitur ille, qui ex assimilatione externa et imperfecta cum lapide pretioso vero, occasionem errandi de facili præbet minus peritis. Quid sint falsitas logica et moralis, ex dictis facile patet.

Itaque veritatis propria ratio sita est in conformitate seu consonantia inter rem aliquam et intellectum. Veritas enim transcendentalis, per conformitatem inter ens reale et intellectum divinum constituitur; veritas formalis, per conformitatem inter rem cogitam et intellectum cognoscentem; veritas moralis, per conformitatem inter verba et intellectum interiori rem precipientem. Aptissima ergo ac valde philosophica est veritatis definitio a D. Thoma tradita, dum eam dicit *adæquationem rei et intellectus*.

6.º Mens porro nostra in quadruplici præsertim statu versari potest quod ad veri adsecutionem seu rei cognitionem attinet, qui certitudo, opinio, dubium, et ignorantia seu nescientia communiter appellantur. Horum primus, nempe:

a) *Certitudo* tunc habetur, quando intellectus ita perspicua ratione rem aliquam cognoscit, vel saltem sibi cognoscere videtur, ut erga eam iudicium proferat quacumque formidinem falsitatis vel erroris excludens. Unde definiri potest: *intellectus adhesio alicui objecto, ita firma et stabilis, ut nulla formido oppositi remaneat*. Hic mentis status ex sua natura, seu ex propria quasi conditione ad veritatem tendit, verumque objectum tantum respicit; at ex imbecillitate mentis, vel considerationis defectu, in falso quandoque reperitur: ex quo efficitur, ut certitudo de falso objecto, *per accidens* haberi possit.

Præter hanc certitudinem, quæ subjectiva merito dicitur, quia respicit determinatam statum intellectus, qui est subiectum veritatis logicæ seu cognitionis, est et alia quæ ex parte objecti spectatur, quatenus, nempe, res aliqua ejus est naturæ et conditionis, ut humanam mentem ad firmum assensum facile queat pertrahere dum ipsi proponitur. Unde definiri posset: *capacitas vel aptitudo naturalis objecti ad assensum omnino firmum ex hominis intellectu extorquendum*. Dico *hominis intellectum*, quia quæ quoad nos dubia vel objective incerta dicuntur, objectiva certitudine donantur respectu intellectus superioris. Hæc autem certitudo ideo *objectiva* dicitur, quia conditionem objecti, vel veritatem ipsam cognoscendam proprie respicit, non vero statum intellectus a quo potius omnino independens existit; sive enim assensum præbeam vel secus huic propositioni: *totum est majus sua parte*, semper certa consistit certitudine objectiva, quia objectum quoddam est, in seipso continens congruum ac sufficiens motivum ad rationis humanæ assensum extorquendum, nempe, evidentiam immediatam.

Utraque exposita certitudo in *metaphysicam*, *physicam*, et *moralem*, congruè dispescitur. Quarum prima tunc locum habet, quando et assensus ipse mentis, et motivum ad assensum firmiter ac necessario impellens, in ipsa rei essentia vel in necessaria connexionem inter prædicatum et subjectum, fundamentum habent, ita ut prædicatum absque subjecti destructione ab ipso nequeat disjungi in affirmante propositione, sicut in præfata: *totum est majus qualibet sui parte*. Atque hæc dicitur merito certitudo *metaphysica*, quia ejus ultima resolutio fit ad principium contradictionis, quod est fun-

damentale in *Metaphysica* ac quasi lydius lapis omnis veritatis, quæ immutabilitate et necessitate absoluta donatur.

Physica certitudo tunc exurgit, quando mentis assensus et ejus motivum generalibus ac constantibus legibus naturæ physicæ nituntur, ut hæc propositio: *lapis sursum projectus et sibi relictus deorsum lapsurus est*, certitudine physica donatur, quatenus mens ad assensum impellitur ex lege naturæ, quæ deficere nequit nisi per miraculum. Ex quo colligitur, hanc certitudinem, minorem metaphysica aliquo sensu dici posse; siquidem veritas quæ afficitur certitudine metaphysica ullo unquam casu deficere potest, quod tamen accidere potest in propositione affecta certitudine physica.

Certitudo tandem *moralis*, ea dicitur, quæ nec ipsa rei essentia, nec naturæ physicæ legibus nititur, sed potius vel humanæ naturæ moralibus legibus, vel hominum consuetudine, testimonio et auctoritate, ut videre licet in hisce propositionibus: *hæc mater diligit suos filios: Cesar a Casio, Bruto aliisque senatoribus, pleno senatu imperfectus est*; quæ quidem, quantumvis falsæ existerent, nec naturæ leges deficerent, nec contradictio ulla haberetur; at subverterentur quodammodo leges morales quibus humana natura regitur, ac quibus humana societas matuo ligatur ac consistit, præsertim dum præterita agnoscere ac judicare oportet.

Sunt qui moralem certitudinem tribuunt propositioni singulari quæ continetur sub universali, cujus prædicatum, ut in pluribus tantum, convenit subjecto, ut si dicatur: *hæc mater diligit suos filios*; quæ eatenus vera ac certa dicitur quatenus sub hac universali: *omnis mater diligit filios*, continetur. Cui sane opinioni adsentire nequeo; nam si moralis certitudo suo nomini ac definitioni stare debet, opus est ut formidinem omnem et hæsitationem a mente depellat: at propositiones hujusmodi singulares formidinem et hæsitationem omnem expellere nequeunt, cum nec ipsæ universales sub quibus continentur, id efficiant. Itaque, præfata propositiones ad probabilitatem vel opinionem, non ad certitudinem revocandæ sunt, quia non omnem errandi formidinem aut periculum excludunt.

Præ oculis habere oportet, quod nunc exposita certitudinis divisio in metaphysicam, physicam et moralem, per respectum et comparisonem quamdam ad objectivam, et quasi

secundario tantum certitudini subjectivæ tribui debet; etenim, mea saltem sententia, divisio hujusmodi objectivæ tantum certitudini congruit, si proprie et in rigore metaphysico loqui velimus. Eatenus namque moralis a physica, et hæc vicissim a metaphysica præcipue differt, quatenus motiva seu fundamenta diversa sibi vendicant, quibus apta fiunt ad assensum a mente extorquendum. Quinimo, subjectiva certitudo ex seipsa indivisibilis dici potest; nam, vel assensus adeo firmus est, ut omnem errandi formidinem pellat, vel non: si primum, adest certitudo; si secus, mens certa dici nequit. Gradus tamen admittit quodammodo præfata certitudo, tum propter respectum ad motivum objectivum evidentius et immobilius ex sua natura, tum propter majorem vel minorem impetum, facilitatem et celeritatem, quibus assensus firmus exurgit, juxta objectorum et motivorum naturam et conditionem. Quod, ut melius percipiatur, recolere mente oportet, subjectivam certitudinem ex duplici constare elemento, quorum primum positivum dici potest, scilicet, assensus vel adhæsiō mentis; secundum vero, negativum, exclusio, nimirum formidinis de opposito. Igitur gradus quidem subire potest, saltem improprie, ex parte primi elementi, at minime ex parte secundi.

Quænam sint origo et causæ veracis certitudinis, postea dicemus. Quod attinet ad certitudinem *fallacem*, ex qua firmiter falso adhæret mens, duplicis generis causa eidem potest assignari, quarum altera ex parte intellectus se habet, et ad obscuritatem et confusionem perceptionis et idearum ultimo revocatur: altera et præcipua fallacis certitudinis causa, ex parte voluntatis se tenet, quæ ut pote facultas libertate prædita ac aliarum facultatum imperatrix et domina, intellectum ad determinatum assensum concitat et impellit. Atque hæc falsi certitudo, *error* quoque nancupari solet. Nec opus est hominis vitio et culpæ semper id vertere: accidere namque potest, ut prudenter, etiam dum fallimur, judicemus, sive quia obscura rei perceptio vitari vix potest, sive quia tempus non suppetit pro re maturius perpendenda, sive quia quamvis absolutè loquendo distinctius dignosci posset ac dijudicari, res tamen tanti non est, ut longius et accuratius examen mereatur, ipsius conditione et natura attentis. Ex quo colligere licet, omnem quidem errorem seu fallacem

certitudinem, defectum esse *physicum*, at non semper *moralem*. Hujusmodi existit ex. gr. error hæreticorum bonæ fidei, qui ex educatione cæterisque adjunctis ita comparati sunt, ut absque ullo remorsu, vel dubio, sectam, quam profitentur, tanquam veram religionem habeant, præsertim si nihil ipsi adversans, vel legerint, vel audierint.

b) Certitudini e regione opponitur *dubium*, cujus nomine significatur ille *status mentis in quo neutri contradictionis parti assentitur aut dissentitur*. Quæ judicii suspensio, si ex æqualitate rationum seu momentorum pro utraque contradictionis parte militantium, originem ducat, *dubium positivum* constituit: si vero adsensus et dissensus carentia, ex absentia rationum pro utraque parte procedat, *dubium negativum* appellatur. *Dubium*, cum per privationem sive carentiam rei, id est, adsensus et dissensus, constituatur, ex seipso indivisibile est, nec ullos proprie obtinet gradus.

c) Inter *dubium* et certitudinem medium statum obtinet *opinio*, quæ dici posset: *assensus vel dissensus intellectus alteri contradictionis parti, sed cum formidine partis oppositæ*. Unde hic mentis status varios ac diversos partitur gradus juxta majorem, vel minorem vim et pondus rationum et momentorum, quæ intellectum pertrahunt in alteram contradictionis partem: *opinio* enim quasi proprius effectus est probabilitatis, quæ multiplices gradus admittit. Igitur, *opinio* excurrit a *dubio* ad certitudinem veluti ab uno extremo ad aliud, eoque firmior evadit quo certitudini magis propinqua redditur. Ex quo colligere licet, quod *suspicio*, quæ judicium adhuc non continet, sed propensionem quamdam ad ipsum, haberi potest tanquam *opinionis inchoatio* quædam ac primus gradus.

d) *Ignorantia* denique seu nescientia illum mentis statum præ se fert, in quo *intellectus omni privatur cognitione circa objectum*. Quod si hæc privatio cognitionis referetur ad cognitionem necessariam pro judicio efformando, *ignorantia* dicetur *positiva*, nec differt a *dubio positivo*. Si vero excludat etiam quacumque perceptionem et ideam objecti, tunc dicetur *ignorantia negativa*, cui vere congruit exposita definitio, quæque melius exprimitur nomine *nescientiæ*.

ARTICULUS SECUNDUS.

*De veritate.*THESIS 1.^a

Veritas prius ac perfectius congruit intellectui quam rebus.

Prob. Veritas vel est metaphysica, vel logica, vel moralis: atqui harum quælibet prius ac perfectius in intellectu quam in rebus reperitur: ergo.

Prob. min. per singulas partes. Et primo, veritas metaphysica eatenus rebus congruit quatenus proprias sibi naturas, vel essentias adsequuntur; proprias vero naturas adsequuntur per conformitatem, dependentiam et imitationem intellectus divini: ergo veritas huiusmodi per prius ac proinde perfectius in intellectu aliquo, nempe, divino, quam in rebus ipsis reperitur, juxta veterum effatum: *propter quod unumquodque tale et illud magis.*

Quoad veritatem logicam, nulla adesse potest difficultas: quandoquidem hæc non solum prius ac perfectius, sed *unice* in intellectu existit; namque, ut postea ostendemus, veritas huiusmodi non nisi in actu quo intellectus iudicat locum habet. Nec te moveat quod præfata veritas a rebus cognitis pendet; pendet quidem ab ipsis tanquam a conditione, mensura et objecto: at in ratione veritatis logicæ, formaliter et essentialiter constituitur per cognitionem qua intellectus de rebus iudicat, quæ sane cognitio non rebus sed intellectui propria existit. Adde his, veritatem logicam seu cognitionis perfici et compleri intra ipsum intellectum, qui dum aliquid intelligit res ad se quodammodo trahit, eas intelligibiliter præsentat sibi reddens: ex quo consequitur, quod prima et perfecta ratio veritatis logicæ, in intellectu in quo complementum accipit, reperitur. Namque, ut scite habet D. Thomas: (1) «Cum verum dicatur de pluribus per prius et poste-

(1) QQ. Disp. De Verit., q. 1. art. 2.^o

rius, oportet quod de illo prius dicatur in quo invenitur perfecta ratio veritatis. Complementum autem cujuslibet motus est in suo termino per operationem animalis: motus autem cognitivæ virtutis (facultatis seu potentie) terminatur ad animam; oportet enim ut cognitum (objectum) sit in cognoscente per modum cognoscentis.»

Tandem, quod veritas moralis ab intellectu etiam præcipue pendeat, ipsumque proinde prius ac perfectius respiciat, ex eo constat, quod etiamsi exteriora signa seu verba in seipsis falsa sint, nec rebus consonent, vera tamen sunt veritate morali, dummodo intellectui dicentis consentanea existant.

THESIS 2.^a

Veritas logica vel cognitionis in iudicio solum perfecte ac proprie reperitur; at si imperfecte et improprie accipiatur, simpliciter perceptioni et etiam congruit.

Prob. prima pars:

1.^o Veritas logica, ex dictis, est adæquatio intellectus quatenus cognoscentis cum re cognita: ergo in ea solum operatione proprie reperitur, quæ huiusmodi adæquationem continet et exprimit. Atqui intellectus, quæ cognoscens, tunc solum proprie ac perfecte continet et exprimit sui ipsius adæquationem et conformitatem cum re, quando iudicium erga ipsam efformat; siquidem tunc intellectus rei adæquatur, vel non adæquatur, dum ipsi applicat per affirmationem, vel removet per negationem attributum aliquod, quod proculdubio per iudicium perficitur. Atque hinc ostenditur thesis.

2.^o Ex communi hominum sensu et loquendi ratione. Etenim, quantumvis rem quamlibet, ex gr. *solem, centaurum, hominem, divitias* mente concipiam ac etiam verbis exprimam, nec veræ nec falsæ res huiusmodi, nec verba quibus exprimuntur dici queunt, dum ab omni abstineo iudicio: contra vero, cognitio et verba quibus exprimitur, vera continuo, vel falsa evadunt, ex quo iudicium efformo aut profero circa rerum huiusmodi existentiam, vel alia attributa. Ergo veritas logica non quamlibet intellectus operationem, sed iudicatricem tantum proprie comitatur.

5.^a Veritas logica, quippe quæ posita est in conformitate seu similitudine intellectus quæ cognoscentis cum re cognita, est affectio quædam cognitionis et simul perfectio propria intellectus, qua talis; veritas namque intellectum tantum respicit et intellectu possidetur; ergo debet afficere illam operationem intellectus, quæ huic quasi propria existit, et per quam ab aliis cognoscendi viribus seu facultatibus discernitur ac discriminatur. Hæc autem operatio est iudicium, quo intellectus plene ac perfecte discriminatur et discernitur a sensibus; quandoquidem per simplicem apprehensionem seu perceptionem, potius cum his, quoad modum agendi, congruit et adsimilatur.

Altera pars thesis patet:

1.^o Quia si, ut supra est dictum, logica veritas in mentis conformitate ad objectum est sita, quemadmodum et falsitas in ejusdem ad objectum difformitate, colligitur, eam locum habere ubicumque præfata conformitas mentis cum objecto reperitur. Ast vero, simplex mentis apprehensio, vel perceptio, adæquationem quamdam ad objectum involvit, tum quatenus perceptio fit per quamdam representationem seu similitudinem objecti, tum etiam quatenus circa determinatum et peculiare objectum versatur et ad ipsum terminatur, omnis enim qui cogitat, aliquid cogitat et percipit. Ergo virtualiter et in actu exercito, reperiri potest conformitas inter intellectum et rem ex parte simplicis perceptionis.

2.^o Præterea: Simplex mentis perceptio ex sua ipsa natura tendit et ordinatur ad iudicium, in quo proprie et plene veritas logica reperitur: ergo eam participare opus est, aliquid de ratione veritatis logicæ, quæ, ut diximus, in iudicio plene ac perfecte reperitur; quandoquidem, sicut simplex perceptio via quædam est et inchoatio iudicii, ita eidem imperfecte et inchoative congruit veritas logica, quæ in iudicio plene et cumulate reperitur.

THESIS 5.^a

Veritas imperfecta quæ simplici perceptioni congruit, hæc semper per se comitatur, at per accidens simplex perceptio falsitati potest subesse,

Prob. 1.^a pars. Veritas quæ in simplici perceptione, qua

tali, reperitur, nihil est aliud quam representatio intelligibilis objecti intra mentem absque ulla affirmatione vel negatione, non tantum circa ejusdem notas et attributa, sed nec circa ipsam ejus existentiam. Unde cum id in omni perceptione reperitur, aliter enim desineret esse perceptio et cogitatio, is namque qui percipit et cogitat, aliquid percipit et de aliquo cogitat, consequitur modum illum veritatis cujus simplex perceptio est capax, eandem semper ac necessario comitari. Et hoc est quod D. Thomas sibi vult dum ait, quod «intellectus apprehendens *quod quid est* (naturam rei, vel rem quamlibet) absque compositione et divisione, (affirmatione et negatione) semper est verus.» (1)

Sed vero, si simplex perceptio spectetur ex ea parte qua tendit et refertur ad iudicium, cujus est fundamentum et inchoatio, falsa *per accidens*, id est, veluti virtualiter et dispositive, dici poterit; quatenus, nempe, ex defectuosa perceptione natum est sequi iudicium falsum circa rem non recte perceptam. Sic dum concipio *centaurum*, hæc perceptio falsa *per accidens* dici potest, quatenus viam menti sternit ad iudicandum ipsum aliquid reale esse: et generatim perceptio quævis, vel obscura, vel confusa, vel incompleta, sive ex quocumque alio capite defectuosa, falsitati accidentaliter subest, quatenus ad falsum iudicium magis aut minus disponit.

Corollaria:

Primum: *Ergo omne verum dicitur per ordinem ad intellectum.* Namque, ut vidimus, verum transcendens seu metaphysicum, necessario intellectum divinum respicit; veritas logica et moralis, ad intellectum humanum, necessarium similiter ordinem involvunt. Merito ergo D. Thomas: (2) «De quocumque dicatur verum, oportet quod hoc sit per respectum ad intellectum.»

Secundum: *Ergo omnis veritas quæ subest certitudini metaphysicæ, est æterna, necessaria, ac immutabilis.* Hujusmodi enim veritas, ex dictis, rerum essentias, quæ non secus ac

(1) 4.^o *Periherm. lect. 3.^a*

(2) *Id., id.*

ideæ archetypæ, quarum sunt participationes et imitationes, omnino immutabiles existunt, continet et exprimit; atque ad principium contradictionis, quod proculdubio æternum, necessarium et immutabile est, ultimo resolvuntur. Reliquæ vero veritates, non absolute, sed hypothetice tantum immutabiles dici queunt, nimirum, si leges physicæ vel morales, aut etiam existentia rei, (si de singulari et contingenti propositione agatur) non deficiant in casu quem propositio exprimit. Attamen, in totum accipe de veritate *objectiva*, seu quatenus *objecta* respicit; enimvero, si *subjective* spectetur prout affectio quædam est potentia intelligentis, omnis veritas quoad hominem deficere potest, absolute loquendo, ad defectum ipsius intellectus humani, quatenus hic est ejusdem subjectum et recipiens. Atque hoc corollarium maximopere notandum ab eo qui velit vitare confusionem, quæ latere potest in communi illo quasi effato: *veritas est necessaria et immutabilis*.

Tertium: *Ergo gradus omnes ac genera veritatis participationes sunt unius et ejusdem primæ veritatis*. Nam veritas seu veracitas moralis, saltem perfecta, ab intellectu nostro; hujus veritas, ex rerum veritate; ac tandem rei veritatis ratio et mensura, ex mente divina desumitur: cunctæ igitur veritates, in una prima Dei veritate fundantur et continentur.

Quartum: *Ergo una propositio nequit dici verior quam alia, proprie loquendo*. Cum enim veritas cognitionis sive logica, quæ propositionem afficit, posita sit in conformitate mentis cum re cognita, magis et minus, sive gradus ullos suscipere nequit; quoniam inter esse et non esse rei conforme, utpote contradictorie opposita, nulla datur latitudo. Nihilominus, quia veritas cognitionis a veritate rerum mensuratur, res vero hujusmodi non æqua ratione sed magis aut minus rationem entis participant, prout majorem vel minorem sortiuntur perfectionem essendi, ideo *improprie*, et veluti fundamentaliter et objective, hæc propositio magis vera quam alia dici poterit.

SCHOLIUM.

Quia sensus in propriis objectis percipiendis procedunt consimili ratione cum simplici mentis apprehensione, conjuncti-

cere pronum est, ipsos simili quoque modo veri denominationem accipere. Unde sicut mens in prima operatione rebus adæquatur mediis conceptibus seu representationibus intelligibilibus, propter quam adæquationem, *vera* imperfecte denominatur, ita quoque sensus, quatenus feruntur in objectum determinatum ejusque representationem continent, rei perceptæ quadantenus adsimilantur et adæquantur, ac proinde imperfectam saltem veritatis rationem adsequuntur. Nec ad rem istam quidpiam interest, quod sensibilis perceptio fiat per veras similitudines, vel species, sive per ipsum actum immediate, sive quacumque alia ratione; quovis siquidem modo sensatio exponatur, constans semper habetur, eam, representationem quamdam determinati objecti involvere, quod ad rem sufficit. Ast vero, quamvis sensus falsi nequeant dici *per se*, cum objecta percipiant prout exigunt condiciones quibus subjiciuntur, nempe, distantia, mediolorum, organi recte dispositi, etc., attamen *per accidens*, falsitati sunt obnoxii, quatenus objectum ita percipiunt ac menti offerunt, ut nisi diligentem curam adhibeat intellectus pro deceptione, vel potius deceptionis occasione vitanda, in falsum prolabitur judicium. Qua sub ratione, sensus, non secus ac simplex mentis perceptio, virtualiter et occasionaliter falsitati subesse possunt, præsertim dum de sensibilibus communibus et per accidens agitur. Pro quorum omnium pleniori intelligentia animadvertiere oportet, sensum, utpote medium positum inter res externas et intellectum, considerari posse: 1.º prout respicit res quæ ab eo percipi possunt: 2.º prout respicit intellectum cui ministrat, tum proprias affectiones, tum objecta externa percepta. Si ergo spectetur sub priori respectu, sensus, quæ talis, semper est verus, quia semper includit et involvit representationem aliquam rei sive realis sive apparentis. Si vero spectetur sub posteriori respectu, distinctione adhuc est opus: est enim semper verus, quatenus intellectui refert et nuntiat propriam affectionem, vel si malueris, sensationem prout subjectiva est, nam hæc subjicitur legibus necessariis, ac talis semper existit qualem exigunt objecti distantia, medium, organi dispositio, cætera: falsus autem esse potest ex parte alterius muneris, id est, prout intellectui ministrat, et nuntiat objecta externa a sensu ipso percepta; ex hac quippe parte contin-

gere potest, quod occasionem falsi iudicii intellectui præbeat. Appositæ ad rem D. Thomas: (1) «Si autem (sensus) comparatur ad intellectum secundum quod est repræsentativus alterius rei, cum quandoque repræsentet ei aliter rem quam sit, secundum hoc sensus falsus dicitur, in quantum natus est facere falsam existimationem in intellectu, quamvis non necessario faciat... sic ergo sensus intellectui comparatus semper facit veram existimationem in intellectu de dispositione propria, sed non de dispositione rerum... Sed secundum hoc quod sensibile apprehendit, non est ibi veritas et falsitas proprie, sed solum secundum ordinem ad iudicium... prout, scilicet, ex apprehensione talj natum est sequi tale vel tale iudicium.»

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Adversus primam thesim objicies 1.^o Verum convertitur cum ente; atqui ratio entis non prius aut perfectius intellectui quam rebus ipsis congruit: ergo.

Resp. Dist. maj. Verum metaphysicum convertitur cum ente, conc. verum logicum, subdist. convertitur per prædicationem, neg. per convenientiam, conc. Equidem, verum metaphysicum vel transcendentale merito cum ente dicitur converti, quia nihil reale ipsi addit. Ad si de veritate logica seu formali nostri intellectus sermo sit, hæc cum ente circa quod cognitio versatur non convertitur per prædicationem; non enim dicere possum quod meæ cognitionis veritas dum efformo ex. gr. hoc iudicium: *sol extensione magna donatur*, idem sit a parte rei cum sole ipso, ad quem iudicium et ejus veritas referuntur. Bene tamen dici potest quod veritas hujusmodi cum ente sive cum objecto ipso reali convertitur per convenientiam; quia præfatum iudicium eatenus verum existit et dicitur, quatenus congruit et adæquatur cum re, quæ ipsi extra animam respondet. Quæ solutio est etiam in terminis D. Thomæ, qui (2) sic habet: «Verum dicitur per prius

(1) QQ. Disp. De Verit., q. 46.^a, art. 44.^o

(2) QQ. Disp. De Verit. q. 1.^a, art. 2.^o ad 4.^m

de intellectu et per posterius de re sibi adæquata; et utroque modo convertitur cum ente, sed diversimode, quia secundum quod dicitur de rebus convertitur cum ente per prædicationem, omne enim ens est adæquatum intellectui divino et potens sibi adæquare intellectum humanum et e converso. Si autem accipiatur verum, prout de intellectu dicitur (verum logicum seu cognitionis), sic convertitur cum ente, quod est extra animam, non per prædicationem sed per convenientiam, eo quod cuilibet vero intellectui, (vero iudicio) oportet quod respondeat ens aliquod.»

Objic. adversus 2.^{am} thesim. Ubi est comparatio intellectus ad rem, ibi est etiam ipsius adæquatio ac proinde veritas proprie dicta; atqui mens in simplici perceptione cognoscit per comparisonem ad rem, ut dum cogitat *animal rationale*, istum conceptum ad hominem refert, et non ad lapidem: ergo.

Resp. Dist. min. Mens etc. cognoscit per comparisonem *ex parte modi intelligendi*, conc. *ex parte rei cognite*, neg. Utiq; mens simpliciter et incomplexè aliquid percipiens, comparatione utitur eamque exercet quoad modum agendi, quia eatenus rem percipit quatenus ejus similitudine seu repræsentatione informatur. Ast vero quoad rem ipsam cognitam, tunc vere dicitur quod intellectus per comparisonem cognoscit, dum comparisonem ad ipsum objectum refert atque in ipso ponit et exercet, quod sane tunc tantum locum habet, quando mens in objecto cognito diversa distinguendo et comparando, unum alteri attribuit, vel ab eo sejungit per affirmationem vel negationem.

Instabis; Sed mens dum simpliciter percipit intelligit per comparisonem etiam quoad rem cognitam: ergo. Prob. subs. Ibi mens per comparisonem ex parte rei cognite intelligit, ubi falsitas reperitur; atqui mens in simplici perceptione falsitati est obnoxia, ut patet, dum unius rei definitionem ad rem alteram refert, vel dum definitionem conficit pugnantibus inter se terminis, puta, si circulum concipiat tanquam figuram triangularem: ergo.

Resp. Neg. antec. Ad prob. omiss. maj. dist. min. Mens in simplici perceptione falsitati est obnoxia *per accidens*, conc. *per se seu ex parte ejus quod sibi est proprium*, neg. Itaque intellectus rem seu rei naturam simpliciter apprehen-

dens, semper est verus per se; quatenus semper adæquatur rei perceptæ per ejusdem repræsentationem, quam apud se habet, dum aliquid concipit. Ast vero, dum definitionem sive perfectam sive imperfectam rei conficit, varios conceptus et rationes objectivas in ea distinguendo, vel id efficit vere affirmando aut negando, ut si de homine cogitans dicat: *est animal rationale*, quo casu a perceptione jam ad judicium transit; vel id efficit simpliciter percipiendo *animal rationale* dum cogitat de homine absque ulla affirmatione, vel negatione explicita, quo casu simplex perceptio et definitio per ipsam efformata falsitati proprie et per se non subjacent, quia falsitas sicut et veritas, quæ ipsi opponitur, non nisi in judicio adest; at tamen *per accidens*, vel potius implicite et virtualiter, definitio simplici apprehensione habita, vera vel falsa dicitur, quatenus viam sternit ad verum, vel falsum judicium, cujus ex sua natura quasi quædam dispositio et inchoatio existit. «Per accidens, ad rem bene ait D. Thomas, (1) in operatione intellectus qua cognoscit quod quid est, (rem seu naturam aliquam) potest esse falsitas, in quantum ibi compositio (affirmatio) intellectus admixetur. Quod potest esse dupliciter: uno modo secundum quod intellectus definitionem unius rei attribuit alteri, ut si definitionem circuli attribuat homini; unde definitio unius rei est falsa de altera. Alio modo, secundum quod partes definitionis componit ad invicem, quæ simul sociari non possunt.» Unde simplex perceptio, quatenus definitionem rei apprehensæ efformat, tanquam quid medium inter simplicem apprehensionem, et judicium haberi potest.

ARTICULUS TERTIUS.

De existentia certitudinis.

Prænotanda:

1.º *Dogmatici* illi dicuntur, qui ajunt hominem veritates plurimas per certitudinem habere posse et scire; quæ

(1) 1.º P. q. 17, art. 3.º

denominatio a *dogmate*, quod veritatem certissimam audit, desumptum est. Contra vero,

2.º *Sceptici* illi appellantur philosophi, qui certitudinem veritatis rejiciunt, atque hi etiam solent *pyrrhonic* nuncupari a græco philosopho Pyrrhone sumpto nomine, qui certitudinem quamlibet a cognitione, sive experimentalis, sive sensibilis, sive intelligibilis, excludere conatus est. Ast vero,

3.º Inter scepticos hosce, quidam quidem certitudinis existentiam quoad hominem rejiciunt, ejus tamen absolutam possibilitatem minime rejicere audent; quinimmo ipsorum aliqui, certitudinem admittunt quoad internarum affectionum existentiam: unde sceptici *moderati* seu partiales dici queunt. Alii vero e contra, non existentiam tantum, sed ipsam quoque certitudinis possibilitatem ab homine depellunt, ita ut de omnibus dubitandum semper asserant absque spe ulla unquam a dubio emergendi. Atque hi quidem *acaptileptici* sive incomprehensores, nuncupati sunt.

THESIS.

Scepticismus omnem certitudinem e medio tollens, et absurdus in seipso existit, et exitialis est societati et Religioni.
Prob. 1.º pars.

1.º Qui existentiam omnis certitudinis e medio tollit, vel id facit quia omnem certitudinem negat, vel quia de ea dubitat. Si primum; eo ipso aliquid ut certum implicite saltem adfirmat et admittit, nempe, hanc propositionem: *Nulla existit certitudo*. Si secundum; in primis ut certum admittit et implicite affirmat, dubitandum esse de omnibus: deinde, si dicatur quod assensum suspendat etiam circa ipsum hoc dubium universale de existentia certitudinis, ad minus certum erit, ipsum suspendere assensum. Præterea; qui ad assensum suspendit, ipsum suspendit propter formidinem errandi: at qui nemo potest formidare errorem, nisi hunc aliqua ratione noscat, nam ignoti nulla esse potest formido. Jam vero, qui novit quid sit error, necessario etiam novit quid sit veritas cui intellectus per errorem dissentitur. Ergo scepticismus absurdus est et contradictionem implicat, sive quis ipsi adhæreat quia certitudinem negat, sive quia de ea dubitare profitetur.

2.^o Scepticismus absurdus evincitur ex ipsa hominis natura, et quotidiana et universali experientia. Profecto enim, quis sibi persuadeat hominem aliquem serio dubitare posse se existere, cogitare, videre dum videt, sensatione doloris affici, aliaque sexcenta hujusmodi, quorum ex conscientiae intimo testimonio consciu reddimur, quæque ita nitide, perspicue et ineluctabiliter animum et mentem percellunt, ut prorsus fieri non possit quin eis adhæreamus? Adde his, quod si quis dubium vellet affectare, num vere existat, cogitet, sentiat, etc. necne, dubitare saltem minime poterit, sibi *videri se existere, sentire, etc.* Ergo saltem certum ipsi erit se de his dubitare quoad ipsorum realem existentiam, et eadem sibi ita apparere: ergo jam aliquid certi amplectitur, nec universalis proinde evadet dubitatio.

Prob. 2.^a pars.

1.^o Si ad praxim reduceretur universale dubium quod adstruunt sceptici, integra societas humana subverteretur. Hæc siquidem, subsistere nequit nisi homo homini credat dum, vel ore, vel scripto loquitur; nisi agnoscat ac discernere queat parentum, possessionum, titulorum, proprietatis existentiam et discrimen; nisi apud se habeat notiones justi et injusti, veri et falsi. Atqui omnia hujusmodi repugnant in hypothesis dubii universalis, ut ex se patet: ergo universalis scepticismus societatem penitus destrueret. Quod ipsum

2.^o De Religione similiter pronuntiari potest. Nam si nulla certa notio apud hominem, etiam quoad res extra eum positas, existit; ergo in continua et necessaria ignorantia, vel dubitatione versatur circa jus naturale, jus divinum et humanum, circa discrimen boni et mali moralis, circa animæ immortalitatem et libertatem, circa Dei ipsius existentiam. Quibus positis, proculdubio non tantum supernaturalis et revelata Religio, sed vel naturalis ipsa, vel umbra religionis penitus e medio tollitur. Atque hæc quidem absurda, non tantum rigidos scepticos, qui certitudinem quæcumque rejiciunt, sed eos etiam moderatiores, qui certitudinem non rejiciunt quoad existentiam internarum affectionum vehementius urgent; quandoquidem ad societatis et Religionis existentiam et conservationem exquiritur certitudo, quæ res extra animam positas respiciat.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.^o Cum cognitio ab objecto speciem et determinationem desumat, opus est ut ab ipso pendeat ac ipsi commensuretur; atqui res quæ menti objiciuntur incertæ sunt, utpote contingentes et mutabiles: ergo et cognitio incerta prorsus sit oportet.

Resp, Dist. min. Res omnes, quæ menti etc., neg. plurimæ subd. quoad existentiam, conc. quoad essentiam et nexum prædicati cum subjecto, neg. Atque in primis quidem, falsitatis evincitur id quod sceptici assumunt, cuncta, scilicet, objecta quæ menti objiciuntur, contingentia ac mutationi continuo subjeti; quandoquidem Deus nec contingentia nec mutationi subest. De Deo autem plurima certo sciri possunt, ut ejus existentia, infinitudo, unitas, independentia, æternitas, cætera hujusmodi attributa, quæ naturali ratione per evidentiam et certitudinem deprehendi possunt. Sed etsi gratis daremus cunctas res contingentia et mutationi subjeti, nihil adhuc sceptici proficiunt. Quamvis namque ultro fateamur, maximam objectorum partem subesse contingentia ac mutationi quoad existentiam, id tamen nihil obstat quominus 1.^o immutabilia sint ac necessaria ex parte essentia; quantumvis enim hic homo contingenter existat, semper ac necessario verum erit, quod homo organico corpore et anima rationali constat: 2.^o quominus necessarius nexus existat inter prædicata essentialia rei, vel inter proprietates et attributa, quæ ipsam ingrediuntur: lapis existere vel non existere quidem potest; at sive existat, sive non, ac præsertim dum existit, vere ac certo agnoscere et affirmare possum, quod sit extensus, quod divisibilis in partes, quod non sit homo, etc.

Objic. 2.^o Nostra quævis cognitio a sensibus originem ducit; atqui verisimile est sensus semper falli, cum sciamus ac etiam experiamur ipsos sæpissime falsitati esse obnoxios: ergo.

Resp. Dist. min. Nostra etc. tanquam ab occasionibus mentem excitantibus, conc. tanquam vel materiam ministrantibus, vel ita ut sint regula semper necessaria judicii, neg. Admitti sane potest, omnem hominis cognitionem a sensu

originem ducere occasionaliter ac remote, quatenus sensus exercitium aliquod, intellectus quempiam actum, vel tempore, vel natura saltem præcedit. Ast admittere minime est opus, vel ipsos materiam cuilibet cognitioni intellectuali præbere, vel iis etiam in casibus in quibus materiam ministrant, eos regulam esse cui semper iudicium conformare oporteat. Non primum; quia quædam sunt intellectuales cognitiones, ex gr. *me existere, cogitare, impossibile esse idem simul esse et non esse etc.*, quæ a sensibus occasionem, at non materiam proprie accipiunt. Non secundum; tum quia intellectus notionem et conceptum, quæ iudicio inserviunt, a sensuum impressionibus et representationibus distinguuntur; tum maxime, quia intellectus, utpote facultas ex sua ipsa natura sensibus infinite fere superior, non ab eis regulam et mensuram ad iudicandum accipit, sed ipsis potius dominatur ac ipsorum impressiones, representationes fallaces, ac modificationes, confert simul ac diiudicat. Quod tamen nihil obstat, quominus quibusdam positis conditionibus, sensus perceptio tanquam regula ad recte iudicandum habeatur, ut postea dicemus.

Objic. 5.^o Ut iudicio cuiusvis, certo et absque hæsitacione adhæreamus, opus est ut sit medium aliquod veritatem agnoscendi et errorem declinandi; atqui deest medium huiusmodi: ergo etc. Prob. min. Medium illud vel ut certum supponitur, vel alio indiget constitui et firmari; atqui ejus certitudinem non licet supponere: ergo ex altero ex quo firmetur pendet, illudque ex priori altero in infinitum. Prob. min. Non licet supponere id de quo disceptatur; sed utrum præfatum medium veritatis certum existat necne, illud ipsum est de quo inter dogmaticos et scepticos disceptatur: ergo.

Resp. Neg. maj. Ad prob. neg. etiam min. Ad cujus prob. Dist. min. Non licet etc., *quando per aliquid certius et notius ostendi potest et indiget, trans. quando de re agitur quæ per certiore et notiore, nec probari potest nec indiget, neg.* Porro inter ea quæ menti obijciuntur, quædam sunt, quorum veritas ita vivide mentem percipit, ut hujus adsensu in necessario rapiat, prout videre licet, tum in eis quæ sensu intimo continentur, v. gr.: cogitationes vel subjecti cogitantis existentia; tum in eis quæ immediatâ præsertim evidentia

perfunduntur; hæc quippe vel alio certiori ac notiori medio firmari nequeunt, ut hoc principium: *impossibile est idem simul esse et non esse*; vel non indigent, ut hæc: *totum est majus sua parte: si effectus est causa est*, cætera hujus generis, quæ immediata evidentia objectiva collustrantur.

Objic. tandem sceptici: 1.^o maximam humanæ mentis imbecillitatem, ex qua factum est et efficitur quotidie, ut maximos errores amplectantur homines tanquam inconcusas veritates; quibus adde obscuritatem et tenebras, quibus cognoscenda objecta ipsorumque veritas involuta et circumfusa apparent. 2.^o Ideo mens divina numquam falli potest quia infinita est: ergo mens humana quæ finita est, semper falli potest. 3.^o Somniantes ac delirio exagitati, multa se evidenter percipere existimant, quorum nullam tamen veram certitudinem habent.

Resp. Ad primum: Ultro quidem fatemur maximam existere humanæ mentis imbecillitatem, nec inficiandum plurima nobis occulta, incerta ac probabilia; at simul iterum atque iterum pernegamus, exinde colligi nihil certi unquam a nobis cognosci. Similiter etiam, tenebris et obscuritate objecta plurima circumfusa existunt, at non omnia, ut ex probationibus et exemplis adductis patet.

Ad secundum: Ut mens humana a divina in infinitum distet, opus non est ut semper falli possit, saltem potentia ad actum reducenda; a divina namque humana mens semper superatur, tum quoad numerum scitorum, quæ infinita apud Deum existunt, non apud hominem; tum etiam ex ratione cognoscendi, quæ in Deo infinitæ perfectionis existit, utpote omnia entia sive finita, sive infinita perfectissimè penetrans ac comprehendens, idque unico et simplicissimo actu, dum e converso homo, non nisi pedetentim, magno cum labore, cum admixtione errorum, quoad pauciora entium attributa, paucissimas vero intimas eorum essentias, per abstractiones et præcisiones, per plures actus, in rerum cognitione procedat.

Ad tertium: Somniantes vel delirio traditi, 1.^o quamvis fallacem certitudinem habeant circa res in seipsis, at simul veraci potiuntur certitudine, quatenus conscii sunt ejus quod sibi ita videtur vel apparet: unde universalem scepticismum excludunt: 2.^o et præsertim, dum existentia certitudinis ad-

versus scepticos abstruitur, non de somniantibus aut infirmis hominibus profectò agitur, sed de vigilantibus et eis qui ratione utuntur. Unde scepticorum argumentatio hac in parte æquivalet huic: *infirmi non sunt sani, et claudi nequeunt currere: ergo non infirmi, non sunt sani, et non claudi nequeunt currere.* Ex quibus omnibus corollarîi loco.

Inferitur 1.^o Existere non posse hominem qui serio et ex animo scepticismum absolutum et universale profiteatur; nam quivis scepticus, vel certus erit de hac propositione: *dubitandum est de omnibus*; vel si hoc ipsum inficiatur, saltem tanquam certum admittet hocce pronuntiatum: *certum est me dubitare num dubitandum sit de rebus omnibus.*

Inferitur 2.^o Scepticismum perfectè universalem, sive ex animo sive ore tenus, excludere ipsam possibilitatem cujuscumque demonstrationis. Siquidem, cum eo qui de omnibus absolute dubitare se profitetur, nec disputari quidem potest, cum nihil ex hypothesi sit, ex quo disputatio initium desumere queat.

ARTICULUS QUARTUS.

De criterio veritatis.

Criterii vocabulum hic non accipitur pro medio seu instrumento judicandi, quod dici solet criterium *per quod*, nec aliud existit nisi ipsemet intellectus prout judicandi vim obtinet; sed accipitur pro *ratione* seu motivo ex quo intellectus ad certum assensum vel dissensum rebus præstandum movetur. Unde et criterium *secundum quod*, a quibusdam appellatur, quia motivum illud est veluti regula et norma secundum quam mens judicium profert. Primum posset etiam nuncupari *subjectivum*, quia ex parte subjecti judicantis se tenet; alterum vero *objectivum*, quia motivum quo mens ad judicandum agitur et impellitur, ex parte rei objectæ et judicatæ, præcipue se tenet.

Atque de criterio, posteriori sensu accepto, prout, nimirum, significat, *motivum ex se infallibile pro judicio certo efformando agentes*, ad quinque genera revocamus; *evidentiam, conscientiam, sensum communem, testimonium sensus, auctoritatem.*

§ I.

Criterium evidentia.

Prænotanda:

1.^o Sicut certitudo primario dicitur de subjecto cognoscente, secundario transfertur et tribuitur objecto, ita e converso evidentia ex propria significatione primo afficit objectum seu veritatem cognoscendam, secundario et quasi ex consequenti subjectum percipiens. Unde in *objectivam* et *subjectivam* merito dividitur. Objectivæ evidentia nomine intelligenda venit: *aptitudo vel vis quæ objecto inest perspicue menti sese offerendi ac vivide et vehementer ad assensum impellendi.* Quapropter non immerito hanc evidentiam concipiunt aliqui tanquam fulgorem veritatis seu perspicuitatem objectorum, quæ menti offeruntur. Sic hæc propositio: *totum est majus sua parte*, evidens evidentia objectiva dicitur, quia tali perspicuitate ex seipsa donatur et gaudet, ut semel intellectui oblata, ejus veritas vivide percipiatur et ad assentiendum vehementer impellat. Subjectiva autem evidentia dici potest: *intellectus innata vis qua res objectivâ evidentia præditas, clare ac nitide percipit.* Itaque concipi potest tanquam quædam lux, qua mens intime collustrata, perspicuam ac fulgentem objecti et veritatis perceptionem obtinet.

2.^o Evidentia, prout veritatis criterium constituit, nec subjectiva, nec objectiva solum est, sed ex utraque coalescit; motivum siquidem certi assensus est veritas objective evidens seu perspicua, prout a mente nitide percipitur, proindeque evidentia in concreto sumpta et prout ex utraque coalescit: præcipuas tamen partes sibi vindicat objectiva, non solum quia quodvis criterium respicit primario objectum, ut diximus, sed etiam quia sive mens rem quæ immediata et vera evidentia donatur, percipiat sive non, evidentia objecti, sufficiens ex se motivum existit ad assensum firmum producendum.

3.^o Duplici sensu accipi potest evidentia, etiam quatenus veritatis criterium: 1.^o pro omni eo quod mentem ad firmum et infallibile adsensum movet et pertrahit, abstraendo a natura speciali originis vel motivi adsensus præfati. Atque sub

hac significatione accepta evidentia, non speciale, sed potius universale et unicum constituit veritatis criterium; semper enim ac cuiusque veritati vel rei, certo assentimur, ideo assentimur quia perspicue videmus et intuemur per mentem rem sic et non aliter esse. At 2.^o sumitur evidentia pro quadam mentis intuitione, qua vel prædicatum aliquod subjecto congruere aut repugnare, vel propositionem aliquam cum primo aliquo principio necessarium nexum habere, clare perspicit. Atque de evidentia posteriori hoc sensu accepta, hic agimus; sic enim speciale constituit criterium a reliquis distinctum.

4.^o Dividitur præterea evidentia in *immediatam* et *mediatam*. Prima tunc habetur quando ad identitatem, vel repugnantiam inter prædicatum et subjectum internoscendam sufficit terminorum perceptio, ex. gr.: *triangulus constat tribus lineis*; ad dignoscendum namque et certo dijudicandum prædicatum subjecto convenire, sufficit utriusque obviam significationem percipere. Dicitur *immediata*, quia sufficit intuitio ipsa objecti, vel propositionis, ad ejus veritatem detegendam. Altera, eas propositiones respicit in quibus terminorum obviam perceptio aut mentis intuitio non sufficit ad veritatem detegendam et agnoscendam, sed requiritur præterea terminorum cum tertio collatio: ut hæc propositio: *animus hominis est immortalis*.

Hæc porro mediata evidentia diversos gradus quodammodo subit: omnis quippe propositio seu veritas, quæ per ratiocinationem evidens fit, eatenus menti evidenter vera apparet, quatenus intellectus clare percipit ejus connexionem cum aliquo ex primis principiis, seu cum propositione ex se et immediate evidenti, ad quam resolvi tandem debet veritas demonstrata. Quo autem veritas per ratiocinium evidens facta, remotior existit a primo principio a quo primo profluit, et in quod ultimo resolvitur, facilius defectus aliquis in ratiocinatione admixcet, ex quo non raro ducimur ad confundendam apparentem evidentiam cum vera. Nam, ut scite habet D. Thomas: (1) «Inter multa etiam vera quæ demonstrantur, immixcet aliquando aliquid falsum, quod non demonstratur.

(1) *Sum. cont. Gent. lib. 4.^o, cap. 4.^o*

sed aliqua probabili vel sophistica ratione asseritur, quæ interdum demonstratio appellatur.» Quibus expositis sit.

THESIS.

Evidentia constituit motivum judicii metaphysicè certum, tutumque proinde veritatis criterium.

Prob. 1.^o Illud est motivum criteriumque certissimum judicii veri, quod ad falsum unquam inducere nequit: atqui sic se habet evidentia: ergo. Prob: min. Evidentiæ ratio sita est in perceptione seu potius intuitioni perspicua et fulgenti identitatis vel repugnantæ prædicati cum subjecto, quæ oritur et exurgit ex commensuratione et coaptatione intellectus cum veritate, quæ in objecto cognito splendet ac nitide fulget: sed repugnat hujusmodi evidentiam ad falsum judicium inducere. Et revera quidem, si evidentia, sensu nunc exposito, ad falsum induceret iudicium, veram simul et falsum dicendum esset iudicium, hocce: verum, quia continet claram ac perspicuam rei perceptionem, vel intuitionem identitatis aut repugnantæ prædicati cum subjecto, in qua perceptione sita est veritas nostri intellectus: falsum vero esset, ex hypothesis ab adversariis assumpta, si nempe, mens diceretur vel falleretur in perspicua perceptione identitatis aut repugnantæ prædicati et subjecti.

2.^o Res eadem evincitur ex eo quod rationi humanæ penitus repugnat rem quamvis, seu veritatem evidenter cognoscere, et simul de ea dubitare, ita ut aliquem cogere dissentire veritati evidenter cognitæ, præsertim si immediata evidentia donatur, idem esset nec minus difficile quam eum cogere ad exuendam rationem. Hinc est quod ipsa conscientia teste, docemur, nos ita natura comparatos esse, ut cum primum evidens aliqua veritas menti offertur, vel inviti eidem adsentiri cogimur, magno veluti pondere ab objecto ipso vehementissime pertracti. Intellectus etenim, iis facultatibus vel potentiis annumeratur, quæ, ut non minus philosophice quam graphicè ait D. Thomas, *compelluntur ab objecto*; unde quoad prima principia, eodem agente, *non potest subterfugere quin illis assentiat*.

Sedulo hic notandum, veritates eas quibus ex mediata evidentia assentimur, eadem fere ratione criterio evidentie

subjici et manifestari, ac eas quas per evidentiam immediatam intuemur, cum agitur de propositionibus, quæ facillimo, breviori, et veluti spontaneo ratiocinio ex primis principiis seu ex propositione aliqua per se et immediate evidenti inferuntur. Siquidem, eadem ferme evidentia et perspicuitate, qua video *nihilum non posse producere effectum realem*, video per facillimum et quasi spontaneum ratiocinium, veritatem hujus propositionis deductæ: *mundus habet aliquam causam realem*. Ast vero dum agitur de propositionibus, quas ex primo aliquo principio inferre oportet per ratiocinium longius protractum, vel plures propositiones continens, mediata evidentia ex se sola tutissimum criterium non constituit, quia facile defectus aliquis, sive quoad formam, sive quoad materiam longiori ratiocinationi illabitur, prout ratio et experientia ipsa testantur. Itaque, his in casibus, criterium evidentie mediatae per aliud perficere et complere oportet.

Corollarium. Colliges ex dictis, certitudinem scientie, qua talis, ultimo resolvi in certitudinem principiorum, a qua originaliter profluit et oritur. Nam cum scientia nihil sit aliud quam deductio rationalis quarundam propositionum seu veritatum ex primis principiis, eatenus scientia generatur in intellectu, quatenus hic videt aut percipit talem propositionem, legitimam ac necessariam connexionem habere cum tali primo principio. Ex quo facile perspicitur, quare et quo sensu dicat D. Thomas: (1) «Certitudo scientie tota oritur ex certitudine principiorum; tunc enim conclusiones per certitudinem sciuntur, quando resolvuntur in principia.» Et alibi: (2) «In scientia vero conclusionum, causatur determinatio (*intellectus*) ex hoc quod conclusio secundum actum rationis, in principia per se visa resolvitur.»

SOLVENTUR OBJECTIONIS.

Objic. 1.^o Illud non est motivum infallibile iudicii certi, quod ad falsa judicia potest inducere; atqui sic se habet evi-

(1) *QQ. Disp. De Verit.* q. 10.^a art. 1.^o ad 13.^m

(2) *Sent.* lib. 3.^o dist. 23 art. 2.^o

dentia: ergo. Prob. min. Quod ad contradictoria judicia amplectenda movet, ad falsa judicia inducere potest, cum ex contradictoriis necessario unum verum sit et alterum falsum; sed evidentia, ad assensum contradictorium mentem quandoque inducit: ergo. Prob. min. Videmus quotidie philosophos aliquos evidens affirmare et tanquam tale tueri et prosequi, illud ipsum quod alii vel tanquam penitus falsum vel tanquam dubium rejiciunt; atqui tamen utrique evidentia se duci affirmant et credunt: ergo.

Resp. Neg. min. Ad prob. neg. similiter min. Cujus prob. dist. min. Utrique, etc. *merito, vel immerito conc. merito, vel ita ut adsint conditiones veræ evidentie*, neg. Itaque si agatur de evidentia mediata, præsertim quoad conclusiones a primis principiis paulisper remotioribus, contingere quidem potest, quod partium studio acti vel mentis imbecillitate, contradictoria diversi homines complectantur et prædicent tanquam evidentia, in quo casu, vel utrorumque, vel alicujus ipsorum evidentia non vera, sed fucata et apparens tantum existit, utpote ex præjudiciis, passionibus, prava voluntate, vel mentis imbecillitate orta. Immo vero, id ipsum nonnisi in mediata evidentia locum habet. Unde

Resp. 2.^o Dist. maj. ejusdem prob. Videmus, etc. *quoad ea quæ evidentia sunt, vel evidentia immediata, vel mediata proxima, neg. quoad ea quæ mediata tantum evidentia, et hac remotiori, prædita sunt, conc.* Ex objectione igitur, ad summum consequitur, quod jam supra, innuimus, videlicet, criterium evidentie mediatae indigere ex aliqua sui parte perfici et compleri per aliud.

Instabis: Atqui certo nobis constare nequit utrum fucata vel vera ducamur evidentia: ergo. Prob. subs. Nihil habemus quo discernere possimus utrum ex sufficienti attentione, ex recta applicatione regularum Logicæ, ex præjudicio, vel passione, ad sensum rei tanquam evidenti præbuerimus: ergo.

Resp. 1.^o Neg. cons. si sermo sit de evidentia immediata, quæ nec specialem attentionem, nec regularum logicalium applicationem exquirat, simulque nec præjudiciis, passionibus, vel cuivis alio impedimento subest, quippe ad eam habendam sufficit vel imperfectus rationis usus. Itaque, etiam si totum argumentum gratis daretur, semper existeret criterium evidentie immediate. Sed præterea,

Resp. 2.^o Neg. subs. quoad res quæ per evidentiam mediatam quidem sed proximorem cognoscuntur, tum quia in hujusmodi, non secus ac in evidentibus immediate, præjudicii vel passionis influxus vix concipitur, et si forte aliquid existat, facile detegitur per reflexionem; tum etiam quia nec specialem attentionem nec difficilem applicationem Logicæ exquirunt.

Objic. 2.^o Ut aliquid vere dicatur motivum infallibile veritatis debet habere necessarium nexum cum veritate; atqui constare nobis nequit evidentiam habere necessarium nexum cum veritate: ergo. Prob. min. Demonstrari nequit hujusmodi nexus evidentiae cum veritate: ergo.

Resp. Neg. min., Ad. prob. dist. antec. Demonstrari nequit, etc. *demonstratione proprie dicta, nec ea indiget, conc. improprie dicta demonstratione, seu potius explanatione, neg.* Evidentia itaque, si proprie loquamur, nec potest nec indiget demonstrari. *Non potest:* quia nihil demonstratur nisi per aliquid quod sit notius, nihil vero notius evidentia ipsa, saltem immediata, dari potest. *Nec indiget:* sicut enim lux solis alia non indiget luce qua videatur, ita nec evidentia, quæ ex seipsa illucescit, suamque declarat et manifestat et existentiam et connexionem cum veritate. Quandoquidem, nihil est aliud evidentia quam ipsa veritas objecti, quatenus seipsam revelat et communicat intellectui. Unde jure merito D. Thomas, certitudinem, quæ, sive in scientia, sive in intellectu, id est, intuitionem primorum principiorum invenitur, repetit ex ipsa evidentia veritatis, quæ objecto inest: «Objectum, inquit, intellectus est verum... invenitur autem aliquod verum in quo nulla falsitatis apparentia admixeri potest, ut patet in dignitatibus, (primis principis) unde intellectus non potest subterfugere quin illis assentiat.» (1) Quibus postea subdit: (2) «Certitudo quæ est in scientia et intellectu, (id est, in facultate intelligendi quatenus dicitur habitus primorum principiorum, seu quatenus cognoscit prima principia) est ex ipsa evidentia eorum, quæ certa esse dicuntur.»

(1) Sent. lib. 2.^o Dist. 25. q. 4.^o art. 2.^o
 (2) Sent. lib. 3.^o Dist. 23. q. 4.^o art. 2.^o

§ II.

De criterio conscientiae vel sensus intimi.

Prænotanda:

1.^o *Sensus intimus* universim acceptus dici potest: *perceptio experimentalis qua anima de interno statu, vel præsentis aliqua affectione admonetur.* Dico *experimentalis*, quia sensus intimi objectum semper est aliquid singulare. Dico *interno statu*, quia nunquam ad ea, quæ extra animam existunt, porrigitur. Dico *præsentis*, quia nec res futuræ, nec præteritæ, qua tales, sed tantum prout præsentis per memoriam iterum redduntur, sensui intimo subjiciuntur. Dico *aliqua affectione*, quia non de omnibus affectionibus, quæ eidem insunt anima admonetur; quædam siquidem sunt, quæ realiter animam afficiunt, quin tamen de ipsis admonetur per conscientiam, vel sensum intimum, ut odium supernaturale peccati, charitas, vel gratia, macula peccati. Ex quo obiter collige, nimium illos falli qui autumant, nihil circa naturam, vires, mutationes et effectus animæ affirmandum vel constituendum, nisi ex testimonio conscientiae, vel sensus intimi, quasi nihil anima agere vel recipere possit, cujus conscientiam non habeat.

2.^o Ex præfata definitione conscientiae facile concluditur, hujus objectum esse duplex: primum, sunt *modificationes illæ sive activæ sive passivæ, quæ animam sensibiliter afficiunt.* *Sensibiliter*, inquam, non quod omnes sensationes sint, nec quod conscientiae actus sit sensatio, est enim vera perceptio intellectualis, sed quod animam ita afficiunt ut eas in se experiri et veluti sentire possit. Alterum conscientiae objectum, est subjectum cui præfatae modificationes insunt, quod *subjectum cogitans* nuncupari solet. Emimvero, conscientia nobis non solum nuntiat modificationes seu affectiones, quas experimur, ut lætitiæ, doloris, volitionis, etc. sed eas etiam nuntiat quatenus nobis insunt, ita ut existentiam rationalis animæ seu principii cogitantis in nobis certissime dignoscamus per conscientiam affectionum et actuum ipsius. Quam rem, ante recentiores, quorum aliqui hocce tanquam cartesianum inventum extollunt, exposuit et perspicue tuitus est

D. Thomas his verbis: (1) «In hoc enim aliquis percipit se animam habere, et vivere, et esse, quod percipit se sentire et intelligere, et alia hujusmodi vitæ opera exercere; unde dicit Phil.: sentimus autem quoniam sentimus, et intelligimus quoniam intelligimus, et quia hoc sentimus, intelligimus quoniam sumus... Et ideo pervenit anima ad actualiter percipiendum se esse, per illud quod intelligit vel sentit... Ad hoc autem quod percipiat anima se esse, et quod in seipsa agatur attendat, non requiritur aliquis habitus, (aliqua prævia scientia, vel notitia) sed ad hoc sufficit sola essentia animæ, quæ menti est præsens; ex ea enim actus progrediuntur in quibus actualiter ipsa percipitur.»

3.º Ast vero, quamvis præfatum duplex objectum conscientia complectatur, at non semper eodem modo, aut pari gradu. Quandoque conscientia perceptio, vel acies, fertur primario et principaliter in affectionem ipsam, minus principaliter et quodammodo confuse, in subjectum quod affectionem experitur, ita ut phænomenom et subjectum cui inest, simul et semel concrete percipiuntur per conscientiam, sed phænomenom distinctius et quasi primario, subjectum vero minus distincte; quæ proinde non incongrue comparari potest cum perceptione sensuum, ex. gr. visus; videmus enim non colorem a subjecto separatum vel in abstracto, sed colorem in tali subjecto, seu corpus coloratum. Atque hujusmodi conscientia est quæ *directa* appellari potest, vel etiam *spontanea*: directa quidem, non quod rêvera actus reflexus non sit, sed quia est prima manifestatio conscientia, qua talis; spontanea vero, quia est perceptio mentis ipsam conaturaliter et absque ullo conatu concomitans.

Quandoque vero, conscientia acies fertur æqua ratione, vel potius priori ratione in subjectum cogitans quam in cogitationem, vel modificationem ipsam, ut dum explicita et perfecta reflexione percipio *me* cogitare, lætari, videre, etc. Et hæc est quæ conscientia *reflexa* merito nuncupatur: *voluntaria* quoque dici posset, quatenus specialem vel explicitam voluntatis determinationem exquirat. Recentiores aliqui, in-

(1) QQ. Disp. De Verit. q. 10, art. 8.º

ter quos Balmes, aliter conscientiam directam definiunt et explicant, quibus minime adsentiri possum ex dictis.

4.º Dividi quoque posset conscientia in *perfectam* et *imperfectam*, vel fortasse melius in *sensitivam* et *intellectualem*. Perfecta vel intellectualis ea ipsa est, quam nuper exposui. Altera vero est, qua per sensum internum, quem veteres *sensum communem* dicebant, sensationes externas experimur. Quæ quidem sensitiva conscientia, quamvis nobis minus distincte sese offerat, id accidere putandum est: 1.º quia utpote sensitiva, et reditio in seipsam, vel reflexione imperfecta constans, explicitam et claram sui notitiam non generat; unde ad sensationem externorum tantum sensuum, non vero ad alias subjecti modificationes, nec ad ipsius subjecti sentientis existentiam porrigitur: 2.º quia in homine admixetur et jungitur conscientia intellectuali, quæ utpote vehementior, natura perfectior et universalior, sensitiva distinctam et claram impressionem quodammodo impedit et absorbet.

Cæterum, sensitivam aliquam conscientiam admittendam esse, constare videtur non solum ex ejusdem vestigiis, quæ in homine ipso apparent, sed præsertim ex animalibus, in quibus conscientia quædam sensationum proculdubio existit, ut ex signis exterioribus evincitur, dum dolore afficiuntur, aliquid vident, audiunt, etc. Atque de hac sensitiva conscientia, quæ ab intellectuali tantum distat quantum sensus ab intellectu, intelligenda veniunt verba ea D. Thomæ: (1) «Sensus redire quidem incipit ad essentiam suam, quia non solum cognoscit sensibile, sed etiam cognoscit se sentire.» Sensitiva igitur conscientia essentialiter imperfecta est, non solum quia subjecti existentiam non percipit, sed quia inter ejusdem affectiones ad externas tantum sensationes porrigitur: unde *inchoatio* quædam reflexionis, et *rudimentaria* conscientia dici posset.

(1) QQ. Disp. De Verit., q. 1.º, art. 9.

THESIS.

Conscientia vel sensus intimus intellectualis, est motivum infallibile certi judicii.

Dicitur *intellectualis*, quia thesis abstrahit a conscientia quam sensitivam appellavi, solumque procedit de ea, quæ homini congruit quatenus substantia intellectualis est.

Prob. Quod necessarium et essentialiter nexum habet cum veritate judiciorum ad quæ movet, est motivum infallibile judicii certi; atqui sic se habet conscientia intellectualis respectu eorum quæ ipsi subjiciuntur: ergo. Prob. min. Conscientia nihil est aliud quam mens percipiens et seipsam et modificationes quibus actualiter afficitur, et quas in se experitur; sed ad percipiendum, necessario et essentialiter requiritur existentia realis et vera, tum subjecti percipientis, tum ejus quod percipitur. Et quidem si circa affectiones, vel modificationes quas per conscientiam in seipso homo sentit vel percipit, falleretur, tunc hujusmodi affectiones existerent simul et non existerent: existerent, quia ex hypothese mens intime eas sentit et experitur, quod locum habere non posset nisi revera in anima residerent, nihilum enim non sentitur nec percipitur: non existerent, quia ex hypothese facta, mens falleretur easdem percipiendo in se. Mens ergo circa ea, quæ conscientia subjiciuntur, falli non potest quin idem esset simul et non esset.

Adde his, conscientia aptari perfectissime conditiones eas, quæ in criterio veritatis requiruntur. Primo namque notissima est suapte vi et natura, quippe nihil menti intimius et præsentius. Deinde, est ratio ultima quam afferre possumus veritatis judiciorum circa quæ ipsa versatur. Enimvero, si quis a me quærat, cur certo judicem me cogitare, velle, sentire, etc. non aliam rationem assignare possum, nisi quia in me ipso hæc experior et intime sentio.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.^o Conscientia multa sæpe homini testatur, quæ revera non existunt: ergo. Prob. ant. Somniantes et amentes existimant se corpora tangere et videre, quæ revera nec

tangunt nec vident, ut dum thesaurum nos invenisse, videre et manibus atrectare; putamus: ergo.

Resp. Neg. ant. Ad prob. resp. 1.^o prætermitto antec. et neg. cons. Dum conscientia testimonium tanquam certi judicii motivum infallibile adstruitur, maxime et per se sermo est de homine sui compote ac in statu vigiliae, non de eo qui extra idoneum statum versatur, potentiis somno, vel ægritudine ligatis, vel impeditis. Qui certe status conscientia veracitatem minime labefactat, sicut sensuum vis et testimonium non labefactantur ex eo quod quandoque sensatio non recte perficiatur propter organorum vel medii defectum. Sed præterea,

Resp. 2.^o Dist. ant. prob. Somniantes, etc. id est, *corpora ipsa vere non tangunt nec vident, conc. affectionem internam tangendi et videndi revera non habent et experiuntur*, neg. In existimatione vel judicio hominis, qui somno tenetur, duo accurate distinguenda sunt; nempe, affectio interna determinata, et hujus relatio ad aliquid tanquam ad causam. Igitur, qui somno deditus thesaurum videre et atrectare sibi videtur, habet affectionem vel modificationem internam realem et determinatam, ei penitus similem, quam experitur et habet dum de facto thesaurum videt et atrectat; unde quoad hoc minime fallitur, quamvis simul fallatur quatenus judicat præfatam affectionem internam, quam apud se habet, oriri ex reali corpore extra existente. Jam vero diximus, conscientia testimonium, qua veri criterium, ad res extra hominem positas non porrigi, sed intra subjectum cogitans contineri.

Objic. 2.^o Conscientia testimonium ad contradictoria judicia impellit: ergo non est motivum infallibile certi judicii. Prob. antec. Hæc judicia, *ego caleo, ego non caleo*, contradictoria sunt ac proinde ipsorum aliquod falsum existit; atqui conscientia ad hæc judicia contradictoria potest impellere, si dexteram manum igni dum sinistram aquæ frigidæ applico: ergo.

Resp. Neg. antec. Ad prob. dist. maj. *si eodem tempore et secundum idem proferantur*, conc., *secus*, neg.

Instabis: Atqui præfata judicia et eodem tempore et secundum idem proferuntur ex conscientia testimonio. Quod eodem tempore, consiat, si simul manus igni et aquæ appli-

centur. Quod autem secundum idem, sic probatur: præfata sensationes, animæ insunt tanquam subjecto; sed quæ in anima existunt, secundum idem existunt, cum anima sit omnino simplex: ergo.

Resp. Neg. antec. Ad prob. resp. 1.º Dist. maj. quoad secundam part. Animæ insunt *sub eodem respectu*, neg. *sub diverso respectu*, conc. Etiam gratis dato quod *sola* anima esset subjectum sensationum, ut quidam volunt, adhuc contradictio nulla in præfatis judiciis esset admittenda, quia animæ eidem inessent quidem, sed non sub eodem respectu; illarum quippe sensationum prima ad *hanc* corporis partem, secunda vero ad *alteram* ejusdem corporis partem referretur. Profecto, si sola rationis distinctio ad tollendam contradictionem sufficit, sufficiet *a fortiori*, ut ajunt, distinctio realis actuum, eorumque diversa relatio, prout reperitur in adducto exemplo.

Sed urgebis adversus hanc solutionem. Ergo anima diversis simul sensationibus potest subjacere; quod tamen absurdum esse sic probatur: Si anima diversis afficeretur sensationibus, vel eas secundum se totam experitur, vel secundam diversas partes; atqui neutrum licet dicere: non primum, quia si una sensatio totam animam afficit, alteri locus non relinquitur: non secundum, quia anima, utpote omnino simplex, quæcumque partium compositionem excludit.

Resp. Conc. antec. neg. min. Ad cujus probat. dist. probationem min. Si una sensatio etc. *si sensatio animam afficeret modo corporeo*, conc. *si eam afficiat modo rebus spiritualibus proprio et sine contactu corporali*, neg. Rationalis itaque anima, dum spectatur prout subjectum est sensationis, non ad modum corporum, quæ media extensione varias suscipiunt modificationes imaginanda est, sed intellectu concipienda, ut vere est, tanquam substantia spiritualis, quæ sicut diversas potentias vel facultates, ita etiam diversos actus vel affectiones in se recipere ac indivisibiliter continere potest. Argumentum igitur nihil concludit, quia nec sensatio, quatenus actio perceptiva est rei, et quatenus in anima recipitur, nec ipsa anima, extensione aut partium compositione donatur.

Resp. 2.º ad prob. antec prioris objectionis. Neg. min. Sensatio etenim si integre et complete accipiatur, non in

anima sola sed in anima simul cum corpore recipitur tanquam in subjecto adæquato. Dolor enim ex. gr. ex contracto in tibia vulnere, a sola quidem anima percipitur perceptione intellectuali, at non sola sed simul cum corpore dolorem illum sentit et experitur; quandoquidem anima a corpore sejuncta dolorem quidem intelligibilem seu pure spiritualem experiri potest, at minime dolorem sensibilem, ad quem corporis concursus exquiritur. Hinc merito D. Thomas docet intellectum et voluntatem, utpote facultates seu vires pure spirituales, inorganicas esse, ac in sola anima tanquam in proprio et completo subjecto recipi atque existere; facultates vero sensitivas, utpote inferioris ordinis, et brutis etiam, quæ spirituales substantiæ non sunt, congruentes, et organicas esse dicendas, et in anima simul cum corpore, sive in *conjuncto* esse tanquam in proprio et adæquato subjecto. Hæc D. Thomæ sententia, quæ corollarium est ipsius doctrinæ circa distinctionem et absolutam separationem sensus ab intellectu, Cartesius cartesianique oppugnarunt, viam sternentes sequentibus materialistis et sensualistis, dum sentire et cogitare unum idemque faciebant; (1) sed hodie nunc præfata distinctionem absolutam inter sensibilitatem et intellectum, ipsimet prudentiores medici ac physiologi cum D. Thomæ fatentur. (2)

(1) «Sentir, ajebat Descartes, n'est rien autre chose que penser.» *Œuvr. compl. t. 4.º*, pag. 253. Et alibi: «Par le mot de penser, j'entends tout ce qui se fait en nous... C'est pourquoi non-seulement entendre, vouloir, imaginer, mais aussi sentir, est la même chose que penser.» *Ibid. t. 3.º*, pag. 67.

Post hæc, nihil mirum ac nimis verum quod ipsemet V. Cousin affirmat et fatetur, scholam, nempe, sensualistarum ex cartesianismo prodiisse. Quandoquidem, si *cogitare, intelligere, velle, imaginari, et sentire*, unum idemque sunt, pronum est colligere, ac legitime subdere licet sensualistis: «atqui bruta animantia vere sentiunt: ergo cogitatione, intellectu et voluntate etiam donantur. Ergo ex eo quod homo intelligit et vult, non licet ipsum a brutis animantibus essentialiter discriminare, nec adstruere animam habere spirituales et immortales per quam ab eisdem differat.» Et tamen, si superis placet, *Cartesius omnium primus animæ rationalis spiritualitatem verè demonstravit*: ita ore pleno adfirmant et super tecta prædicant, catholici nominis scriptores quidam et philosophi.

(2) Notum satis est cartesianos fere omnes, quamplurimosque

Objic. 3.^o Motivum infallibile certi iudicii debet esse quid notissimum; atqui conscientia quid notissimum non est; ergo. Prob. min. Veracitas conscientiae nequit demonstrari; sed quod demonstrari nequit, nec notissimum dici potest sed potius ignotum: ergo.

Resp. Neg. min. Ad prob. dist. min. Quod demonstrari nequit, nec directe, nec reflexe et indirecte, etc. trans. directe sed potest per reflexionem, neg. Primo igitur, conscientiae veracitas si non directe, at certe indirecte per reflexionem demonstrari potest, ejus, nempe, naturam attentius et accuratius exponendo, ac ducendo ad impossibile vel absurdum, prout ex probationibus apparet. Deinde, conscientia, utpote

alios philosophos adfirmare, sensationem doloris ac sensuum omnium externorum in cerebro peragi vim sensitivam cum intellectiva in homine confundentes ac identificantes. Ast vero Flourens, experimentis tam a se quam ab aliis factis ostendit, non solum sensibilitatem ab intelligentia penitus differre, sed hujus organum, nempe, cerebrum, (quod sanc accipere oportet de organo indirecto et mediato, quatenus cerebrum est organum sensuum internorum ac praesertim imaginationis, ex qua intellectus quasi materiam et elementa intellectualis cognitionis accipit) ab organo generali sensibilitatis prorsus discriminari; immo etiam, cerebrum, quod apud plurimos e recentioribus erat organum non solum intelligentiae sed etiam sensibilitatis, omnimoda impassibilitate, vel insensibilitate gaudere. «Il faut faire, ait ille, une grande distinction entre les sens et l'intelligence. L'ablation d'un lobe cérébral laisse la sensation, le sens, la sensibilité de la rétine, la mobilité de l'iris; elle ne détruit que la perception seule... Il y a deux moyens de faire perdre la vision par l'encéphale: 1.^o par les tubercules, c'est la perte du sens, de l'sensation: 2.^o par les lobes, c'est la perte de la perception, de l'intelligence...

La sensibilité n'est donc pas l'intelligence; penser n'est pas sentir, et voilà toute une philosophie renversée.» *De la Vie et de l'Intellig.*, cap. 8.^o, pag. 49.

«Penser, subdit, *Ibid.*, pag. 50, est si peu sentir (même matériellement parlant) que le cerveau est insensible, impassible; on peut le blesser, le piquer, le couper par tranches sans produire aucune douleur...

La sensibilité et l'intelligence sont donc deux faits distincts, et si distincts qu'ils ne résident pas même dans le même organe, qu'ils résident dans deux organes très-distincts, très-différents, très-independants, l'un de l'autre.»

quid ex seipso notissimum ac perspicuum, demonstrari non indiget, ut veritatis tuta regula ac motivum certi iudicii esse possit. Caeterum, capacitas demonstrationis necdum necessaria non est ad hoc ut aliquid notissimum ac verum dicatur, ut potius ea vere ac proprie dicantur notissima, quae demonstrationem non patiuntur. Omnis siquidem demonstratio, nisi infinitum progressum habeat, devenire tandem debet in rem sen veritatem aliquam, quae per seipsam nota sit, ac demonstrari nec indigeat, nec possit.

§ III.

De criterio sensus communis.

Prænotanda:

1.^o Sensus communis vocabulum non usurpatur hic nec pro sensu aliquo interno, qui externorum sensationes colligit, nec etiam proprie pro communi hominum consensione in veritate aliqua amplectenda, sed quatenus hoc nomine designatur vis quaedam hominibus naturaliter insita, ex qua certo iudicium ferunt de rebus quibusdam priusquam earum veritas menti sese offerat explicita ac perfecta perspicuitate. At diversa veritatum genera porrigitur hujusmodi vis, ut videre licet, si pauca proponantur exempla: nuditas est cooperienda: ex fortuita characterum permixtione hispanum lexicon ordinatum non exurgit: corpora extra nos existunt: quaedam actiones sunt honestae, aliae turpes, cum sexcentis aliis, quibus vel rudiores homines assensum praebent, absque eo quod motivum rationale hujusmodi assensus explicite et perspicue pervideant.

2.^o Ast non propterea descendimus in sententiam illorum, qui scholae scoticae vestigiis insistentes, ajunt, praefatum assendum ex caeco quodam instinctu promanare; adeo ut non alia ratio assensus existat, vel assignari possit, nisi naturae instinctiva et necessaria inclinatio. Nos e contra existimamus, assensum praestitum veritatibus sensus communis, ex ipsarum evidentia potissimum oriri, evidentia, inquam, non explicita ac distincte percepta, prout in intuitione primorum principiorum habetur, sed implicita potius, cujus intuitio menti inest sub quadam universalitate et confusione;

ita, ut mens ad adsensum pertrahatur ex reali evidentiâ objectivâ, quæ in veritate proposita apparet, cujus tamen evidentiæ clarâ, distinctâ ac veluti reflexâ conscientiam nondum habet. Atque hujus rei signum quoque est, quod veritates illæ, quæ sensus communis dicuntur, evidentiissime demonstrari possunt, idque facili ac perspicua demonstratione: quod sane locum non haberet, nisi vel ex seipsis, vel ex proxima relatione et nexu cum aliquo primo principio, evidentiâ afficerentur. Rejiciendus ergo instinctus ille intellectualis cæcus et necessarius, a quibusdam recentioribus in philosophiam invectus, qui, si semel admittatur sensu quem ejus propugnatores volunt, perit maxima ex parte scientifica et rationalis cognitio hominis, simulque scepticismo via sternitur.

3.º Cave tamen ne inde concludas, adsensum præstitum veritatibus sensus communis, ex evidentiâ objecti unice procedere: evidentiâ quidem adest, et est motivum seu fundamentum rationale et reflexum assensus: attamen, quia ex una parte præfatæ veritates necessitates físicas et morales hominis præcipue respiciunt, et ex altera parte, quia evidentiâ quæ eis inest, rudioribus aut minus exculptis, satis perspicue et aperte non apparet ad hoc ut ipsis protinus et sine hæsitatione firmiter adhæreant et adsentiantur, providus naturæ Auctor homini indidit quandam naturalem propensionem, qua vis evidentiæ perficitur et completur ad assensum extorquendum. Uno verbo: veritates sensus communis habent in se evidentiâ sufficientem ad firmum assensum producendum; sed quia hæc evidentiâ non statim perfectè et nitide fulget, et ex alia parte homines præfatæ veritatibus adsentiri indigent sine mora ulla, certissime, ac frequenter, ipsis Deus inseruit vehementem inclinationem ad firmissimum assensum prædictis veritatibus præstandum, statim ac menti offeruntur. Atque sub hoc respectu verum existit, quod dici consuevit, nempe, sensum communem esse inclinationem necessariam et ineluctabilem ad quasdam veritates, numquam tamen instinctivâ seu cæcâ congrue nuncupatur.

4.º Porro, ut veritas aliqua sensus communis merito dicatur, quibusdam notis insigniatur oportet. Primum itaque

a) *Constans sit ac communis*, eamque proinde amplectan-

tur homines ratione utentes, ab omni tempore, et apud nationes non solum barbaras sed cultas.

b) *Rationi sint consentanea*, ita ut si in examen rationale et scientificum revocentur hujusmodi veritates, solido niti fundamento detegatur.

c) *Natura cum ratione duce eliciantur*; unde tanquam sensus communis judicium habendum non est, quod est præjudicio, passione aliqua, ut spe vel metu, ex ignorantia, perverso more vel superstitione, originem ducit.

d) Quidam addunt ut ordinetur ad explendam physicam, intellectualem, vel moralem hominis necessitatem; sed hæc conditio non omnibus inest, ut videre licet in hac sensus communis veritate: *typi litterarum si temere proficiantur exurget lexicon hispanum*, qua profecto nulla hominis vera necessitas expletur (1).

THESIS.

Sensus communis modo expositus certi judicii motivum infallibile haberi debet.

Prob. Judicia sensus communis modo expositi, partim fundantur in natura hominis rationalis, prout objecti evidentiâ perspicit adsequiturque; partim in naturali et invincibili inclinatione naturæ humanæ; atqui ex utroque capite ipsi congruit esse motivum infallibile certi judicii: ergo. Et quidem, quod ex primo capite, ex his quæ supra de evidentiâ hujusmodi veritatum, si non immediata, sane mediata proxima primis principiis haberi debet, et præterea robur et vim accipit.

Ex secundo capite: Profecto enim, cum impulsus ille naturalis, quo ad ferenda hujusmodi judicia dicimur, omnibus hominibus ratione utentibus communis sit ac constanter inest, ab ipso naturæ Auctore Supremo, originem ducere necesse est: ergo si ad falsa judicia propensio illa impellit, ad

(1) Quarta conditio ex assignatis a Balmes ita habet: «Toda verdad de sentido comun tiene por objeto la satisfaccion de alguna gran necesidad de la vida sensitiva, intelectual ó moral.» *Filosofia Fundamental*, lib. 1.º, c. 32.

falsum nos impelleret Auctor naturæ, ipsique proinde adscribenda esset nostra deceptio. Nisi ergo dicere velimus naturam rationalem ipsumque ejus Auctorem ad falsum nos necessario impellere, fateri cogimur sensum communem necessarium habere nexum cum veritate; siquidem «omni autem in re, ajebat Tullius, consensio omnium gentium lex naturæ putanda est... atque hæc ita sentimus natura duce.»

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.º Infallibile motivum vel criterium veritatis ad falsum judicium nunquam impellit; atqui quod nos vocamus sensum communem ad falsum judicium quandoque impellit: ergo. Prob. min. Naturali inclinatione homines feruntur ad judicandum calorem, ex. gr. dulcedinem, sonum, frigus etc. realiter inesse corporibus; atqui hocce judicium falsum est, ut philosophi demonstrant: ergo.

Responderi potest 1.º negando hujusmodi judicium ad sensum communem spectare: semel quippe data hypothesi quod philosophi demonstrent hocce judicium falsum esse, conditiones exueret ad veritatem sensus communis requisitas; quandoquidem, nec commune et constans esset illud judicium, nec rationi consentaneum, ac proinde non ex naturæ inclinatione, sed ex præjudicio, vel alio extraneo fonte oriretur. Sed tamen,

Resp. 2.º Neg. min. Ad prob. dist. maj. Naturali etc. *quatenus his nominibus significantur sensationes, neg. quatenus præfata nomina significant reales qualitates corporum a quibus sensatio oritur, conc.* Quæ distinctio min. etiam applicatur. Itaque, cum dicitur calorem, dulcedinem, alia hujusmodi, non in corporibus externis sed in subjecto sentiente existere, vel id accipitur eo sensu quod corporibus non insunt prout sensationes sunt, id est, quatenus significant et involvunt experientiam sensibilem; vel accipitur eo sensu, quod calor, dulcedo, etc. nihil sint in objecto, sed tantum in subjecto eas percipiente, ita ut non sint qualitates, dispositiones, modificationes, vel quocumque nomine appellentur, quæ vere et realiter corpus externum afficiant tanquam ejusdem accidentia. Si priori accipiatur sensu, falsum est hominem ferri ex naturæ inclinatione ad judicandum calorem etc.

corporibus inesse; namque non tantum philosophi omnes, sed vel ipsi rustici homines sciunt, et facile ac ultro fatebuntur, dum affirmatur, *ignem ex. gr. esse calidum, glaciem frigidam, saccharum dulce etc.* sensum non esse quod ignis sensationem vel experientiam caloris habeat, saccharum dulcedinis etc. sed tantum qualitatem quandam eis inesse, quæ calor, dulcedo etc. dicitur, et a qua corpus ipsum *calidum, frigidum, dulce* denominatur; aliud quippe est calidum esse, aliud calorem habere sensibiliter, vel ipsum experiendo. Immerito igitur et ad risum Cartesius, Mallebranche alique e cartesianæ scholæ, jactitarunt se proffigasse universalem errorem, quo tenebantur non solum vulgi homines, sed ipsi Scholastici, atque detexisse odorem, calorem, saporem aliasque similes sensationes, non in corporibus sed in sentiente tantum reperiri. Quasi vero nescirent Scholæ philosophi, sensationem caloris non in igne sed in manu reperiri! Quod si ignari quidam homines concipiunt calorem, saporem et cæteras hujusmodi qualitates corporum, tanquam quid omnino simile ipsi sensationi ex eisdem ortæ, id confusioni idearum (1) et defectui reflexionis tribuendum est.

(1) Ipsemet Reid, qui Aristotelem et Scholasticos non semel immerito carpit, Cartesiumque nimis extollit, ea quæ dicimus, agnoscit. En ejus verba ex gallico idiomate ad patrium versa. «El vulgo dice: el fuego es caliente, la nieve fria, el azúcar dulce; nuestros sentidos lo atestiguan y es un absurdo el negarlo. Los filósofos dicen: el calor, el frio, la dulzura, no son mas que sensaciones existentes en nosotros; suponer que estas sensaciones están en el fuego, en la nieve, en el azúcar, es un absurdo.»

La contradicción aquí es mas bien aparente que real. Proviene de un abuso de palabras por parte de los filósofos, y de cierta confusión de ideas por parte del vulgo. Cuando el filósofo dice que no hay calor en el fuego, ¿qué es lo que entiende por esto? que el fuego no experimenta la sensación de calor: tiene razon, y si se toma la pena de explicarse, el vulgo será de su misma opinion. Pero en realidad el filósofo se expresa mal, porque existe realmente en el fuego una cualidad que se llama calor, y tanto los filósofos como el vulgo designan por este nombre la cualidad mas bien que la sensación la mayor parte de las veces. Así, pues, los filósofos toman el término en un sentido, y el vulgo en otro. En el sentido del vulgo la proposición del filósofo es realmente absurda, y el vulgo sostiene que lo es: en el sentido del filósofo, la proposición es verdadera,

Objic. 2.° Plures Deos admittere est turpissimus error; atqui communis sensus ad plures Deos admittendos homines induxit: ergo. Prob. min. Quod communi omnium hominum consensu et sententia habetur, sensui communi est tribuendum; atqui polytheismus olim vixit ex unanimi populorum hominumque consensu: ergo.

Resp. Neg. min. Ad prob. dist. min. Polytheismus etc. ex omnium populorum hominumque consensu, neg. aliquorum populorum, subd. quoad omnes aetates, neg. quoad aliquas aetates et personas, conc.

Ut omittamus itaque polytheismum, nec nunc apud plurimos populos vigere, nec rationi consentaneum esse, quae sufficerent ad ipsum excludendum e numero iudiciorum ex communi sensu nuper exposito promanantium, indubium est errorem hunc nec apud ipsos veteres populos et homines unanimem vel universalem extitisse. Siquidem, unanimis consensus dici nequit is, cui primitus homines non adhæserunt, quippe unius Dei traditio et cultus per Adamum in posteros transmissa fuere, atque inter homines invaluit verus cultus quousque passionibus corrupti dogmata etiam corruerunt. Deinde, integra Judæorum natio Deorum pluralitatem rejiciebat, quod ad consensus universalitatem et constantiam labefactandam sufficeret. Id, ut prætermittam, eo etiam tempore, quo polytheismus grassabatur per populos et nationes, non defuisse philosophos et sapientes, qui Dei unitatem agnoverint.

Objic. 3.° Si communis sensus alicujus veritatis esset tu-

y el vulgo lo reconocerá desde el momento que se le manifieste su significado; porque el vulgo sabe muy bien que el fuego no siente el calor, y esto es precisamente todo lo que el filósofo quiere significar al decir que no hay calor en el fuego.» *Œuvr. compl.*, trad. de Jouffroy, t. 3.° Essai 2.°, c. 17.

Ille idem postquam affirmavit Aristotelem docuisse odores, sapes, colores etc. esse formas substantiales corporum (quod sanè falsum est, nusquam enim docuit Aristoteles, præfatas formas esse substantiales, sed tantum accidentales) subdit: «Aristote avait raison de croire que les saveurs, les odeurs, les couleurs, sont qualités inhérentes, aux corps et qui existent indépendamment de nos sensations; la nature même nous l'enseigne.» *Ibid.*

tum criterium, maximè ad Dei existentiam agnoscendam; atqui Dei existentiam communis sensus non testatur: ergo. Prob. min. Veritas sensus communis homines quoscumque ad assensum perfrahere debet; atqui in agnoscenda Dei existentia non omnes homines conveniunt: ergo. Mim. prob. 1.° ex atheis, qui quovis tempore extiterunt: 2.° ex populis barbaris, quorum quidam ex navigantium testimonio nullam Dei notitiam obtinent: 3.° ex philosophis veteribus, qui fere omnes æternitatem materiæ docuerunt, quæ necessitatem et existentiam veri Dei excludit.

Resp. Neg. min. Ad probat. dist. min. Non omnes homines *ratione utentes*, neg.: *qui ratione non utuntur*, trans. Quamvis ergo quidam homines vel propter nimiam et inveteratam barbariem, vel propter pravas affectiones et consuetudines belluino more viventes, rationis lumen ita extinguerent ut Dei notionem nullam haberent, nihil ex hoc adversus communis sensus testimonium colligere liceret, sicut non licet ex perpetuo fatuis et amentibus. Sed præterea ad singulas min. probationes breviter respondeo.

Ad primam. Quovis tempore extiterunt athei *practici*, qui scilicet, ita vivere et vivunt, quasi nullus Deus peccatorum vindex existeret. Nusquam vero extiterunt athei veri speculativi, qui revera apud se certo existimarent nullam Divinitatem esse. Namque si de philosophis et cultis hominibus loquamur, ipsis congruit illud Senecæ: «Mentiuntur qui dicunt se non sentire Deum; nam etsi tibi affirmant interdum, noctu tamen et soli dubitant.» Si vero de hominibus incultis et barbaris sermo sit, illud Ciceronis eis accommodatur: «Nulla gens est, neque tam immansueta, neque tan fera, quæ non, etiamsi ignoret qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat. Ex quo patet responsio.

Ad secundam. Nam tribus illæ, de quibus historici et navigantes, Divinitatis sensum aliquem et conceptum possident, quanvis hæc notio ex rationis imbecillitate, pravis consuetudinibus, passionibus aliisque causis, in eis oblitterata quodammodo reperitur. Adde his, navigantium de re hæc narrationibus, vel nullam, vel minimam fidem adhibendam, cum, ut alia prætermittam, barbarorum linguam vel penitus ignorent, vel non satis calleant ad eorundem internum sensum rimandum et perscrutandum.

Ad tertiam. Veteres philosophi æternitatem materiæ adstruentes, notionem quidem Dei deturpabant, at ejus existentiam non inficiabantur, sed expressis verbis adfirmabant, ut videre licet in Platone et aliis. Quod si hujus rei causam quæras, eam reperies in summa difficultate, qua humana ratio ad ideam creationis assurgit. Unde veteres illi revelationis lumine orbat, ad Dei Creatoris ex nihilo notionem non assurgebant, simul dum Dei existentiam et unitatem demonstrabant.

ALERE FLAMMAM
VERITATIS § IV.

De criterio sensuum externorum.

Prænotanda:

1.º Considerare oportet in externis sensibus, earum finem, objectum, condiciones, quæ ad certitudinem iudicii determinandam requiruntur.

2.º Finis sensuum duplex distinguitur: alter immediatus et *physicus*; alter, mediatus et *intellectualis*. Primus est conservatio corporis ac vitæ; atque hunc finem sensus adimplent, quatenus per eos admonemur de rebus ad vitam et corpus necessariis, utilibus, vel noxiis. Secundus vero est, corporum impressiones animæ referre, ac intellectui materiam ministrare ad rerum præsertim materialium notionem et ideas eliciendas. Ex perceptionibus etenim ac representationibus, tum externorum, tum internorum sensuum, humana ratio procedit ad plurimarum veritatum cognitionem ex innata vi et activitate. Ex parte itaque posterioris hujus finis, sensus sunt veluti mentis nuntii, ordinemque dicunt ad veritatem.

3.º Objectum sensuum universim spectatum sunt corpora, sive proprium, sive externa; sensatione enim corpus aliquod in concreto attingimus, ut oculis, turrim coloratam, reclam, rotundam, etc. Nihilominus in corporibus quædam sunt, quæ primario et *speciatim* ab aliquo sensu attinguntur, ut color a visu, sapor a gustu, etc.: alia quæ primario quidem, sed *communiter* a duobus vel pluribus sensibus attingi possunt, ut magnitudo, figura, etc., quæ per visum et tactum percipi queunt. Apud Scholasticos prima, *sensibilia propria* appella-

ri consueverunt; posteriora vero, *sensibilia communia*. Substantiam denique ipsam corporis cui hæc insunt, sensibilem per *accidens* dicebant. De his fusius in Psychologia.

4.º *Conditioes* quæ ad veritatem sensuum requiruntur sunt: 1.ª ut sensus bene valeant et apte sint dispositi, tam ex parte organi, quam ex parte medi: 2.ª ut intra limites proprios contineantur, cujus conditionis defectu fallimur dum, vel de sensibili *communi* ex unico sensu iudicamus, vel ex sensibus circa corporum essentiam et quascumque proprietates iudicium proferre volumus: 3.ª ut sensus testimonium sit constans ac perseverans, quæ conditio deficit in somniantibus: 4.ª ut sit uniforme et consentaneum, ita ut unus sensus alteri non contradicat, cujus conditionis defectu decipitur homo si figuram baculi aquæ partim immersi ex solo visu dijudicet: 5.ª demum ut ratio eis præsideat, eorum exercitium dirigendo, relationem et impressionis condiciones perpendendo, ac testimonia in examen revocando priusquam iudicium pronuntiet.

5.º Adversus sensuum criterium insurrexerunt quovis tempore idealistæ, inter quos

a) Berkeley statuit, sensationem nihil esse aliud quam internam et subjectivam mentis affectionem, ac proinde ex ipsâ, corporum realem existentiam minimè dignoscit aut demonstrari posse.

b) Kant et Fichte, quorum primus corpora, prout extra animam spectantur et in seipsis, tanquam quantitates, vel res incognitas habet, non inficiatus est tamen existentiam plurium animarum. Alter vero, nihil tanquam reale admit- tens nisi *eo ego purum*, ex cuius libera activitate, non solum externus mundus, sed reliqua cuncta objecta rationis oriuntur, realitatem omnem, non tantum corporum, sed spirituum etiam, atque ipsius propriæ animæ, quatenus individua et determinata existit, penitus e medio tollit; unde ejus systema *idealismus transcendentalis*, vel *egoismus absolutus* nuncupari posset.

c) Mallebranche contendit corpora quidem revera extra nos existere, sed id nobis minime constare sensuum ope et relatione, sed tantum ex revelatione divina. Huic Mallebranche placito præverat quodammodo Cartesius, corporum existentiam ex Dei veracitate repetendo, atque ex parte adhæsit

nostris temporibus Lamennais, qui sensuum testimonio, quotali, ac in seipso spectato, vim certam negavit.

THESIS.

Sensuum testimonium infallibile est motivum iudicii certi, tulumque proinde veritatis criterium, dum conditiones, ad eorum rectum usum requisitæ, adhibentur.

Prob. 1.^o Sensuum testimonium, juxta prænotata acceptum, necessariam habet cum veritate connexionem: 1.^o quia si mens deciperetur dum de rebus sensibilibus iudicium profert ex sensuum testimonio recte adhibito, deceptio hæc in naturam ipsam, vel potius in naturæ Auctorem redundaret; deceptio namque, quæ ex potentia cognoscente, et circa proprium objectum recte adhibita, profluit, in Auctorem ipsius potentia proculdubio refunditur.

2.^o Quia hujusmodi testimonium ex seipso perspicuum est, ac quid notissimum, non secus ac evidentia et conscientia. Quid enim magis animæ notum, quam id quod per externos sensus perspicue videt, tangit, etc.? Unde merito irrideretur, qui dum mensam tangit et videt, cibum sumit, calamo scribit, affirmaret se vere ipsam mensam non videre, nec ipsum cibum realiter sumere, nec calamum quo scribit vere inter digitos habere, sed hæc omnia nihil esse aliud quam interna ac mere subjectiva phænomena, apparentesque, vel delusorias imagines.

3.^o Denique sensuum testimonium ultima est ratio quam afferre possumus pro certitudine quorundam iudiciorum, quæ altera est nota criterii veritatis. Nam si quis ex. gr. a me quærat, cur certus sin mensam hanc ad unam in longum protendi, nihil aliud profecto respondere possum, aliante assignare rationem, nisi quia oculis et tactu clare ita percipio.

Prob. 2.^o thesis. Si sensuum testimonium non esset medium tutum ac certum dijudicandi ac discernendi verum et falsum quoad sensibilia plurima, physica scientia penitus periret, vel potius impossibilis redderetur, quippe quæ tota quanta est, experientia et observatione nititur; ast vero experimenta et observationes circa corpora ipsorumque qualitates et effectus, non aliter quam per sensus possunt institui.

Immo etiam, si sensibus recte adhibitis firma fides non adhibetur, reliquæ etiam scientiæ magna ex parte labefactantur; quandoquidem sibi quisque conscius est, se ex corporum existentia, qualitatibus, accidentibus, effectibus, plurimas veritates, tum circa ipsa corpora, tum circa objecta pure intelligibilia inferre, quæ sane veritates nutarent, si ea quæ sensibus intuemur vera non essent. Hinc apposite D. Thomas (1): «Quandoque proprietates et accidentia rei, quæ sensu demonstrantur, sufficienter exprimunt naturam rei, ac tunc oportet quod iudicium de re vera, quod facit intellectus, conformetur his quæ sensus demonstrat de re; et hujusmodi sunt omnes res naturales, quæ sunt determinatæ ad materiam sensibilem: et ideo in scientia naturali terminari debet cognitio ad sensum, ut scilicet, hoc modo iudicemus de rebus naturalibus, secundum quod sensus eas demonstrat. Et qui sensus negligit in naturalibus (in rebus corporeis et sensibilibus) incidit in errorem.»

Corollaria:

1.^m Ergo sensatio habenda non est tanquam mera affectio interna et subjectiva. Si enim res ita se haberet, per testimonium sensuum, quod certe sensatione constat et continetur, certitudinem adsequeremur nos experiri has, vel illas affectiones, et ad summum demonstrare possemus, eas ab aliqua causa a nobis distincta oriri, as minime certitudinem de existentia corporum eorumque proprietatibus haberemus.

5.^m Ergo Cartesius ejusque discipuli, qui sensationem ad meram affectionem internam conati sunt reducere, latam et facilem viam idealismo sternunt.

3.^m Ergo sensatio non tanquam affectio interna et subjectiva est habenda, sed est ratio qua corpora ipsa ipsorumque qualitates immediate et in seipsis percipiuntur. Ratio enim quare certus sunt existere corpora extra me, quasdam habere proprietates et qualitates, alia non est nisi quia ea sensibus perspicue percipio, non secus ac ratio quare certus sum bis tria esse sex, alia non est nisi quia res evidens est, evidenterque eam intellectu percipio. Hinc videmus quod illi,

(1) Opusc. 70, q. 5, art. 2.^o

qui Cartesium secuti, nihil in sensatione repererunt præter affectionem subjectivam, vel realitatem mundi externi inficiati sunt, ut Berkeley; vel in dubium revocarunt Kant et Fichte; vel ex ratiocinio tantum magis aut minus legitimo et difficili intulere, ut Cartesius, Mallebranche et Locke: (1) et tamen hominum quisque absque demonstratione ulla, sed ex solo sensuum testimonio ac perspicua eorum perceptione, certus est corpora extra nos existere. (2)

(1) Ipsemet Royer-Collard id agnoscit, dum ait: «Descartes, Mallebranche, et Locke, maintiennent le monde extérieur, ils prétendent seulement prouver sa réalité en la déduisant de la réalité des idées... Descartes croit la rencontrer dans l'idée de Dieu; Mallebranche conteste la preuve de Descartes; il n'en trouve de solide que dans la révélation.

Ainsi, la révélation écartée, Mallebranche pressant la doctrine de Descartes aboutit au pur idéalisme; Berkeley atteignit le même résultat en pressant les conséquences de la doctrine de Locke.» *Fragments de Royer Collard*, apud Reid, od. cit. T. 3.^o, pág. 394.

(2) Ab horum philosophorum sententia non multum distat nos-ter Balmes, qui statuit, 1.^o sensationem esse meram affectionem internam, ac proinde ex se nihil externum testificari: «La sensation considerada en sí es una mera afección interior.... La simple sensation pues, considerada en sí, no atestigua: es un hecho que pasa en nuestra alma.... es una afección de nuestro ser, un hecho simple, nada mas.» 2.^o Existentiam corporum externorum admittendam quidem esse, sed non propter immediatam perceptionem illorum, ope sensuum et sensationum, sed ex ratiocinio, quo, juxta ipsius sententiam, demonstrari potest extensionem corporum extra nos esse; quod tamen ratiocinium, si semel admittatur sensationem esse purè factum internum et affectionem subjecti, prorsus nulat; semel enim constituto tanquam principio, sensationem esse tantum modificationem subjecti ex sua propria natura, necessario consequitur, per ipsam non attingi aut percipi corpora ipsa et eorum qualitates. Unde ex eadem concludi poterit ad summum per ratiocinium intellectus, existere extra nos aliquam causam sensationum.

Itaque, si principiis propriis stare velit Balmes, remove debet a sensibus omnem certitudinem *objectivam*, solumque relinquere *subjectivam*. Id ut omittam inexactam notionem, quam de corpore ibidem tradit, dum scribit: «Examinando filosóficamente el concepto de cuerpo encontramos en él el de una cosa distinta de nuestro ser, y cuya presencia nos causa tales ó cuales sensaciones.» Porro,

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.^o Si testimonium sensuum veritatis tutum criterium esset, maxime id locum haberet pro existentia corporum dignoscenda; atqui ex sensuum testimonio corporum existentia nobis constare nequit: ergo. Prob. min. Sensatio, utpote mera subjecti sentientis affectio, intra nos tantum existit, ac proinde quod extra nos invenitur referre nequit: atqui corpora extra subjectum sentiens sunt posita: ergo.

Resp. Neg. min. Ad prob. Dist. maj... Sensatio etc., *si sensatio sit actio perceptiva et cognoscitiva ex propria natura, neg. aliter, trans.* Cum sensatio apud omnes perceptionem et cognitionem necessario involvat, subjectum, simul et objectum respicit; quippe implicat cognitio absque subjecto cognoscente et objecto cognito. Jam vero, quamvis sensatio, si ex parte subjecti spectetur, ipsius affectio sit, at simul ad objectum aliquod terminatur, quod quidem objectum apud nos sunt ipsæ qualitates in corporibus existentes, vel si malueris, ipsa corpora prout determinatis subjiciuntur qualitatibus. Objectionis itaque solum impetere potest Cartesium ejusque assecclas, qui nihil in sensatione vident præter subjecti affectionem.

Objic. 2.^o Nullis existentibus corporibus, posset Deus in nobis determinare easdem sensationes, quas nunc experimur: ergo ex sensuum testimonio constare nequit existentia corporum.

Resp. Omis. ant. neg. cons. Etiam si concedatur Deum, attenta sola omnipotentia vi, posse in nobis immediate determinare sensationes similes his, quas in percipiendis corporibus experimur, quod quidam inficiantur, saltem indubium est, factum hujusmodi non existere, quia repugnaret veritati divinae; quandoquidem, eâ in hypothesi, homo necessario et invincibiliter perpetua deceptione et errore illu-

si res ita se habet, Deus, qui proculdubio et præsens nobis existit, et sensationem excitare potest similem ei quam corpora in nobis producant, corporis naturam et conceptum philosophicum sortitur. Vid. *Filos. Fund.*, lib. 2.^o, capp. 1.^o, 4.^o et seqq.

deretur, quod Dei veracitati et sanctitati penitus repugnat.

Objic. 5.^o Testimonium sensuum sæpe nos fallit: ergo nunquam tuto ei credimus. Prob. ant. Turris quadrata eminens visa, rotunda percipitur; lanam oculis percipimus tanquam parvæ extensionis corpus, etc.: ergo.

Resp. Dist. antec. Sæpe nos fallit, si recte adhibeatur, neg. si conditiones requisite non serventur, conc. In primis, respectu sensibilis seu objecti proprii, sensus vel nunquam, vel raro fallunt. Deinde, tam quoad sensibilia propria, quam quoad communia, nunquam fallunt per se et proprie, tum quia iudicium de re ad solum intellectum spectat; tum maxime quia sensus rem semper exhibent prout naturæ leges in illis adjunctis expostulant. Solum igitur per accidens et occasionaliter falsi dici possunt ex præcipiti iudicio intellectus, dum de re iudicat, quin conditiones assignatæ pro recto usu et testimonio sensuum serventur. Sic in allato priori exemplo, falsum iudicium vitabitur, si visus et tactus testimonia conjungantur, cum agatur de objecto sensibili communi.

Objic. 4.^o Quandoque sensationem refert homo ad corpus non existens: ergo et sensus falluntur per se, et sensatione corpora ipsa non attinguntur. Prob. ant. exemplo eorum, qui post amputatum brachium, dolorem sentiunt, quasi in eo existeret.

Resp. Dist. ant. Sensationem externam, neg. internam, subdist, per se, neg. ex errore imaginationis, conc. Primo itaque, nos hic non de sensibus internis sermonem habemus, dum testimonium sensuum, qua criterium veritatis, expendimus, sed potius de sensibus externis. Deinde, dolor ille ex imaginationis deceptione, vel potius ex præcipitatione iudicii originem ducit, quatenus, nempe, imaginatio dolorem percipit in ea parte, in qua antea consueverat experiri; at error iste facile per mentem corrigi potest, si testimonium aliorum sensuum, puta, tactus, adhibeatur. Præterea, internus corporis dolor ex ipsa sua natura obscurus est quandoque quoad determinationem partis corporis in qua viget, ut videre licet in his, qui rheumate tenentur.

§ V.

De Criterio auctoritatis humanæ.

Quoniam plurima in sapientibus ipsis inveniuntur, quorum notitiam, nec ex evidentia, nec ex communi sensu, nec ex conscientia aut sensuum testimonio hausserunt, sed ex aliorum hominum testimonio et relationi, qui humani testimonii vim elevant, elevant simul maximam scientiæ humanæ partem, immò etiam societatis et Religionis fundamenta conculcunt; quæ profectò corruunt, si fides certa hominum testimonio denegetur. Quapropter merito Melchior Canus: «Plerique nostra hac ætate, perversè, ne dicam impudenter, res quas esse gestas gravissimi Auctores testati sunt, in dubium vocant. Qui, si idoneas causas probabilesque redderent, audiendi fortasse essent; cum vero reddant nullas, contemnendi sunt, ut qui communem hominum sensum exuerunt, iudiciorum humanorum potissima instrumenta, hoc est, testimonia rejecerunt, vitæ magistram, prudentiæ subsidium, lucem veritatis, historiam neglexerunt.» Sed quia, ut ipsemet ait; «uterque, et qui cito credit, et qui ad credendum nimium est tardus, jure reprehenditur,» ut auctoritatis et vim et existentiam dignoscamus ac recte dijudicemus, quædam sunt

Prænotanda:

1.^o Facta quæ ex hominis testimonio homini constant, vel sunt *dogmatica* seu doctrinalia, ut dum ex sapientis testimonio certus fit tres angulos trianguli esse æquales duobus rectis, vel solem terram magnitudine superare; vel sunt *historica*, ut hominum et populorum res gestæ, ac rei vel phænomeni existentia, quæ hominum historia et relatione habentur.

Rursus, ex factis quædam *naturalia*, quædam vero *supernaturalia* existunt. Prioris generis sunt, quæ nihil præ se ferunt, quod consuetis naturæ legibus consentaneum non sit: postrema, quæ perfici non potuerunt quim præfatis naturæ legibus derogatum fuerit. Præterea, facta quædam *perspicua et obvia* existunt, alia vero *obscura et difficilia*, quæ, nempe, aliquam exigunt ingenii sagacitatem, ut perspicue percipian-

tur, ut physica quædam experimenta, phænomena magnetismi, etc.

Quædam etiam *publica* dicuntur, vel quia in iudicio, aut authentica alia ratione constant; vel quia frequenti coram populo patrata fuere, taleque sit factum, ut intuentium attentionem merito excitare valeat: quod si e contra factum paucis tantummodo innotuerit, *privatum* nuncupatur.

Denique facta, quæ hominum testimonio constant, quandoque præjudiciis favent, quandoque adversantur: favent, dum narratoris familie, patriæ, religioni, opinionibus, affectibus, utilitati sunt consentanea: adversantur, dum hæc deficiunt, aut dum ea quæ narrantur a communi hominum sensu et utilitate abhorrent.

2.º Qui rem sibi notam alteri adfirmando nunciat, vel manifestat, *testis* nuncupatur. Porro hujusmodi testis, si nunciat rem ratione tantum cognitam, dicitur *dogmaticus*; si rem aliquam sensibus obviam et eorum testimonio subjectam, *historicus*. Si rem narrat quam ipse oculis perspexit, *oculatus*; si vero quam ex aliorum dictis, vel relatione accepit, *auritus* dicitur. Quod si postremus hic vixit eâ ipsa ætate, qua factum narratum contigit, *coævus* appellatur; secus, *posterior*, qui majorem aut minorem meretur fidem prout rei gestæ proximior extitit aut remotior, et prout rem narratam a testibus oculatis, vel auritis tantum, accepit.

Attendere quoque oportet in testibus; 1.º *gravitatem*, quæ ex ætatis maturitate, iudicii rectitudine, mentis acie et cultura, religione et patria potissimum desumitur: 2.º *probitatem*, quæ dignoscenda venit, ex ipsius integritate, moribus, institutione, veracitate: 3.º *constantiam et concordiam*, tum quoad seipsum, tum quoad alios, quo enim plures in facto narrato conveniunt, dum illi præsertim contrariis affectibus, utilitati, religioni, studiis, aut opinionibus subjiciuntur, eo potior vis ipsorum testimonio inest.

3.º Igitur *auctoritas* testium exurgit ex ipsorum scientia et veracitate, quatenus a nobis cognitis; siquidem vim majorem, vel minorem alicujus testimonio concedimus, quatenus nobis constat, ipsum, et rem quam testatur satis cognoscere, et fallere nolle. Hæc porro auctoritas, *divina* dicitur, si de re agatur, quæ Dei constet testimonio; et hæc non moralem tantum, sed omnimodam, vel metaphysicam certitu-

dinem parit, quippe absolute repugnat Deum, vel falli, vel fallere posse; sed de hac theologi. Nos hic de humana auctoritate, cujus quasi proprius effectus est fides *humana*, quæ, ut moralem certitudinem includat, quasdam exquirat conditiones.

4.º Itaque opus est 1.º ut factum de quo agitur sit sensibile, publicum, gravis momenti, ita ut attentionem serio excitet, evidenter non impossibile, nec sensui communi repugnans: 2.º ut qui ipsum testantur, rem percipere poterint, vel propriis sensibus, vel ex testibus aut instrumentis omni fide dignis: 3.º ut vel sint ita certo probi, ut facile cognoscatur eos fallere nolle; vel si eorum probitas non ita certo constet, ea sint rerum adjuncta, ut, etiamsi vellent, non possent decipere, prout contingit dum ii, qui rem testantur, patria, educatione, moribus, studiis, comodo, sunt diversi, aut etiam contrarii: 4.º ut testimonium sit constans et uniforme, saltem quoad substantiam facti, nam sola varietas quoad aliquas minoris momenti circumstantias, fidem quoad factum ipsum non elevat. Accipe exempla: *Londinum existere: Julium Cæsarem pleno senatu a senatoribus quibusdam interfectum*, res sunt quibus firmiter adsentior ex auctoritate humana, quia præfatis gaudent conditionibus, ut intuenti facile patet. Quod idem de sexcentis aliis factis dici potest. Itaque sit,

THESIS.

Auctoritas humana, conditionibus modo expositis munita, est motivum infallibile certi iudicii quoad facta sensibilia et historica.

Dico quoad facta *sensibilia et historica*, ut omittantur facta dogmatica, atque etiam phænomena, quæ sub sensus quidem cadunt, sed ingenii sagacitatem aut mentis culturam quandam exigunt, ut motus planetarum, eclipsis, curationes magneticæ &c.

Prob. 1.º Auctoritas illa, quæ includit testimonium cujus auctores nec ipsi decipi, nec alios decipere potuerunt, vel etiamsi voluissent decipere non possent, est motivum infallibile certi iudicii, ut per se patet: atqui sic se habet auctoritas humana dum expositis nuper conditionibus munitur:

ergo. Prob. min. per partes. Auctores præfati testimonii, In primis, *decipi non potuerunt*. Quandoquidem, impossibile penitus habetur decipi posse plures simul homines, dum narrant factum aliquod sensibile, publicum, magni momenti, quod, vel ipsi viderunt, vel ab aliis fide dignis acceperunt, si hujusmodi homines, sive testes oculati, sive auriti sint, nullum commodum ex narratione reportent, sive quoad se, sive quoad patriam, religionem et familiam; vel denum si idem testentur, quantumvis studiis, affectibus, indole, ingenio diversis, aut etiam oppositis.

Deinde *alios decipere nollunt, aut si vellent, non possent*. Nam supponimus testes esse plures, et certo probos, et integros, quã in hypothesi alios decipere nolunt; vel si non omnes sint probi et integri, at sunt moribus, patria, cupiditatibus, religione, commodis inter se diversi et oppositi, quis autem credat, homines plures, studiis et commodis omnis generis diversos, et oppositos, aut quibus nihil interest rem occultare, ut dum agitur ex. gr. de existentia Londini, de morte Cæsaris, omnes ad unum in mendacium conspirare, præsertim cum nullam utilitatem ex mendacio reportant? Id sane, et communi hominum sensui, et quotidianæ experientiae, et generalibus ac constantibus societatis legibus moralibus prorsus repugnat. Ergo ex hominum testimonio obtineri potest quandoque factorum, sive præteritorum, sive præsentium, certa et infallibilis cognitio.

Prob. 2.^o thesis ex absurdis. Nam si semel concedatur humanum testimonium motivum infallibile certi judicii non existere quoad facta sensibilia et historica, derogatur sapientiae et providentiæ divinæ, juxta quas in præsentis rerum statu, veritates fundamentales societatis et religionis non nisi ex humano testimonio certo agnoscimus. Siquidem, ex humana auctoritate habemus et scimus certo, christianam religionem a Jesu Christo fundatam, per apostolos prædicatam, miraculis probatam, martyrum sanguine sancitam, etc. Similiter nos ad talem familiam pertinere, talibus juribus gaudere, talia bona possidere, etc. Ergo qui humani testimonii certam et infallibilem vim et auctoritatem de medio tollit, divinæ providentiæ statutum ordinem, ipsaque societatis et religionis fundamenta subvertit.

Ex hucusque expositis facile inferitur, hominum testi-

monium, si desint assignatæ conditiones, non certam fidem, sed magis aut minus probabilem determinare, cujus quidem probabilitatis gradus diversi existunt pro diversitate factorum, testium, et reliquarum circumstantiarum. Quamvis autem hujusmodi gradus mathematicæ, ut ita dicam, determinare, difficillimum, vel potius impossibile sit, quasdam tamen regulas subjicere placet, quas præ oculis habere oportet. Quarum sit,

1.

Si agatur de re doctrinali vel scientifica, testimonio viri sapientis sive periti in re illa sua vis constat, sed facile cedit rationi, seu experientie in contrarium. Quoad rudes tamen, vel imperitos in scientia illa, normam prudentis judicii præbet, si plurimi conveniant.

Prima pars patet; quia illi qui scientiam quærunt, non quaecumque rei notitiam, sed rationalem quærunt, ac proinde quæ ratione aut gravi fundamento nitatur. Hæc autem rationalis notitia præcipue habetur perpendendo argumenta et rationes, ex quibus rei veritas elucescit. Altera pars satis constat, tum ex eo quod peritis in arte credendum est, nisi grave momentum obstet; tum quia rudibus et in arte aliqua imperitis alia non suppetit via pro aliqua scientiæ illius notitia obtinenda. Ubi inamadvertite, hanc secundam regulam partem cunctos homines comprehendere; nullus quippe existit quantumvis sapiens, qui omnes scientias et artes addiscat, quinimo etiam, in ipsis quas callet, non omnia per semetipsum perpendere, aut experiri potest.

2.

Testimonium hominis sapientis aut exercitati judicii, jure præfertur testimonio indocti et vulgaris hominis quoad facta dogmatica, non vero in aliis. Similiter oculus testis præfertur aurito, cæteris paribus. Si duo homines unus doctus, indoctus alter, narrent se vidisse cometam, aut eclipsim lunæ, major fides præstari debet docto quam indocto, quia hic facilius in rebus hisce fallitur: si vero agatur de eventu communi et sensibili, e. g. de occisione hominis, æqua eis fides

præstatur. Secunda regulæ pars, præter alia, vel ex eo satis constat quod, ut quotidie experimur, eorum qui factum audiunt quisque aliquid addit, minuit, vel immutat.

5.^a

Testimonium hominis, qui partium studio agitur, minimam meretur fidem. Ea quippe est vis præjudiciorum, præcipue vero adfectuum voluntatis, ut odii, amoris, spei, gloriæ, etc. ut historicus qui eis agitur, facta in transversum agat, immutat, subtrahat, addat, adeo ut nec ipsi fidere prudens sit, dum res sive instrumenta publica a se visa narrat. (1)

4.^a

Coævus scriptor posteriori jure præfertur: quod si plures coævi in narratione perfecte conveniunt, maximam merentur fidem, præsertim cum de facto publico agitur. Siquidem si rem falso narrarent, statim alii reclamarent.

5.^a

Pluralitas testium majorem meretur fidem, si per diversu media et vias a principio factum acceperint. Nam si plures quidem testes vel scriptores de re aliqua loquantur, sed om-

(1) Perfacile esset hujus rei quamplurima congerere exempla, atque inter alia illud Llorente, qui in *Historia Inquisitionis* affirmat inter reos, qui ab Inquisitione Cæsaraugustæ judiciali ac puni fuere post tumultos occasione Antonii Perez, ibidem excitatos, septuaginta novem traditos fuisse brachio sæculari morte plectendos, cum tamen ex authenticis instrumentis, ipsisque coævis et oculatis testibus penitus constet, sex tantum præfatam subisse sententiam. Et tamen historicus iste pollicetur Inquisitionis historiam ex ejusdem archivis authentice conscribere. Vid. egregium opus marchionis de Pidal, cui titulus: *Historia de las Alteraciones de Aragon en el reinado de Felipe II*, ubi hunc et alios errores, tum citati Llorente, tum aliorum historicum solida simul ac eximia eruditione confutat. Quoad errorem cit. Llorente, vide t. 2.^o, pag. 27. 28 et 29.

nes ab uno originaliter acceperunt, non majorem merentur fidem quam eam, quæ primo debetur. Sic e. g. ea quæ de adventu Æneæ in Italiam congesserunt auctores, minimam merentur fidem, cum ab unico nec tuto fonte, nempe Virgilio, poetarum more narrante, sint hausta.

6.^a

Historici vitam noscere oportet, priusquam ejusdem narrationi certa ac fixa adhibeatur fides. Hæc regula maximi est momenti, et reliquas quadantenus continet. Nam cum vis humani testimonii, ut supra dixi, exurgat ex rei notitia, quam habet testis, ac ejusdem veracitate, quæ ex ipsius vita et adjunctis dijudicandæ sunt, conficitur plane interesse plurimum narratoris scire vitam; hæc quippe ratione scimus utrum doctus, prudens, ac probus extiterit; quibus moribus, quâ ætate, patria, religione, indole, affectibus; præditus fuerit; ex quibus, aliisque ejus adjunctis, desumere possumus veluti criterium quoddam generale ad ipsius narrationes dijudicandas.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.^o Quæ demonstrari nequeunt, firmum assensum non merentur, nisi ex seipsis perspicua sint, ut facta conscientiæ, prima principia, etc.; atqui facta historica, nec ex seipsis perspicua sunt, nec demonstrationem admittunt: ergo.

Resp. Dibt. min. Non admittunt demonstrationem metaphysicam aut physicam, trans. moralem, neg. Rei cujusque demonstratio, rei demonstratæ consentanea esse debet. Porro, sicut rebus mathematicis ex. g. respondet demonstratio, quæ metaphysicam pariat certitudinem, ita ex adverso, factis historicis congruit ac respondet demonstratio moralis, id est, ex qua moralis certitudo exurgit. Transmissi alterum membrum, tum quia veritas et vis humani testimonii demonstrationem patitur ab absurdo, quæ metaphysicæ æquiparatur; tum quia certitudo, quæ facta historica comitatur, quandoque physicæ æquivalet quoad vim; insanus

quippe merito haberetur, qui de Londini existentia dubitaret.

Instabis: Certitudo etiam moralis facti haberi nequit, nisi certò constare possit de scientia et veracitate testium; sed de hac scientia et veracitate nunquam certò potest constare: ergo Prob. min. Homines omnes et falli et fallere possunt: ergo.

Resp. Neg. min. Ad prob. dist. antec. *si homines omnes, vel etiam plures collectivè sumantur, neg. si singuli seorsim, trans.* Nam quamvis respectu facti complexi, aut scientifici, aut privati, aut sensibus non obvii, decipi singuli homines possint, at non respectu facti publici, sensibilis, obvii et facillimè perceptionis quis dicere audeat singulos homines posse decipi in percipienda existentia Romæ? Sed, his omis- sis, ad vim criterii auctoritatis humanæ sufficit plures homines nec falli, nec fallere posse pro quibusdam rerum adjunctis, quamvis concedatur singulos posse.

Objic. 2.^o Sic se habent facta a nobis remotiora secundum tempus et locum, sicut ebjecta sensibilia respectu visus ex. g.: atqui quo objectum sensibile magis est a visu remotum, visio redditur magis difficilis ac defectuosa: ergo saltem quoad facta a nobis remotiora, moralem certitudinem obtinere non possumus.

Resp. Neg. maj. et paritatem. Nam objectorum visio fit per radios, qui magis ac magis continuo ab invicem disjunguntur, unde quo remotius existit objectum eo pauciores radii visus organum ingrediuntur. Ast vero, testimonia pro facto morali certitudine certo, ab invicem non disjunguntur, sed potius coeunt et in unum quasi terminum conspirant.

Instabis tamen: Testis auritus minorem fidem meretur quam testis oculatus; atqui post primam generationem facti, testes omnes sunt auriti: ergo minorem mereantur fidem, quam in tertia, quarta, etc. decrecere oportet, quousque sensim evanescat.

Resp. Dist. maj. Testis auritus *solitariè sumptus*, conc.: *si cum aliis jungatur*, neg. Testis quidem solùm auritus inferior quidem est oculato, cæteris paribus. Sed ex hoc minime consequitur, testibus auritis nunquam certam fidem adhibendam; adhiberi etenim debet dum adsunt conditiones

supra expositæ; præsertim cum ipsi auriti numero plures sunt, diversis studiis et affectibus acti, et ex oculatis sive immediatè, sive mediatè acceperunt. Cæterum, dum auriti testes congruas condiciones obtinent, eorum testimonium ex temporis solius lapsu, nec evanescit, nec infirmatur.

Objic. 5.^o Ut ut detur facta naturalia certo nobis contare posse ex hominum testimonio, in supernaturalibus saltem id minime locum habet. Quod probatur 1.^o, quia miracula actualem derogationem legis naturæ implicant, nemo autem certo scire potest talem effectum non ex vi naturæ accidere, cum nullus omnes naturæ vires cognoscat: 2.^o quia miraculum tale evenisse, ad summum moraliter certum erit at illud non evenisse, certum existit physica certitudine, quæ ea respicit, quæ veritatem habent ex legibus naturæ; atqui certitudo physica superat et elidit moralem: ergo.

Resp. Neg. ant. et prob. Et quoad primam quidem, ultro libenterque fatemur, miraculum legibus naturæ derogare, at penitus inficiamur, existentiam hujus derogationis nunquam certo nobis constare posse, aut ad id pronuntian- dum opus esse universas naturæ vires cognoscere. Itaque, prudenter ac non temerè in adstruendo miraculo incedere oportet, nec cum eo confundendi miri effectus vel ignoti; sed *quandoque* existere inficiari, summæ pervicaciæ esset, ac humani testimonii vim omnem evertere. Deinde, ad dijudican- dum tale factum miraculosum esse, minime opus est uni- versas naturæ vires cognoscere, sed sufficit agnoscere ipsum superare causas eas vel vires, quæ factum illud circumstant, et ad ejus productionem adhibentur, ut si quatruiduanum ac fœtens cadaver surgat ad imperium et vocem hominis.

Quoad 2.^{am} prob. quam Rousseau, Diderot et rationalis- tæ alii tantoperè estollunt, purum putumque sophisma existit. Nam dicere tale factum, ex. gr. *resurrectionem hominis*, non evenisse, physice certum esse, idem est ac dicere: *re- surrectio hujus hominis non contigit nisi interruptæ sint leges naturæ*: quod quidem verissimum est, ac certum certitudine physica. At vero, dum ritè constat de existentia hujus facti, simul constat revera interruptas fuisse leges naturæ; ac proinde deficit conditio ea, quæ in priori propositione in- cluditur. Igitur, in factis supernaturalibus nulla existit oppo- sitio inter certitudinem physicam et moralem, sicut nulla

quoque existit inter has duas propositiones: *Petrus non resurrexit, nisi interrupte fuerint leges naturæ: Petrus resurrexit, quia, scilicet, interrupte sunt hic et nunc quoad eum leges naturæ.*

ARTICULUS QUINTUS.

De reductione criteriorum.

Ex hucusque disputatis liquet, quinque a nobis enumerata criteria motiva esse infallibilia iudicii certi, quatenus, nempe, necessarium nexum habent cum veritate. Attamen, quia quæ sunt in aliquo genere, ad primum principium illius generis revocare oportet, opus est ut præfata motiva ad aliquod ultimatè reducantur, ex quo homo cætera motiva, eorumque cum veritate nexum agnosceat et dijudicet. Unde illud, quodvis tandem sit, *primarium motivum* certi iudicii, vel *principium certitudinis* appellari potest.

Jam, nostra hæc ætate Lamennais principium unicum ac primum certitudinis in *consensu communi* hominum reposuit, statuens, 1.º hunc consensum communem, seu auctoritatem generalem, esse unicam tutam regulam absolutæ ac perfectæ certitudinis in iudiciis: 2.º proinde nonnisi per hujusmodi auctoritatem hominem de primis veritatibus ac de ipsa sua existentia certitudinem obtinere: 3.º unde homo quilibet, ajebat, seorsim sumptus certitudinem ullam, nec quoad sensibilia, nec quoad intelligibilia acquirere potest. Ab hac sententia non multum abhorret tum opinio Bautain asserentis veritates fundamentales ipsius philosophiæ, nonnisi per revelationem divinam certo a nobis cognosci, a qua tamen sententiam, Ecclesiam audiens, postea discessit; tum opinio Huet, qui olim docuit verum ac unicum certitudinis principium esse fidem divinam, siquidem fides divina ex Ecclesiæ ipsius consensu et auctoritate legitime proponentis, ad nos pervenit. Adversus quos sit

THESIS.

Nec consensus communis, nec fides divina sunt primum vel unicum veritatis aut certitudinis naturalis criterium.

Prob. 1.º quoad consensum communem.

Illud nequid esse criterium primum aut unicum certitudinis naturalis, quod et alia criteria necessario supponit, et non in quibuscumque iudiciis locum habet; atqui sic se habet consensus communis hominum: ergo. Nam in primis, alia præsupponit criteria: nec enim certus esse possum reliquos homines in propositione seu veritate aliqua mecum ac inter se consentire, nisi ex testimonio sensuum externorum, eos, ex. gr. *audiendo*, vel ipsorum scripta perlegendo ac *videndo*. Deinde, omnibus veritatibus non applicatur; quis namque expectet aliorum hominum consensum ad firmiter ac certo adsendendum his veritatibus: «ego cogito et existo: totum est majus sua parte: impossibile est idem simul esse et non esse?» Id, ut omittam, si non penitus impossibile, et certe difficillimum esse statuere ac dignoscere, quos gradus obtinere debeat præfatus consensus, ut vim certi et indubitati habeat criterii. (1)

Quoad fidem divinam:

Nam similiter, fides divina certitudinem in nobis producere nequit nisi in nobis existat, ejusque veritates et objecta nobis proponantur: ergo existentia fidei in nobis præsupponit necessario testimonium sensuum externorum, quibus utimur et utuntur illi, qui res fidei nobis proponunt. Similiter, nemo fidei divinæ propositionem aut cognitionem expectat ad firmiter adsendendum primis veritatibus, factis

(1) Apposite ad rem nosler Balmes: «Un criterio, mayormente si tiene la pretension de ser el único, ha de reunir dos condiciones: no suponer otro, y tener aplicacion á todos los casos. Cabalmente el del consentimiento comun es el que menos las reúne; antes que él, está el testimonio de la conciencia; antes que él está tambien el testimonio de los sentidos; pues no podemos saber que los demás consienten, si de esto no nos cercioran el oido ó la vista...»

Este criterio no es posible en estos casos, y en muchos otros es harto difícil cuando no imposible del todo. ¿Hasta qué punto se necesita el consentimiento comun? Si la palabra *comun* se refiere á todo el linage humano, ¿cómo se recogen los votos de toda la humanidad? Si el consentimiento no debe ser unánime, ¿hasta qué punto la contradiccion ó el simple no asentimiento de algunos destruirá la legitimidad del criterio? *Filos. Fund.* lib. 4.º cap. 33.

conscientiæ, existentia corporum etc. Ergo fides divina, nec primum, nec unicum existit veritatis et certitudinis naturalis motivum.

Notandum tamen, minime nos idcirco eis adsentiri, qui vim omnem criterii consensui communi penitus abjudicant. Rejicimus equidem ipsum ad sensum Lamennais; rejicimus tanquam primum aut unicum veri criterium, at ultro fatemur vim magnam inesse *consensui communi* pro veritate certo dignoscenda; ac proinde tanquam criterium *suppletorium* haberi debet, præsertim quoad evidentiam mediatam et testimonium sensuum. Cum enim in ratiocinatione, qua ad mediatam evidentiam pervenimus, defectus aliquis facile illabatur, vel ut merito ait D. Thomas, *aliqua admisceatur propositio quæ non demonstratur*, confugimus tunc ad aliorum testimonium, ita ut si videamus omnes vel plures homines ratiocinium illud et veritatem eodem modo ac nos conficere et videre, tutissimè eam amplectamur. Simile quid accidit quoad res et veritates per sensus habitas: nam quoniam hi ex diversis causis ac circumstantiis nos occasionaliter decipiunt, majorem proculdubio certitudinem adsequimur, dum notamus propriorum sensuum testimonium cum testimonio aliorum congruere. Itaque, *consensus communis* hominum, quamvis nec primum, nec unicum, nec etiam speciale criterium constituat, complet tamen ac perficit criteria evidentia et sensuum.

Quod si in aliis hominibus non est inquirendum *principium seu primum motivum* certitudinis, superest ut illud in evidentia reponamus, non quidem prout respicit connexionem aut repugnantiam prædicati et subjecti, quo sensu speciale criterium constituit, sed quatenus hoc nomine significatur *veritas quæ perspicue menti innotescit ac se manifestat*. Quo sensu accepta evidentia, proculdubio constituit primum et unicum veri criterium, ac certi iudicii ultimum motivum. Quandoquidem, ipsa criteria quæ primitiva ac magis immediata sunt, in evidentiam, sensu exposito acceptam, tandem resolvuntur. Hinc ai quis a me quærat, quare certus sim totum esse majus sua parte, non aliud motivum proferam nisi quia res est evidens in seipsa: si quærat, quare certus sim me cogitare, existere, corpora extra me esse etc. reponam profecto; «quia meam cogitationem sicut et existentiam, fi-

guram, extensionem corporum, *evidenter* sentio et experior, vel si malueris, quia hujusmodi res mihi evidentes sunt ex seipsis. Evidentia etenim objective et ontologicè sumpta, multiplici ratione se menti manifestat; per nexum aut repugnantiam prædicati et subjecti; per conscientiam; per sensus etc. nec enim evidentia ratio minus congruit rebus sensibilibus per sensus acceptis quam primis veritatibus per intellectum et rationem cognitis. (1) Igitur ultima ratio certitudinis in iudicio naturali, homini *inest ex ipsa evidentia eorum quæ certa esse dicuntur*, ut cum D. Thoma loquamur.

SCHOLIUM.

Non desunt qui existiment evidentiam ex conscientia ac instinctu intellectuali tanquam ex duplici elemento constare. Cui sane opinioni adsentiri minime possum: 1.º quia evidentia, saltem objectiva, a conscientia et instinctu independentis est, ut videre licet in primis principiis, quibus non ex conscientia aut instinctu, sed ex ipsa objecti veritate perspicue se manifestante, assentimur: 2.º et præsertim, quia hoc idem est ac ab homine tollere cognitionem *rationalem* objecti externi; siquidem, ex ipsis adversariis, conscientia criterium mere subjectivum est, nec ea quæ extra nos sunt attingit aut testatur, instinctus vero intellectualis ad assensum movet et impellit quasi cæco modo, absque eo quod motivum assensus perspiciatur: ergo si vera est præfata opinio, hominis scientia, tota quanta est, ex parte rerum cognitarum vel objective sumpta, in instinctum intellectualem ultimo resolvitur: ergo prima basis scientiæ humanæ obje-

(1) Hinc, ut merito observat Reid, iudicia quæ ex sensuum testimonio efformamus, æque immediata sunt et firma, ac ea quæ de primis principiis habemus: «Sans doute la conviction de la vérité d'un axiome, n'est pas de même nature que la conviction de l'existence d'un objet que nous voyons; mais toutes deux sont immédiates et également irresistibles. Nul ne s'avise de chercher une raison pour croire à ce qu'il perçoit, et avant que nous soyons capables de raisonner, nous n'avons pas moins de confiance en nos sens qu'après.» *Œuvres compl. t. 3.º pag. 130.*

ctive sumptæ, est quid cæcum et instinctivum, et non quid rationale et intellectuale. Videant igitur qui hanc opinionem tuentur, inter quos ægro animo reperio Balmes, (1) num universali scepticismo viam sternant hac sua opinione. Hac enim semel admissa, necessario consequitur, quod scientia hominis, quatenus objectiva, non aliud fundamentum habet nisi quendam impulsus necessarium (*irresistible*) naturæ, quo credimus rem quæ nobis veræ videntur vel apparent, ita in seipsis esse. (2)

ALERE FLAMMAM VERITATIS
ARTICULES SEXTUS.

De errore causis et iudicii defectibus.

Postquam motiva ac criteria recte iudicandi expendimus, expedit quidquam delibare de errorum causis et occasionibus, ex quibus nimis frequenter ad falsa impellimur iudicia. Logici etenim interest non tantum rectam viam, sed ejus scopulos et pericula ostendere et aperire. Jam, quæ alii longius de re hac disserunt, nos ex operis instituto, breviori ratione sequentibus complectemur.

Erroris humani causæ et occasiones ad tria capita revocari commode possunt, scilicet, ad illusionem aut usum sensuum, voluntatis, intellectus, ex quibus veluti fontibus hominum errores enascuntur. Et quidem

(1) Ut alia prætermittam, en ejus verba, *Filos. Fund. lib. 1.º* cap. 34: «El criterio de la evidencia encierra dos cosas: la apariencia de las ideas; esto pertenece á la conciencia; el valor objetivo, existente ó posible; esto pertenece al instinto intelectual.»

(2) Audiatur iterum Balmes: «La conciencia nos dice que vemos la idea de una cosa contenida en la de otra; hasta aquí no hay mas que apariencia... Pero este fenómeno anda acompañado de un *instinto* intelectual, de un *irresistible impulso de la naturaleza*, el cual nos hace asentir á la verdad de la relacion, no solo en cuanto está en nosotros, sino tambien en cuanto se halle fuera de nosotros, en el órden puramente objetivo... Así se explica cómo la evidencia se funda en la conciencia, no identificándose con ella sino estribando sobre la misma como en un hecho imprescindible, pero encerrando algo mas: á saber, el instinto intelectual que nos hace creer verdadero lo evidente.» *Ibid.* cap. 23.

1.º Ex sensibus.

Quamvis, ut jam adnotavimus, sensus nos proprie non fallant, quippe rem exhibent prout naturæ leges expostulant, at nobis occasionaliter *illudere* dicuntur, 1.º dum corpora representant et obijciunt aliter ac in seipsis existunt, us dum lunam minoris molis, vel turrim quadratam rotundæ figuræ exhibent: 2.º dum ex defectu aliquo organi sensilis, sensationes consequuntur minime externo corpori consentaneæ, ut dum vel ex infirmitate, vel ex determinato modo premendi oculum, visa corpora exhibent colores ipsis minime congruentes. Fatendum tamen hujusmodi et alios qui sensum errores communiter dicuntur, potius intellectui quam sensibus esse adscribendos, quippe ex propensione ad iudicandum præcipiti ratione, absque mentis attentione et discussione, revera oriuntur. (1)

2.º Ex voluntate.

Innumera sunt pene præpostera iudicia, quibus voluntatis adfectus locum præbent. Et quidem, primas eaque præcipua adfectuum voluntatis origo, ac proinde iudiciorum etiam quæ ex eisdem enascuntur est

a) *Amor immoderatus sui*, qui *philautia* a græcis nuncupatur. Falsis iudiciis ansam præbet, quatenus ex eo ducimur ad nos, nostraque dicta, facta, et cogitata extollenda,

(1) Hinc jure merito habet Reid: «Beaucoup des pretendues deceptions des sens ne sont que des consequences imprudemment tirées de leur temoignage. En pareil cas, le temoignage des sens est vrai, et la consequence que nous en deduisons fausse... Ainsi l'homme qui a été abusé par une piece de fausse monnaie ne manque pas de dire que ses sens l'ont trompé; mais son accusation ne tombe pas sur le vrai coupable; car demandez-lui si ses sens l'ont trompé sur la couleur, la figure, ou l'empreinte? non: c'est cependant á quoi se réduit le temoignage immediat de ses sens; mais il en a conclu la bonté de la piece de monnaie, et la consequence n'étoit pas legitime. La deception ne vient pas d'eux, mais de sont mauvais raisonnement...»

Ainsi donc, en distinguant avec soin, ce que nos sens attestent réellement, des consequences que le raisonnement tire de leur temoignage, on voit s'évanouir une foule des illusions qu'on leur prête, et qui ne sont que des erreurs de notre propre jugement.» *Œuv. compl. edic. cit. t. 4.º* pag. 38 et seqq.

aliorum sententiis et factis eadem præponendo. Hinc quoque, ea quæ amore prosequimur, justa, pulchra, et vera existimamus.

b) *Amor inordinatus aliorum.* Experientia teste, ea quæ ab amicis, consodalibus, magistris docentur, vera facile existimamus; quæ ab inimicis, alienæ religionis, aut adversantis scholæ doctoribus edocentur, falsitatis statim damnamus. Hinc profluxere ludibria, contentiones, et jurgia inter sectarum philosophiæ asseclas. Si quosdam veteres, tum ethnicos philosophos, tum arabes, tum Scholasticos audias, nihil excogitari potest Aristotelis doctrina præstantius aut verius. (1) Si e contra recentiores quosdam audias, nihil in philosophicis scitum est ante Cartesii ætatem.

c) *Amor immoderatus aut antiquitatis aut novitatis.* Sunt enim qui amore antiquitatis ita tenentur, ut nihil eis placeat nisi ex veteribus scriptoribus et codicibus depromatur, adeo ut hæresis ferè loco habeant, si quid e recentioribus vel quis amplectatur, vel etiam solum legatur: imbecilles profecto homines qui existimare videntur philosophiam et scientias naturales, veterum laboribus veluti ferreo circulo contineri, aut ipsorum productione humanam naturam effectam fuisse! Sed tamen, ut periculosior, ita etiam frequentior extitit postremis hisce sæculis amor novitatis. Frequentior quidem, quia scriptorem elapsis proxime duobus sæculis vix reperies, qui conviciis non exagitet veterum doctrinam et opera, quæ tamen aut oscitanter tantum, aut minime legerat. Ex iis etenim, qui veteres contemnunt, quidam ex odio erga ipsorum doctrinam permoventur, ut ii qui heterodoxa tuentur; quidam vero partim ut gloriolam et nomen apud alios captent, partim ex ignavia, quippe semel constituto veterum conscripta opera contemnenda esse, nihil jam est opus eadem perlegere. Ast periculosior quoque hic novitatis amor existit; quandoquidem, ex eo potissimum permoventur ho-

(1) Speciminis loco audiatur Averroes de Aristotele ita scribens; «Nullus eorum qui secuti sunt eum usque ad hoc tempus, quod est mille et quingentorum annorum, quidquam addidit: nec invenies in ejus verbis errorem alicujus quantitatis.» *Præfat. in Phys. Arist.*

mines ad systemata confingenda, quæ et a ratione ipsa naturali, et a religionis principiis et præceptis prorsus aliena sunt, ut videre licet in recentiorum pantheistarum et rationalistarum commentis.

d) *Passiones* denique omnes vel affectiones appetitus sensitivi, humanam ignorantiam et præpostera judicia mirifice fovent, præsertim quoad res morales. Hæc siquidem, quamvis non ipsius voluntatis, sed sensitivi appetitus sint motus, at vim habent et alliciendi voluntatem ad proprium objectum, et consimiles affectus in ea excitandi. Itaque passionnes sensibiles animi, ignorantiae et falsis judiciis originem præbent duplici potissimum ratione: 1.º quatenus per voluntatem in qua consimiles affectus excitant, intellectum obscurant et pertrahunt ad judicandum de re, non ex rei natura, sed ex affectu voluntatis: 2.º quatenus ex eo ipso quod procedunt et oriuntur ab eadem indivisibili animæ essentia et substantia, a qua voluntas et intellectus oriuntur, aciem et attentionem animi ad se rapiunt, minuuntque proinde vim et aciem intellectus ad recte percipiendum et judicandum; quod recti judicii impedimentum eo majus est, quo passio vehementior existit, intensioremque vel transmutationem corporis, ut in ira; vel voluptatem aut dolorem, ut in luxuria et timore, secum fert. Hanc postremam rationem luculenter exponit D. Thomas (1) his verbis: «Quia omnes potentiae animæ in una essentia animæ radicanter, necesse est, quod quando intentio animæ vehementer trahitur ad operationem unius potentiae, retrahatur ab operatione alterius; unius enim animæ, non potest esse nisi una intentio: et propter hoc, si aliquid ad se trahat totam intentionem animæ vel magnam partem ipsius, non compatitur secum aliquid aliud quod magnam attentionem requirat.»

3.º Ex parte intellectus.

a) *Mentis naturalis imperfectio*, prima est ac potissima ignorantiae ac erroris causa. Etenim hominis intellectus, utpote omnium ultimus et inferior, atque ut scite habet D. Thomas, *pura potentia in ordine intelligibili*, in lucem edi-

(1) *Sum. Theol.* 1.º 2.º q. 37, art. 1.º

tur absque ulla actuali cognitione et notitia rerum, quas proinde successive, pedetentim, idque per sensus ac elaboratione quadam acquirere cogitur. Accedit ingenii tarditas, familiaris ac civilis vitæ occupationes, imbecillitas aciei intellectualis, ex qua nec minimum materiale objectum uno intuitu capere possumus, sed ad abstractiones, præcisiones ac ratiocinia cogimur confugere. Queis omnibus si adjicias torporem, qui mentem ignavam reddit pro laboribus scientificis subeundis; tum etiam voluptatum appetitionem, quibus maxima vi in præsentī vita homo rapitur, agnosces sane potissimam originem humanæ ignorantiae in ipsa hominis mente constituendam esse.

b) *Vocabulorum abusus*, erroribus quoque ansam præbet. Fato enim nescio quo, hac nostra maxime ætate, quisque jus sibi arrogat, vel nova vocabula cudendi, vel, quod fortasse pejus in scientiis est, prisca nomina, alio prorsus sensu ab usuali et communiter recepto, accipere. Sic ex. gr. videbis eos qui naturalem historiam conscribunt, *intellectum* et *voluntatem* brutorum animantium memorare, non secus ac si de homine vel angelo ageretur.

c) *Educatio*. Ex hoc fonte quamplurima enascuntur anticipata judicia, quæ difficillime evelluntur. Ab infantia siquidem, vulgaribus personis, fæminis, ac pueris aliis consodalibus relictis, horum omnium præjudicia animo figimus. Deinde, auctoritatem ac doctrinam parentum et magistrorum cæca fide sectantes, præjudiciorum numerum augemus. Exinde, ad adultam ætatem proveci, plurima nobiscum ferimus anticipata judicia, ex educatione et institutione sociali, civili et literaria hausta; quorum judiciorum, quædam quidem verissima sunt, nec absque solido fundamento rejicienda; ast alia quædam, nugis ac superstitioso timore redolent; alia vero, non certum assensum, sed vel dubium, vel probabile merentur. Huc revocari potest præjudicium eorum, qui viri alicujus eruditionem et scientiam librorum multitudine, venustate, pretio, vel ex facilitate verba plurima quamvis sensu vacuo, effundendi, dimetiri solent.

d) *Methodus incongrua studiorum*. Causa ista latissime patet, ac quadrupliciter præsertim accidit: 1.º *ex defectu rectæ electionis*, dum quis animum ad scientias vel artes eas appellit, quibus ineptus redditur per naturam, eas fortasse negli-

gendo, quas facile ac perfectius posset assequi: 2.º *ex præpostero ordine*, dum sublimioribus ac difficilioribus scientiis homo dat operam, priusquam congrua ac solida fundamenta per inferiorum disciplinatum studium jecerit; ac præsertim dum ad eas accedit absque præsidio Logicæ, quæ mentem colit, acuit ac firmat, ad veritatem rite et tuto acquirendam: 3.º *ex inordinata congerie disciplinarum*; invasit enim fere omnes opinio et praxis plures simul disciplinas, easque inter se valde dissitas, simul edocendi et addiscendi, quibus puerorum mens oneratur et obruitur, potius quam perficitur; et quod pejus et intolerabilius existit, non pueri tantum, sed barbati quoque homines sapientiæ fastigium attigisse, cunctasque scientias possidere sibimetipsis blandiuntur, ex perfunctoria quadam notitia, quam sive ex scholis, sive ex encyclopediis et ephemeribus hauserunt. Exinde profluit prurigo illa universalem eruditionem exerendi et ostentandi, tum in familiari consuetudine de scientiis omnibus, artibus, religionibus temere loquendo; tum in libris conscribendis, in quibus auctor nihil se fecisse putat nisi libri paginas sexcentis citationibus, iisque et græcè, et chaldaicè, et hebraicè, et gallicè, et germanicè et idiomatibus aliis, expositis, abunde resperserit. (1) 4.º Denique *ex contemptu subtilium scientiarum*, perniciose quoque methodus studiorum enascitur. Quandoquidem, philosophicæ scientiæ ac præsertim metaphysicæ, maximo honore essent habendæ, nec minori conatu colendæ et honorandæ, quippe quæ non solum humanam rationem potissimum perficiunt, sed et summa problemata circa Deum, circa animam, circa religionem, circa moralem, circa jux exhibent et evolvunt; quin etiam fundamenta ac rationem sufficientem reliquarum inferiorum scientiarum et artium continent. Et tamen, nostris hisce temporibus, vix aliæ scientiæ et artes, apud maximam peritorum ipsorum

(1) Cæterum, prurigo ista omnia sciendi ex qua *pedantismus literarius* exsurgit, veteres quoque nonnihil infecisse constat ex illo Juvenalis sat. 3.º *Grammaticus, rhetor, geometer, pictor, aliptes—Augur, schenobates, medicus, magus, omnia novit*. Attamen hac nostra ætate latius proculdubio patet ex ipsa facilitate universa delibandi propter copiam librorum et ephemeridum.

partem, coluntur et honorantur, nisi quæ circa corpora versantur, artibus, commercio et industriæ inserviunt. Ex quo fit, ut ipsimet periti viri, circa summa illa objecta, ignorantia et erroribus nimis subjaceant.

CAPUT TERTIUM.

DE CRITICA ARTE.

Critica ars ea hic dicitur, qua de aliorum scriptis recte judicamus. Unde non agitur hic, nec de critica æsthetica, qua opera artis, nec de critica psychologica, qua spiritus humani facultates et vires dijudicantur, sed tantum de critica philologica seu potius ejusdem parte, quatenus conscriptos veterum libros respicit. Hæc porro philologica critica, dividi potest in litteralem, realem, et hermeneuticam; ut prima sit, quæ recte judicat de librorum mendis, mutilatione, restitutione textus etc.; altera, de ipsorum veritate, suppositione, origine, authenticitate agit: tertia denique, sensum verborum exponit, sive quas ideas scriptor verbis affixerit venatur et docet, quam ob rem hermeneutica seu interpretativa nuncupatur.

De critica arte prout facta historica horumque criterium respicit, jam superiori capite diximus; atque hæc pars est, quæ proprie ad Logicam spectat: at quoniam hujus finis existit mentem dirigere in veritatis universali investigatione, secundario et veluti remote ad Logicam spectat de critica arte agere. Igitur nos primo ea, quæ ad litteralem et realem pertinent, summam et simul attingemus; deinde, ea quæ ad hermeneuticam vel interpretationem librorum.

ARTICULUS PRIMUS.

De authenticitate librorum.

Liber authenticus dicitur, vel quia genuinus est, id est, ab eo auctore conscriptus cujus nomine insignitur; vel quia nulla deturpatur mutilatione, aut interpollatione. Quapropter, ut librorum authenticitas integra agnosci ac dijudicari

possit, præ oculis habere oportet leges seu regulas, tum pro suppositione, tum pro corruptione libri dignoscendis.

REGULÆ SUPPOSITIONIS.

1.

Supposititii libri probabile est indicium, si in veteribus codicibus alteri tribuatur auctori; nisi tamen gravis ratio ex adverso adsit.

Ratio prioris partis est, quia testimonium scriptorum libro æqualium aut supparium, merito præfertur testimonio posteriorum et novissimorum. Quod si veteres ipsi codices diversimode insigniantur, ex indiciis aliis procedere oportet. Ratio alterius partis est, quia contingere potest ut liber qui, vel sine ullo nomine, vel sub ementito primum prodit, a subsequentibus veteribus scriptoribus vero auctori non sit tributus, sive ex ignorantia, sive ex mala fide, et tamen postea ex indubiis documentis aut signis, verus ejus auctor agnoscat.

2.

Liber ille qui a veteribus coævis et supparibus, et deinde continenter per longum tempus tanquam genuinus est habitus, suppositionis notam omnem excludit: quod si ex coævis aliqui sileant, non idcirco supposititius habendus, nisi rationes aliæ præterea adducantur.

Ratio prioris partis est manifesta: nec enim aliter librum genuinum agnoscere possumus nisi ex consensu veterum continenter a coævis ad nos usque aut per longum tempus propagato. Nam, ut optimè argumentatur D. Augustinus: (1) «Unde noverunt homines libros esse Platonis, Aristotelis, Ciceronis, nisi ex eadem tempore sibimet succedentium contestatione continua?»

Quia secunda regulæ pars respicit argumentum negati-

(1) Cont. Faust., lib. 31, cap. 6.

vim, quod quidem non in hac tantum lege sed in aliis etiam, ac universim in historia et critica locum habet, ejusdem vim et naturam breviter attingere oportet. Itaque,

Negativum argumentum triplici ratione usurpari potest: 1.º cum omnes scriptores coevi aut proximi rei narratae omnino de ea silent, ita ut nulla gravis ratio afferri possit hujus silentii, nec instrumentum aliquod fide dignum profertur in contrarium: 2.º dum coevi aliqui aut suppare scriptores silent, narrantibus tamen aliis similiter rei narratae coevis aut proximis: 3.º dum scriptores coevi aut suppare, rem quidem narrant aut asserunt, sed silent de circumstantiis quibusdam extraordinariis, quæ post longum tantum tempus rei adjunctæ apparent, sive per posteriores narratores, sive ex traditione populari.

Jam ergo, ex his difficile non erit, vim argumenti negativi pro rerum natura et diversitate expendere ac dimetiri. Primum namque genus maximam vim obtinet; quippe probabite non existit scriptores cunctos æquales aut proximos rei notatu dignæ, de ea tacere, nisi gravis et aperta ratio silentii adducatur. Alterum argumentum negativum, minorem aut etiam minimam (pro rei de qua agitur adjunctis) vim sibi vendicat, tum quia quorundam silentium, positivum aliorum testimonium non elidit; tum quia rationes aut motiva silendi habere potuerunt. Tertium tandem genus, narrationem vel factum de quo agitur, quoad substantiam, non infirmat, sed tantum quoad adjuncta ea, quæ posterius in re apparent.

3.º

Liber ille in quo occurrunt dogmata quæ opponuntur iis sententiis, quæ in aliis sinceris ac genuinis operibus idem auctor expressit, genuinus non est habendus, aut saltem interpolatus recte judicatur, nisi aliunde certo constet scriptorem illum priorem sententiam mutasse.

4.º

Si in libro aliquo commemorantur res aut personæ posteriores scriptore cui liber tribuitur, suppositionis nota insignitur.

Patet regula, quæ etiam aptari potest libris in quibus dedita opera et speciatim agitur de controversiis post auctoris ætatem agitata. Exinde apud eriticos plerosque apochryphum habetur symbolum illud quod Athanasii vulgo inscribitur, ex eo quod dedita opera et apertius in ipso reffellantur hæreses. Nestorii et Eutychetis, quæ, post S. Athanasii obitum, exortæ et agitatae fuere.

5.º

Diversitas styli, sive quoad auctorem, sive quoad ætatem, gravia suppeditant momenta ad discernendum librum genuinum a suppositio.

Siquidem indubium est, cuique scriptori tum stylum, tum elegantiam, tum phrases, tum dicendi rationem propria inesse. Nihilominus, quia non minus est certum, scriptores pro ætate, pro argumento, pro libitu, multa scribere diverso et vario stylo, hujus regulæ usus solertiam, magnam eruditionem et praxim ex parte critici exquirat; nec enim quævis styli diversitas quoad scriptorem, multo vero minus quoad sæculum, sufficit ad suppositionem libri adstruendam: nam et scriptor sæculi parum politi, elegantiori stylo uti potest, qui aliud sæculum redoleat.

REGULE CORRUPTIONIS.

Præter suppositionis regulas nunc expositas, quæ omnes ferme ad interpolationem corruptionemve libri dignoscendam facile accommodari queunt, sequentes addi possunt.

1.º

Si in veteribus codicibus deest aliquid quod in recentioribus reperitur, interpolationis indicium habetur: quod si in libro desideratur aliquid quod in codicibus præsertim manuscriptis veteribus reperitur, liber mutilatus jure habetur.

2.º

Si ea verba quæ ab antiquis scriptoribus ex libro aliquo citantur, in eo postea non reperiantur, mutilationem aliquam

suspiciari licet: si vero verba illa aliter legantur, suspectus, ex ea saltem parte, liber haberi debet.

3.

Dum semel certo constat librum aliquem genuinum esse opus talis scriptoris, et simul continet quædam recentiora aut posteriora ea ætate in qua conscriptus fuit, interpollatum esse merito suspicamur.

4.

Si in libro occurrant loca et capita, quæ ab auctoris, vel stylo, vel doctrina in eodem, vel in altero opere abhorrent, tanquam incerpollatus aut corruptus probabiliter haberi potest.

SCHOLIUM.

Apocryphus liber triplici ratione appellari potest. Nam primo dicuntur apocryphi libri illi, qui a quibusdam scriptoribus inter sacros seu canonicos annumerati fuere, eos tamen Catholica Ecclesia ex canone sacrorum librorum expunxit, ut evangelia illa, quæ S. Petri, S. Thomæ olim inscripta sunt. Unde hic apocryphus idem audit ac non canonicus. Secundo, apocryphi dicuntur libri illi, qui aut narrationes ineptas, aut perversa dogmata quoad fidem et mores exprimunt, quamvis revera ad eos antiquos scriptores pertineant, quorum nomine insigniuntur: proinde hæc denominatio libris ecclesiasticis reservatur, atque pluribus eorum accommodatur, quos tanquam apocryphos Gelasius rejecit. Tertio denique, apocryphi nuncupantur illi, quorum veri auctores ignorantur, aut dubii et incerti existunt.

ARTICULUS SECUNDUS.

De hermeneutica.

Diximus spectare ad criticam artem de scriptis aliorum recte judicare, cujus plane recti judicii veluti pars quædam vel conditio existit germanum scriptoris sensum adsequi. At

mentem suam scriptores non semper satis aperiunt, sive id faciant ex fine et proposito aliquo, sive quia aut breviter, aut obscure scribant. Hinc exurgit hermeneuticæ necessitas et utilitas pro librorum interpretatione, cujus præcipua præcepta vel regulas summatim hic attingimus.

1.

Ratio interpretandi consentanea esse debet naturæ et conditioni tum libri, tum auctoris.

Proculdubio ipsa naturalis ratio dictat, nihil tam necessarium ad germanum verborum sensum adsequendum, quam præ oculis habere naturam libri et conditionem auctoris. Aliter enim liber qui ab imperito homine, aliter qui a sapiente, aliter qui ab ethnico philosopho, aliter qui a christiano, aliter qui ab humano ingenio, aliter qui Spiritu Sancto inspirante conscriptus est, libri interpretandi sunt. Unde putidum exitiosumque sapit rationalismum eorum sententia qui adstruunt, Scripturam Sacram eadem ratione iisdemque regulis quibus reliqui hominum libri interpretandam esse: quasi Dei verba, verbis hominum æquanda essent. Atque ex hoc quoque principio emersit exegesis illa biblica recentium rationalistarum, ex qua revelatio divina ipsaque Christiana Religio penitus labefactantur. (1)

(1) Ad nos non attinet de hermeneutica sacra agere; sed quoniam his præsertim scribimus, qui animo ad Theologiam tendunt, abs re non erit quædam delibare circa exegesis rationalismo infectam, quæ in Germania, maxime a dimidiato elapso sæculo ad nos usque prævaluit, ut catholici tyrones philosophiæ pervideant, quo tandem ducat ratio illa libros interpretandi, nulla habita ratione naturæ et conditionis libri ejusque auctoris.

Itaque circa dimidium elapsi sæculi Semler ac deinde Eichhorn, novum systema exegesis biblicæ conficere aggressi sunt, in quo non tantum catholicæ Ecclesiæ, sed ipsorum Protestantium hermeneuticam sacram rejiciunt ac funditus evertunt. Atque hujus novæ exegesis fundamentale principium illud idem est, quod jam innuimus, nempe: *Scripturam Sacram interpretandam esse juxta easdem regulas sive criticas, sive exegeticas, ac reliqua antiquitatis opera.* Ex quo fundamentali principio concludunt ac conficiunt novum systema exegeticum, quod sequentibus summatim continetur:

Oportet linguam, qua scriptor usus est, cognitam habere. Etenim, differentium linguarum verba verbis perfectè sæpe sæpius non respondent, ut linguarum ac interpretatio-

1.º Sacra Scriptura spectanda non est tanquam complexus librorum qui ex divina inspiratione originem ducunt, sed vetus Testamentum nihil est aliud quam collectio seu bibliotheca quædam selecta litteraturæ hebraicæ, sicut et novum Testamentum est similis collectio librorum a primis christianis de rebus Christi confectorum.

2.º Authentia cujusque libri Sacræ Scripturæ ex applicatione communium regularum Critices habetur et pendet; attamen motiva extrinsecæ seu testimonia historica parum roboris habent ad adstruendam ipsorum authenticitatem.

3.º Loca ea veteris Testamenti, quæ in novo per Christum aut apostolos interpretantur, ab eis interpretata fuere non juxta verum ac germanum sensum, sed juxta sensum, quem coævi judæi his locis tribuebant, quorum sensui et intellectui Christus et apostoli se accommodarunt.

4.º In biblica exegesi, fidei dogmata oportet subjicere ac subordinare philosophiæ ac naturali rationi, ita ut ad Christianam Religionem essentialiter ea tantum fidei seu Scripturæ dogmata pertineant, quæ rationi sunt consentanea; reliqua vero, quæ rationem excedunt, habenda sunt tanquam meræ opiniones Judæorum, libro de quo agitur, coævorum.

5.º Prophetiæ, quæ ad longiora protrahuntur tempora, generali sensu sunt accipiendæ, nullumque determinatum aut speciale eventum respiciunt: quod si speciales sint ac determinatæ, respiciunt eventus prophetis ipsis proximos, aut post eventus confecta fuere sub prophetica forma.

6.º Miracula, cum narratori coæva sunt, per causas naturales exponenda ac declaranda sunt; quod si narranti sint posteriora, mythis annumeranda sunt, aut habeantur tanquam poetica figmenta ad formam historicam redacta.

7.º Christiana proinde Religio plurimas quidem veritates continet, at erroribus ac imperfectionibus permixtas, a quibus liberari ac depurgari indiget.

Ut ipsa prima fronte apparet, novum hoc exegeticum systema Religionem Christianam funditus evertit, qua revelatam, eamque intra limites rationis naturalis claudit; unde notionem supernaturalis, mysteria fidei, prophetiâs, miracula, ac postremo ipsam Christi divinitatem et existentiam, e medio sustulere hujus systematis adsectæ.

nis periti fatentur. Quapropter, si in libris, etiam vernacula lingua conscriptis, verborum sensum quandoque non adsequimur propter obsoleta verba, aut contortas phrases id impediens, frequentius proculdubio id continget circa scripto-

Cæterum, exegesis præfata rationalistica et naturalis, quæ apud germanos præsertim viget, diversas continet scholas, quæ omnes quidem rationalismo infectæ sunt atque exegeticum systema nuper expositum amplectuntur, at denominationes varias suscipiunt propter specialem rationem seu regulam interpretandi quam quisque reliquis anteponit. Quidam enim, exegesim historicam extollunt et sectantur; alii, *moralem*; quidam, *psychologicam*; quidam vero, *mythicam*. Ex quibus

a) Exegesis *historica*, cujus præcipui adsectæ sum Semler et Eicchhorn, postquam tanquam universale criterium pro interpretatione Scripturæ statuit, omnia ea quæ in ipsa continentur et rationem superant ad opiniones judaicæ amandanda esse, docet Sacrum Textum ac præsertim novi Testamenti libros, ex apocryphis Judæorum, ac ex monumentis historicis, quæ in Philone, Josepho, Talmud et rabbinicis libris habentur, esse interpretandos; atque hac proinde ratione, doctrinam Christi et apostolorum opinionibus ac ideis Judæorum esse accommodandam: unde *Theoria accommodatiois* ab aliquibus nuncupatur.

b) *Moralis* exegesis præcipuus parens et cultor fuit Kant, qui statuit: 1.º dogmata et mysteria religiosa, aut nihil, aut vix ad religionem spectare, sed hujus totam essentiam et vim in moralibus rebus positam esse: 2.º religionem solam puræ rationis naturalis, esse veram religionem ac universalem, atque eas, quæ revelatæ dicuntur, eatenus veras esse, quatenus cum ratione naturali consentiunt: 3.º libros Sacræ Scripturæ interpretandos ac exponendos esse ad normam seu criterium rationis naturalis, prout hæc moralia præcepta et leges practicas nobis proponit.

c) Exegesim *psychologicam* profitetur Paulus, eaque vix ab historica differt, cum qua et cum reliquis, systema rationalisticum plane relinquit; at a Semler recedit, quatenus docet Christum et apostolos opinionibus ac sententiis Judæorum non se voluntarie seu data opera accommodasse, sed ex ignorantia; brevius; docet Christum et apostolos non tantum infallibiles non fuisse, sed eandem scientiam, opiniones et præjudicia habuisse ac judæi ipsi coævi. Ex quo, ut vides, facilis existit transitus ad negationem divinitatis Christi, prout disserte fecit.

d) Exegesis *mythica*, quam Wete et Strauss professi sunt et eolverunt; ille quidem in *Introductione ad Vetus Testamentum*, hic vero in *Vita Jesu*. Mythica appellatur hæc schola, quia apud ejus sectatores, ea quæ in Sacra Scriptura habentur, præsertim vero revela-

res, qui lingua nobis ignota loquuntur. Ergo versiones seu translationes, quantumvis diligenter peractae, auctoris mentem et sensum non semper veraciter ac sufficienter exprimunt. Id, ut praetermittam translationes eas minus accurate ac non raro negligentissime peractas, ex quibus germanus auctoris sensus vix capi potest. Excipe tamen, si agatur de versione quae congrua authenticitate donetur, ut accidit quoad Vulgatam editionem Scripturae, quam Tridentinum authenticam declaravit: haec quippe, praeter Ecclesiae decla-

tionem divinae ac miracula, nihil sunt aliud quam figmenta imaginationis ad formam historicam, poeticam, didacticam, etc. concinnata. Unde apud ipsos, universale criterium pro Scriptura interpretanda illud est, ut in omnibus, maxime vero in factis supernaturalibus et miraculosis, queratur latens aliqua idea, vel populi judaici, vel primitivi populi christiani. Sic, ex. gr. Abraham non historicus seu realis homo, sed typus idealis est religiosi hominis; Moyses, typus idealis ducis theocratici, etc.: quam mythicam exegesis Strauss, Jesuevrista tandem applicans, ejus divinitatem ac cum ea fundam. omnia Christianae Religionis penitus subvertit: quae aliunde consequutio, logice ac necessario exurgit ex nova illa exegesi rationalismo infecta et a nobis nuper exposita, juxta placita Semler, Eichelhorn, cum aliis, qui eam adinvenerunt, et evolverunt.

Porro, in refellendo, novo hocce systemate exegetico immorari non licet ex hujus operis consilio, praeterquam quod ex ipsis impetabilibus et absurdis ad quae ducit et praecipit tandem ruit, satis superque confutatur. Id tantum pro colophone libet observare, duplicem originem eidem posse assignari, quarum prima eaque remota, sed tamen necessaria et veluti dogmatica ac interna, est ipsum fundamentale principium Protestantium, quo proclamantur ab initio, Scripturam Sacram non ex infallibili ac divina Ecclesiae auctoritate, sed ex privata cujusque hominis inspiratione exponendam esse, quod profecto idem est ac Scripturam divinam et revelatam, deliramentis, passionibus, et adfectibus humanis subijcere. Origō altera veluti proxima, historica ac externa, est doctrina Spinozae pantheismo ac naturalismo infecta, ex qua germani rationalistae, tam theologo, tum philosophi, magis aut minus aperte mutuarunt. Jam enim ille praedocuerat, *ex omnia quae in revelatis libris narrantur, juxta physicas ac constantes naturae leges evenisse.* Ammo etiam, expressis verbis professus fuit, se ad litteram accipere ea quae in Evangelis habentur circa passionem ac mortem Jesuchristi, narrationem vero resurrectionis ejusdem, non nisi per *allegoriam* acceptare. In quibus duobus pronuntiatum integrum systema exegeticum nuper expositum, ipsaque schola vel exegesis mythica Wete, Bauer, et Strauss, virtualiter praec continentur.

rationem, id speciale habet, quod non a singulari homine, ut reliquae, sed a pluribus iisque linguarum orientalium peritissimis ex SS. PP. mandato confecta ac emendata sit. Quod tamen nihil obstat, quominus etiam nunc linguarum orientalium peritia plurimum conferat ad congruam sacri Textus interpretationem instituendam; ast minime propterea adsentimur his, qui de arrogantia et temeritate postulant eos, qui harum linguarum ignari interpretationem Scripturae aggrediuntur. Ad exegesis Scripturae congrue ac fideliter perficiendam, linguarum earum peritia utilissima quidem est; at non prorsus necessaria, praesertim ex qua editio latina authentica evasit.

Scriptoris verba non ex nostris opinionibus, sed ex ejusdem systemate ac dogmatibus exponenda sunt.

Ex hujus regulae oblivione nimis frequenter contingit, quod viri caeteroquim eruditi, non quid alii dixerint, sed quid ipsi existiment ac vellent illos dixisse, nobis proponant. Ergo qui scriptoris mentem ac germanum sensum declarare desiderat, opus est, ut omni partium studio exuatur, ut non mutila verba, ut non sententias a contextu sejunctas, proferat: nec enim verba et sententiae seorsim sunt accipiendae, nec ad normam propriarum opinionum sunt expendendae, sed conferendae cum systemate totius doctrinae scriptoris, ac cum ejusdem opinionibus et dogmatibus ibidem aut alibi expressis.

Auctoris vitam et operis praefationem perlegere, perutile irit ad Scriptoris sensum obtinendam.

Siquidem, auctoris vitam noscere ad rectum ferendum iudicium multum confert non solum in historicis, ut supra adnotatum est, verum etiam pro cujusvis scriptoris mente detegenda et agnoscenda. Aliter quippe catholici hominis, aliter haeretici, aliter infidelis; aliter qui ad impietatem, aliter qui ad religionem fovendam, aliter qui priori tempore, aliter qui posteriore, aliter qui ex hoc aut illo fine, vel ex his passionibus et adfectibus, scripsit, verba sunt interpre-

tanda. Hæc autem omnia ex auctoris vita, et operis præfatione ac consilio, potissimum dignoscere oportet.

5.^o

Scriptoris verba juxta naturam rei de qua agitur accipienda sunt, nec a sensu obvio et litterali secernenda, nisi aut nullum, aut absurdum sensum reddant.

Quidpiam qui loquitur vel scribit, vult profecto ut de ejus mente juxta communis sensus regulas judicium feratur, atque ita ejus verba eo sensu accipiantur, quo homines communiter accipere solent. Vult autem communis hominum sensus, ut verba, nisi quid obstat, accipiantur secundum quod res de qua agitur, postulat: idem etenim verbum aliam vim et significationem obtinet dum de philosophicis rebus, aliam, dum de poeticis, aliam, dum de rhetoricis agitur. Altera regulæ pars ex eo constat, quod ineptum sit contortis ac peregrinis interpretationibus uti, in rebus perspicuis, et obvium ac naturalem sensum offerentibus. Quod quidem peccatum peccarunt maximè critici illi litterariæ restorationis, (del Renacimiento) qui in Platone, Homero, Virgilio, Ovidio cum cæteris hujusmodi antiquis scriptoribus, tot, immo plura abscondita et magna mysteria quam verba detegebant.

6.^o

Si in scriptore occurrant sententiæ invicem discrepantes, in concordiam revocari debent, si commode possunt; quod si conciliari nequeant, quænam ejus menti sit magis consentanea ex probabilitatis legibus eruere oportet.

Ex hac regula inferes: 1.^o quod si auctor scienter sententiam mutavit, posterior sit præferenda: 2.^o si verba non discrepantia omnino, sed dubia et obscura sint, ex conjectura ita sunt illustranda et accipienda, ut sensum ineptum, aut absurdum minimè reddant: 3.^o quod si ne hac quidem ratione res aptè possit dilucidari, antecedentia et subsequenta loca conferre oportet, immo ea omnia in quibus de re eadem auctor agit; sæpi enim ex libri generali contextu mens scriptoris eruitur, et quæ in uno loco subobscura, in alio explicatius habentur.

CAPUT QUARTUM.

DE METHODO.

Philosophi recentiores, iique præsertim, qui e cartesianâ schola egressi sunt, longiores tractatus de methodo texerunt. Nos tamen breviori oratione utemur, tum ne ab instituto proposito deflectamur: tum etiam quia methodologiam non tanti, ut cartesiani facimus, quamvis aliunde methodi utilitatem libenter agnoscamus. Itaque brevitati simul ac perspicuitati consulentes, tribus articulis rem absolvemus, in quorum primo de methodo universim ejusdemque applicatione ad originem scientiæ; in altero, de methodo cartesianâ; in tertio tandem, de quibusdam methodi speciebus et applicationibus speciatim disseremus.

ARTICULUS PRIMUS.

De methodo universali et initiali scientiæ humanæ.

Scientifica methodus, de qua hic solum agimus, definiri potest: *modus seu ratio ordinate procedendi in scientiis*: unde complexum diversarum operationum mentis, congruamque inter ipsas ordinem involvit. Quapropter, de methodo agere sibi vendicat Logica, quæ ex munere at fine proprio, mentis operationes dirigit et ordinat ad veritatem.

Ast ordo humanæ mentis erga veritatem, spectari potest, vel ex parte initii aut originis, vel ex parte evolutionis aut augmenti. Methodus *initialis*, respicit rem seu veritatem illam, quæ habetur tanquam conditio et origo totius humanæ scientiæ: methodus vero *evolutiva* seu procedendi, respicit modum seu ordinem quo mens, postquam fundamentalem illam et initialem veritatem jam possidet, procedere debet ad scientiam perficiendam et complendam, alias veritates cum initiali connexas gradatim addiscendo, sive proprio Marte, sive aliorum verbis et scriptis.

Jam, philosophorum sententiæ circa methodum initialem, ad quatuor capita revocari possunt: *scepticismum*, nempe, *psychologismum*, *ontologismum* ac *dogmatismum*. Ex quibus

a) *Scepticismus* statuit, nihil certi apud hominem esse aut sciri posse. Ex quo liquet, quod in horum systemate, nulla est methodus aut via ad veritatem scientificam, ita ut revera scepticismus non methodum initialem, sed potius negationem methodi cuiusvis includat. Scepticismi autem absurditas jam supra ostensa est.

b) *Psychologismus*, contendit humanam scientiam ex subjecti cogitantis phaenominis et operationibus eruendam esse tanquam ex primo ac unico eius fonte, unde et *subjectivismus* non incongrue appellatur.

At triplex Psychologismi genus distingui potest, quorum primus est psychologismus *transcendentalis*, qui etiam *absolutus* ac potius *pantheisticus* appellari posset; illorum, nempe, systema qui docent, *eo ego* esse originem ac principium humanae totius scientiae, non solum quatenus subjectiva est ac cognitionem implicat, sed etiam quatenus *objectiva* sive realitatem objectivam implicans; ita ut objecta ipsa non cognoscantur tantum per *eo ego*, sed ex ipso realiter educantur; unde et *Egoismus* quandoque systema hocce Fichte nuncupatur. Sunt et alii, qui primum ac unicum humanae scientiae principium reponunt in sensibilitate, ita ut sensilium objectorum limites hominis scientia nunquam praetergrediatur; qui proinde alterum genus constituunt psychologismi, qui *sensismus* vel psychologismus *sensilis*, appellari congrue potest. Tertio tandem loco venit psychologismus *traditionalista*, qui statuit et adserit, humanam scientiam initium ducere ac certitudinem mutuare ex auctoritate et consensu humani generis, cui caeca fide adsentimur. Hocce traditionalistarum commentum jam supra explosimus; psychologismum vero sensilem, tum etiam transcendentalem in Ideologia mox confutabimus.

c) *Ontologismus*, humanae scientiae originem ac principium repetit ex naturali quadam et immediata intuitione ipsius Dei ita ut in primo Ente mens nostra caetera omnia, quae novit, tanquam in prima et universali omnium causa veluti intueatur. Quod sane ontologorum systema, mox in Ideologia fusius confutandum, vel ex eo solum falsitatis evincitur, quod conscientiae testimonio prorsus repugnet. Tantum enim abest, ut haec intuitionem Dei in nobis testetur, ut potius perspicue ac quotidie nos edoceat, ad Dei notitiam

intellectum nostrum assurgere non quidem ex simplici aut immediata intuitionem; sed ex ratiocinio consideratione phaenomenorum et effectuum naturalium.

d) *Dogmatismus* tandem docet, primam originem humanae scientiae repetendam esse ex primis quibusdam veritatibus, quae hominis intellectui virtualiter innatae existunt, eo ipso quod noster intellectus *participatio quaedam est luminis increati, ac similitudo increate Veritatis in nobis resultantis*, ut aptissime ait D. Thomas. Huiusmodi porro veritates sunt ipsae, quae prima principia scientiarum dicuntur; quippe ipsa intima conscientia teste, statim ac mens operari incipit ac utcumque excitatur, veritates eas in seipsa contuetur, easdemque sponte illico applicat ad alia cognoscenda.

Atque haec dogmaticorum sententia quoad initialem methodum, vera proculdubio existit, ac reliquis est anteponenda. Nam primo, haec sententia cum natura ipsa scientiae humanae apprime congruit, quae circa universalialia et necessaria, non circa singularia et contingentia versatur. Si ergo principium rei, huius naturae respondere debet, scientiae principium et primam originem reponere oportet in primis illis veritatibus, quae universalialitatem simul ac necessitatem praeseferunt.

Secundo: huius sententiae veritas ex eo evincitur, quod humana scientia eatenus in nobis exurgit ac evolvitur, quatenus media ratiocinatione ex primis principiis veritates alias in eisdem virtualiter contentas, aut cum eis nexum habentes, eruimus; aut etiam quatenus ipsa applicamus et conferimus cum factis singularibus sive internis, sive externis. Siquidem, quamvis humana scientia, observatione et experientia singularium phaenomenorum partim nitatur, ita ut praefata phaenomena sint quodammodo ejus partialia elementa, at simul certum est, eam in ratione propria scientiae acquiri et constitui per ratiocinium; quodvis autem ratiocinium, eatenus certum, evidens ac proinde *scientificum* dici potest, quatenus resolvitur in aliquam ex primis illis veritatibus per se et immediate evidentibus, vel, ut seite habet D. Thomas, *ex hoc quod conclusio sicutum actum rationis, in principia per se visa resolvitur*. (1) Unde et aptissime idem

(1) Sent. lib. 2.^o D. 23, art. 2.^o

S. Doctor hujusmodi prima principia appellat *quædam seminaria scientiarum*. (1)

Ex qua doctrina, quamvis summam exposita, tria corollaria inferre licet:

1.^m Ergo merito supra cum D. Thoma docuimus, ultimum veritatis criterium ac primum certitudinis principium, in evidentia objective sive ontologicæ accepta reponendum esse. Huic enim evidentie innituntur vel potius cum ipsa identificantur prima principia, quippe eis perfecte congruit quod sint veritates per se notæ quoad se et quoad nos; in quo sita est ratio evidentie ontologicæ acceptæ.

2.^m Ergo etiam in theoria D. Thomæ aliquo sensu dici potest quod principium scientiæ humanæ sit intuitio Dei. Nimirum, apud D. Thomam, prima veritas quam intellectus noster percipit, idque cognitione quasi spontanea et intuitiva, sunt prima principia menti a Deo ipso impressa in ipso lumine intellectuali, quod est *quædam impressio Veritatis primæ*, ut ipsemet ait. Ergo primus actus intellectualis hominis circa veritatem, est intuitio Dei, non quidem immediata et directa, ut volunt ontologi, sed mediata et veluti indirecta in primis principiis, quatenus exprimunt rationes æternas seu ideas divinas ipsarumque necessarias relationes. Hinc apud eundem D. Thomam, hominis ratio seu intellectus, cujus præfata principia sunt quædam fundamentalis ac spontanea manifestatio, est participatio quædam intellectus divini in quo continentur rationes æternæ, et actus quo noster intellectus ipsorum veritatem percipit, dicitur *visio*. «Ipsum enim lumen, inquit ille, (2) quod est in nobis, nihil est aliud quam quædam participata similitudo luminis increati, in quo continentur rationes æternæ.» «Et ideo, subdit alibi, (3) prædicta cognitio intellectus (scilicet, qua cognoscit prima principia) vocatur *visio*».

3.^m Ergo scientia humana duplici elemento constat et integratur. Nimirum, in primis continet prima principia, quæ

(1) QQ. Disp. de Verit. q. 11.º art. 3.º

(2) 1.º P. q. 81, art. 1.º

(3) Sent. lib. 3.º D. 23, q. 2.º art. 2.º

ejusdem elementa rationalia sive idealia constituunt: deinde, continet facta singularia, quæ per sensus vel per conscientiam habentur, quæque realem rerum existentiam directe respiciunt; et hæc constituunt ejus elementa empirica. Atque ex collatione et applicatione legitima horum elementorum, exsurgit et conflatur hominis scientia. Utrumque vero elementum evidentia ontologica nititur; facta quippe quædam sensus ac phænomena conscientie non minori evidentia et perspicuitate objectiva, quam ipsa prima principia, donantur. Unde qui cum Cartesio adstruunt existentiam mundi externi, non per sensus evidentiam, sed ex solo ratiocinio constare, scientie humanæ nature faciunt fundamenta ac scepticismo latam viam aperiunt. (1)

SCHOLIUM.

Theod. Jouffroy, placitum illud fundamentale philosophiæ scotiæ de instinctu intellectuali evolvens, et ad methodum initialem applicans, humanæ scientie initium repositum voluit in quadam cæca fide veracitati facultatum nostrarum præstita. Quod sane systema, si semel admittatur, perimitur hominis scientia, saltem qua rationalis.

Quandoquidem, si illud quod fons ac initium existit scientie cæca fide habetur, ac proinde ad sensus certus initialis ac fundamentalis scientie, ex motivo *intellectuali* vel *rationali* non oritur, consequitur plane, reliqua ea, quæ scientiam

(1) Quam rem jam observarat ipsemet Royer-Collard. En ejus verba ex gallico ad hispanum idioma translata: «Los filósofos que siguieron á Descartes, se apartan de él en algunos puntos y le refutan en otros... pero todos convienen con él en este punto, á saber, que la sola verdad de hecho que descansa sobre su propia evidencia, es el *cogito*; de manera que todas las demás existencias, y por consiguiente, el mundo material, no pueden ser mas que verdades de ratiocinio. Descartes es, pues, el que ha sentado el principio de que el mundo debe ser probado. Por consiguiente, él es el que abrió el abismo del escepticismo, y entre sus discípulos, aquellos que han discurrido con mas rigor y exactitud, son los que han descendido mas profundamente en este abismo.» *Fragms.* apud Reid, t. 3.º, pág. 378.

constituunt atque ex illo fonte originem ducunt, certitudine rationali minime donari; proculdubio etenim, qui primo principio ac veritati initiali caeco modo adsentitur, caeco quoque modo assentiri necesse est veritatibus ex illa prima derivatis. Tantum igitur abest ut praefatum Jouffroy systema veram methodum initialem scientiae humanae contineat, ut potius hanc funditus evertat.

ARTICULUS SEQUNDUS.

ALBRE De methodo cartesiana.
VERITATIS

«Methodum, jure et optime habet Liberatore, (1) qua Protestantes usi erant quoad religionem, Cartesius philosophiae accommodandam existimavit. Illi enim hominem individuum a traditione omnis anteaetatis aetatis et a fide universalis Ecclesiae sejunxerant, eique in propria personalitate concluso, sacram scripturam tantum reliquerunt, ex qua sensu privato propriae rationis singula dogmata eliceret. Consimili pacto Cartesius, non per dubium universale a circumstante humanitate separavit, solamque concessit conscientiam, ex qua ope individualis evidentiae, integrum cognitionum nostrarum systema renovaremus.»

His addere liceret, quod sicut ex principio illo fundamentali Protestantismi, haeresum magnus cumulus profluxit, ut ex historicis monumentis posteriorum saeculorum constat, (2) ac postremo systema illud exegetico-rationalisticum, de quo supra, quodque omnem revelatam Religionem integramque Scripturam Sacram, funditus evertit, non absimili modo ex cartesiana philosophandi methodo ac doctrina, portentosa ea ac impia systemata, quae universam philosophiam tribus ab hinc saeculis turpissime saedarunt et saedant, maxima ex parte originem duxerunt; (3) siquidem divortium illud

(1) Inst. Phil. Log. p. all. c. 7.º art. 2.º Vid. etiam opus nostrum. *Estudios*, etc., lib. 1.º, cap. 10 et 11.

(2) Vid. inter alios Bossuet, *Historia de las Variaciones*, etc. Mähler, *Symbolica*.

(3) Qua in re consentientes habemus ipsos heterodoxos ac ratio-

inter philosophiam ac theologiam catholicam a Cartesio institutum, ejusdemque contemptus erga PP. et Scholasticorum christianam philosophiam, devenire tandem opus erat

nalistas scriptores. Atque, ut reliquos praetermittam, Vict. Cousin aperte faletur, e sinu philosophiae cartesianae prodiisse, tum idealismum scholae germanicae, tum etiam sensualismum anglicum et gallicum. Vid. *Cours de 1828 lect. 13.º* Ast gravius ac fortasse verius est quod habet Tennemann, qui 1.º inter Cartesii laudes ac elogia enumerat atque refert ipsum subsequentes philosophos vehementer impulsisse ad auferendam seu delendam differentiam inter supernaturalismum ac rationalismum; 2.º adfirmat Cartesii philosophiam Spinozae deservisse ad scientifice evolvendam ideam fundamentalem sui systematis; ac denique ejusdem theoriam pantheisticam a Cartesio fuisse preparatam: «Cette theorie remarquable, préparée par Descartes, suivant laquelle il n'existe qu'une substance, Dieu, l'Étre infini avec ses attributs infinis d'étendue et de pensée.» *Manuel de l'Histor. de la Phil.* 1830, t. 2.º pag. 91 et seqq.

Quod si quis velit sigillatim perspicere errores maximos recentis philosophiae heterodoxae e principiis cartesianis prodeuntes, adeat clar. Sanseverinum, acerrimi judicii ac vastissimae lectionis certè virum, in sua *Philosophia Christiana*, cujus pauca tantum verba speciminis loco, nos hic excribemus ex Log. pag. 125 et seqq. «Ex methodo ab eo (Cartesio) instituta, et ex praecipuis doctrinis philosophicis quas illam methodum adhibens tradidit, omnes recentis philosophiae errores profluxisse indubium est. Quod quidem ut in universum intelligatur, advertendum est 1.º Cartesium essentiam animae in cogitatione posuisse, et quoniam nulla res sine essentia sua unquam esse aut intelligi potest, in ea sententia versatum esse quod anima cum ideis innatis rerum nascitur; 2.º eum omnes actiones cognitrices mentis humanae, scilicet, cum sentiendi, tum intelligendi, communi cogitationis nomine designasse. Jam vero, haec pronunciata Cartesii, et methodus ab ipso in illis statuendis evolvendisque adhibita, in causa fuerunt, cur recentes Philosophi vel ad sensismum, vel ad intellectualismum magis minusve accederent, cunctisque errorum portentis ex quibus non solum humanae sed etiam divinae scientiae omnino profligatae fuerunt, latissimam viam aperiant.»

Sensismus a Lockii philosophia ortum duxit. Lockius quem lectio operum Cartesii a scholasticae philosophiae studio deterruit, e contemplatione suisipsius, hoc est, ut nuperi loqui malunt, a *non ego* profectus est. At vero ipse adversus Cartesium contendit, essentiam animae non in cogitatione, sed in potentia ad cogitandum positam esse, ex quo factum est, ut ideas innatas Cartesii exploderet, et animam ab ortu suo esse *tabulam rasam* contenderet. Quoniam ele-

ad eam *autonomiam absolutam* rationis humanæ, quam rationalistæ tantopere extollunt ac prædicant, ut divinam revelationem evertant.

mentum cognitionis *a priori* sive *rationalis* rejecit, non alia elementa cognitionis admisit, nisi *empirica* sive *a posteriori*, eaque duo esse voluit, scilicet, *sensationem*, cujus ope *facta externa*, et *reflexionem*, cujus ope *facta interna* cognoscimus. Ex his perspicis Lockium, dum methodum et initium philosophandi a Cartesio mutuatus est, ab hujus rationalismo declinasse, et ad *empirismum* concivis sui Baconis accessisse, quia non aliud pro vero admisit, quam quod experientia sive interior, sive exterior nobis patefacit. Lockius, uti ex dictis facile intelligitur, omnes cogitationes fere ad sensationem revocavit. Nam si præter actiones reflectendi, non aliæ quam sentiendi in anima sunt, totam vim cognitivam animæ circa sensationes versari dicendum est, quia anima vim suam reflectendi non nisi super actiones, quas jam exeruit, intendit. Id acutè pervidit Condillachus, qui philosophiam cartesianam, ex ea parte qua Lockius ipsam spectaverat, evolvens, docuit reflexionem omnemque aliam actionem cognitivam animæ non esse aliud nisi sensationem *transformatam*, sive diversos modos quibus sensatio exercetur. Quoquidem pacto ipse doctrinam Cartesii ad faciliorem simpliciorumque formam revocavit. Nam quoniam Cartesius sub unico conceptu cogitationis, quam veluti fundamentum philosophiæ posuit, cum actus sentiendi, tum actus intelligendi complexus fuit, Condillacho visum est non posse utrosque actus communi conceptu comprehendere, atque unico nomine significari nisi actus intelligendi ad actus sentiendi revocentur... Jam empirismus Lockii in Anglia, et sensismus Condillachi in Gallia tetros, exitialesque errores pepererunt. Re vera, ex Lockii philosophia Georg. Berkeleyus episcopus anglicanus, *idealismum* qui ulla corpora esse negat, et David Humius *scepticismum* qui nihil de natura rerum menti humanæ compertum esse asserit, et ex philosophia Condillachi, Lametriereus, Auctor *Systematis nature*, aliique ejusdem furfuris impii *materialismum*, qui non aliud nisi corpora existere decernit, nullo negotio derivarunt. Ob hos aliosque, qui exinde oriuntur errores effectum est, ut permulti in Anglia et in Gallia deistæ et athei prodirent... Ad deismum illa regula methodi cartesianæ, quæ nihil nisi quod perspicuum est pro vero esse decernit, ipsa per se recto tramite ducere potuit; siquidem, ob rationes quas antea adduximus, primum fuit deistis illam regulam ad omne genus veritatis, quæcumque earum origo sit, porrigere...

Si philosophia cartesiana ex ea parte quatenus ad sensismum inclinat, errores quos inuimus peperit, alii non minoris momenti errores ab ipsa promanarunt cum a philosophis ex altera parte, quatenus ad intellectualismum vergit, spectata et evolata fuit. Cer-

Existimavit itaque Cartesius hominem ad veram certitudinem scientificam pervenire non posse, nisi semel saltem in vita dubitationem institueret de cunctis prius cognitis, sive

tè, in primis Spinosam apertum teterrimumque suum pantheismum et Cartesii philosophia elucisse, concors historicorum opinio est...

At Cartesius in eadem Gallia discipulum fortasse magis quam Spinosam devotum sibi nactus est, Nicolaum Mallebranchium. Hic enim perinde ac Cartesius, quem veluti parentem recentis philosophiæ reverebatur, contendit omnino necesse esse, ut quisquis ad veri assecutionem nititur, animum omnibus præjudicatis opinionibus exuat, opiniones philosophorum qui ei præcesserunt, flocci faciat, plenumque suum assensum non nisi *rebus evidentissimis* præbeat... Itaque, nuperi historici non injuria observarunt: 1.^o Mallebranchium e schola Cartesii prodisse, sed cum libertatem philosophandi ab eodem Cartesio commendatam sectaretur, in quibusdam capitalibus dogmatis ab eo discessisse: 2.^o multum necessitudinis esse philosophiæ mallebranchianæ cum spinosistica, licet Mallebranchius illam non advertisset.

Cum tanta necessitudo inter pantheismum et rationalismum theologicum intercedat, factum est ut Philosophi christiani, qui ex methodo philosophandi et ex quibusdam placitis Cartesii pantheismum elicere, rationalismum theologicum profiterentur. Re sane vera, Spinosæ, cum notionem cartesianam substantiæ secundum doctrinam hebræam Kabalæ evolvisset; quemadmodum pantheismum in philosophiam, ita rationalismum in theologiam importavit. Cerle, quisquis Spinosæ *Tractatum theologico-politicum*, et *Epistolas ad Oldemburgium* attente legit, non potuit quin animadverteret philosophum hebræum nihil in Sacris Scripturis agnovisse, quod vires humanæ rationis prætergrediatur, et præcipua systemata rationalismi theologici, quæ nuperi Rationalistæ Germanici adeo promoverunt, tradidisse.

Ex his quæ hactenus de præcipuis recentis philosophiæ systematis inuimus, duo colligere nobis licet, quæ ad rem nostram faciunt. Horum primum est, recentes philosophos post Cartesium in eo adlaborasse, ut analysis cogitationis in qua philosophiam consistere Cartesius scripsit, ab unico principio derivarent; unde Cartesius parens recentis philosophiæ a fere cunctis non immerito salutatus est... Re vera, Sensistæ docere principium philosophiæ esse unam *sensationem*, et Intellectualistæ unam *ideam*, et Idealistæ post Kantium unam *cogitationem puram* sive hæc cum Fichteo *ego*, sive cum Schellingio *identitas absoluta*, sive cum Heghelio *Idea* nuncupetur. Alterum est, philosophiam postquam catholicam fidem ducem sequi noluit, et se *autonomam* declaravit, pedetentim defecisse, seque ipsam tandem omnino interemisse.

per intellectum, sive per sensum ea cognita fuerint; ac proinde de primis principiis, de existentia corporum, de veritatibus mathematicis etc. Ast vero, unam unicamque rem esse affirmat ad quam præfata dubitatio minime extendi potest, nempe, existentiam cogitationis; ex quo colligit, primum ac unicum omnino certum et inconcussum veri iudicium, cui homo nullatenus refragari potest, esse illud: *cogito, ergo sum*; quod proinde unica basis existet integræ humanæ scientiæ. Atque hoc est *dubium methodicum* illud Cartesii ab scepticis et rationalistis iure celebratum, at nimis imprudenter etiam a quibusdam catholicis philosophis.

THESIS 1.^a

Dubitatio cartesiana et impossibilis existit, et tanquam inutilis est habenda.

Prob. 1.^a pars.

Dubitatio cartesiana exigit universalem dubitationem de omnibus, saltem temporaneam, excepta existentia propriæ cogitationis; atqui hoc est impossibile: ergo. Prob. min. Evidentia immediata veritatis et dubitatio de eadem in intellectu simul esse nequeunt; atqui intellectus de primis principiis habet evidentiam immediatam, ut omnes norunt et concedunt: ergo saltem quoad prima principia impossibilis est dubitatio cartesiana. Major patet; nam dubitatio est suspensio assensus, evidentia vero immediata prout in primis principiis elucet, ita vivide mentem percellit, ut ejus ad sensum omnino extorqueat nullumque dubitationi relinquat locum, ut vel ex ipso conscientiæ testimonio constat. Profecto opinor, nec vel ipsum Cartesium magis certum esse de existentia propriæ cogitationis, quam de veritate principii contradictionis. Ex quo etiam

Prob. 2.^a pars. Siquidem illud quod ad propositum finem nihil conducit, inutile dicitur; atqui dubitatio de primis principiis, ad finem in dubio cartesiano intentum, nihil conducit: ergo. Prob. min. Finis qui per dubitationem cartesianam quaeritur est falsa præjudicia exuere, ut hac ratione ea solum ut vera amplectamur, quæ revera vera sunt: atqui ad falsa præjudicia exuenda nihil conducit dubitatio de primis principiis: ergo Prob. min. Prima principia non solum certa

et evidentia sunt in seipsis, sed talia etiam a nobis necessario videntur; atqui de hujusmodi propositionibus dubitare nihil conducit ad exuenda præjudicia. Præjudicia namque sunt anticipata iudicia, quæ nobis aut ætas, aut consuetudo, aut auctoritas ut certa et vera instillavit, cum reipsa falsa sint: at præjudicia nullam dependentiam, influxum nullum aut occasionem a primis principiis recipiunt, quinimò eis contrariantur et opponuntur, quippe per ipsa emendari debent ac dijudicari. Dubitatio ergo de primis principiis ad finem per cartesianam methodum quaesitum, prorsus est inutilis.

Porro, quæ de primis principiis, eadem ratione veritatibus sensus communis, ac his quæ per sensus evidentiam nota sunt, accommodantur. Et sane quis dixerit existentiam corporum quæ videt et tangit, sibi minus certam aut indubiam esse quam existentiam cogitationis?

THESIS 2.^a

Methodus cartesiana et rationi adversatur, et inepta est ad certitudinem scientificam constituendam.

Prob. 1.^a pars. Cartesiana methodus exigit ac involvit dubitationem universalem de omnibus, ac præsertim de veracitate aliarum facultatum cognitivarum, excepta conscientia: atqui hujusmodi exceptio rationi adversatur mereque gratuita est habenda, quippe eadem existit ratio pro legitimitate conscientiæ ac pro legitimitate aliarum facultatum, quibus hominis natura donatur ad objecta cognoscenda et verum attingendum: ergo. Et quidem, nemo sanæ mentis dixerit veracitati intellectus dum nobis edicit totum esse majus parte, esse minus fidendum quam veracitati conscientiæ dum nos cogitare testatur. Idem dic de veracitate sensuum dum existentiam corporum ex. gr. mensæ, in qua seribo, testantur. (1)

(1) Merito proinde Reid: «Il est étrange que Descartes qui se sentait obligé de croire au témoignage de sa conscience, ne se sentit pas obligé de croire également au témoignage de ses sens, de sa

Alter a thesis pars ex præcedenti probatione infertur. Nam si legitima evidentia ac veracitas cæterarum facultatum cognitivum ac præsertim intellectus et sensus semel in dubium revocentur, non potest non notare scientiæ præcipuum fundamentum, nempe, prima principia et communes animi conceptiones, ex quibus, ut supra adnotavimus, aliæ veritates medio ratiocinio inferuntur: mutant similiter facta seu phænomena externa, quæ constituunt alterum ex elementis empiricis humanæ scientiæ.

Præterea: conscientiæ testimonium ex sua ipsa natura ordinem pure subjectivum non egreditur, atque phænomenis internis circumscribitur. Ast vero, scientia ordinem objectivum maxime respicit; ille enim qui de Deo, de mundo, de homine, scientificam investigationem instituit, querit non quid sibi *appareat* in conscientia de objectis hujusmodi, sed quid *revera* ac in seipsis sint. Ille etiam qui affirmat *animam esse immortalem, corpora vere existere*, non tantum affirmat id sibi videri ac *repræsentari* per sensum intimum ac in propria conscientia, sed res hujusmodi ita se habere in seipsis independentem a conscientia. Jam vero, postremum hocce elabitur testimonium conscientiæ, quæ, qua talis, solum testatur nobis adesse has vel illas affectiones animi. Ergo methodus cartesianæ, dum universalem dubitationem inducit, excepta solum conscientia, tantum abest ut vera ac unica via sit ad solide constituendam humanam scientiam, prout ejus assectæ autumant, ut potius certitudini scientiæ viam præcludat, latissimamque simul viam aperiat scepticismo.

Corollarium. *Ergo methodus cartesianæ scepticismo simul ac rationalismo viam sternit.* Equidem, si quatenus ad exuen-

memoire et de sa raison; et qu'étant assuré qu'il raisonnait et doutait, il ne le fût pas que deux et trois font cinq, et que le sommeil est différent de la veille.....

Il est difficile d'imaginer contre la veracité de nos autres facultés une objection qui n'atteigne pas également la conscience, et quiconque se méfie du jugement et de la raison que Dieu lui a données, est condamné à rester dans son scepticisme jusqu'à ce qu'il guérisse de cette folie, ou que Dieu lui accorde de nouvelles facultés pour juger les anciennes. » *Œvr. compl. t. 1.^o, cap. ult.*

da judicia veramque certitudinem inveniendam, dubitare de cunctis consulit, ad scepticismum recta pergit, quatenus ejusdem methodi primam regulam statuit, nihil pro vero recipere nisi evidentia sit præditum, proculdubio ad rationalismum recto tramite ducit, ad eamque philosophandi libertatem hodiernis rationalistis adeo dilectam et ad praxim revocatam (1).

SCHOLIUM.

Non desunt qui teterrima consecraria scientifica ac religiosa quæ ex methodo cartesianâ oriuntur pervidentes, conati sunt ostendere Cartesium, nec de primis principiis, nec de veritatibus aliis perspicuis dubitasse, vel dubitare præcepisse. Profecto, si Lugdunenses audiamus, Cartesius non solum de primis principiis aliisque perspicuis veritatibus nunquam dubitandum existimavit, sed in hoc solo tota ejus methodus sita est, ut ulli unquam assentiamur propositioni nisi aut evidenter vera, aut cum aliis evidenter veris connexa sit. Quæ sane Lugdunensium et aliorum interpretatio, non solum prorsus gratuita, sed per quam maxime ridicula dignoscitur. Nam si cartesianæ methodus in tantum exigit, ut nulli propositioni assentiamur quæ non sit, aut per se nota, aut cum eis colligata, nihil præcipit nisi id quod a

(1) Cujus rei luculentissimum testem habemus ipsum Cousin fidelissimum Cartesii discipulum atque perpetuum præconem, qui commemorata præfata ejus regula, subdit: «Esto es exhortar á la filosofía á salir de la tradicion, de la autoridad: c'est exhorter la philosophie á sortir de la tradition, de la autorité. Et alibi: «Con esta regla caen de un solo golpe todas las autoridades, cualesquiera que ellas sean, dominaciones temporales, ante las cuales se inclina el mundo, ó tambien dominaciones religiosas y científicas, consagradas por la veneracion ó admiracion de los siglos, á no ser que estas diversas dominaciones se tomen la pena y hallen el secreto de hacernos evidente con una evidencia irresistible, la verdad que nos presentan..... El precepto de no asentar mas que á la evidencia es por lo tanto un precepto de libertad: constituye libre al espíritu humano en todos los órdenes de conocimiento, y el primero que ha proclamado este principio ha podido ser apellidado con justicia el libertador de la razon humana.» *Histoire de la Phil. lec. 3.^o et 47.*

cordatis cunctis philosophis a Confutio et Pythagora ad nos usque præceptum est. Quid ergo tunc Cartesius ab ipsis Lugdunensibus cæterisque ejus asseclis tanquam novæ methodi inventor prædicatur? Quid ergo a Cousin, *rationis humanæ liberator*, ac parens veræ philosophiæ dicitur? Ad quid tot panegyrica, tantusque strepitus? Ast præfata interpretatio, non ridicula solum sed aperte falsa ostenditur ex ipso Cartesio, qui et de corporum existentia, quæ proculdubio veritas perspicua est, et de demonstrationibus mathematicis, quinimo etiam de primis principiis dubitare vult et consulit. «Putabo, inquit ipse, (1) cælum, aerem, terram, colores, figuras, sonos, cunctaque externa, nihil aliud esse quam ludificationes somniorum.» «Dubitandum etiam, subdit alibi, de reliquis quæ antea pro maxime certis habuimus, etiam de mathematicis demonstrationibus, etiam de his principiis, quæ hactenus putavimus esse per se nota.»

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.º Ad evellenda præjudicia expedit ut vera a falsis, certa ab incertis secernantur; atqui hoc efficitur congrue per methodum cartesianam: ergo. Prob. min. Hujusmodi methodus exigit, ut rei nullæ adsentiamur quin fundamenta assensus in examem revocemus; atqui hoc maxime utile est ut vera a falsis, certa ab incertis secernantur: ergo.

Resp. Neg. min. Ad prob. dist. min. Si agatur de propositionibus aut rebus per se evidentibus et perspicuis, neg. si agatur de propositionibus evidentibus tantum evidentia mediata, conc. Itaque rebus eis quæ nec ex conscientia, nec ex communi hominum sensu, nec ex evidentia, aut intellectuali, aut sensitiva nobis constant, denegandus utique est firmus assensus donec, vel experientia interna aut externa, vel legitimo instituto ratiocinio, earum veritatem evidenter perspiciamus. Ast vero, cum secus accidit, ac præsertim cum agitur de propositionibus evidentia immediata fulgentibus,

(1) *Medit. 1.º*

vel de factis quibusdam sensibilibus statim ac uniformiter ab omnibus perceptis, ut est corporum existentia, nihil opus est, immò prorsus inutile de hujuscemodi rebus dubitare ad falsa præjudicia exuenda.

Instabis: Non raro philosophi de primis principiis scientiarum disputant: ergo revera dubium methodicum circa illa instituunt. Prob. cons. Methodice dubitare nihil est aliud quam rationes dubitandi examini subicere; sed qui de re aliqua disputationem instituit rationes dubitandi in examen revocat: ergo.

Resp. Dist. ant. De primis principiis disputant, ut ipsorum utilitatem scientificam ac nexum cum aliis veritatibus ostendant, conc. quoad ipsorum veritatem, subd. ut hanc veritatem aliis patefaciant, conc. ut eam ipsi adsequantur, neg. Dum ergo philosophi disputationem instituunt de primis principiis, si scepticos excipias, id faciunt ut eorundem usum, applicationem ac relationem et nexum cum aliis propositionibus detegant; vel etiam quandoque contra scepticos ipsorum veritatem tuentur, horum argumenta diluendo.

Objic. 2.º Homo sæpe decipitur: ergo continuo et semper decipi potest, atque proinde dubitationem cartesianam universalem instituere oportet. Prob. cons. Nulla est major ratio pro uno judicio quam pro alio; si enim fingamus hominem centum judicia formata habere, nullum est absurdum si semel, si quiaquies, si viginti vicibus potuit decipi: ergo si aliquando decipitur, et semper ac continenter potest decipi ac errare: ergo.

Resp. Neg. cons. Ad prob. dist. ant. Nullum est inconveniens si semel, si viginti vicibus, etc. decipiatur in sensu diviso aliorum errorum, trans. in sensu composito, neg. Fallax est hujusmodi argumentatio, quippe quæ a sensu diviso ad compositum transit. Unde idem est ac si quis diceret: viginti milites, centum milites, quingenti milites nequeunt civitatem oppugnare: ergo nec triginta millia militum. Quamvis ergo nullum detur absurdum in eo quod dum homo judicia efformat, prima, decima, trigesima etc. vice decipiatur, at absurdum est quod semper decipiatur, idque duplici potissimum ratione: 1.º quia quædam, ut sunt prima principia, adeo immediata evidentia fulgent ac perspicue menti apparent, ut deceptioni nullus relinquatur locus:

2.^o quia si homo continuo ac semper deciperetur, id in Dei ipsius injuriam redundaret, qui rationalem creaturam pejoris fecisset conditionis quam bruta ratione carentia, quibus media tuta præstitit, ut id assequantur quod ipsorum naturæ congruit.

Objic. 5.^o Ut baculum curvum, rectum efficiamus, in oppositam partem inflectimus: ergo similiter, ut a falsis præjudiciis ad veritatem mens transeat, oportet dubitationem etiam de certis instituere.

Resp. Neg. cons. In primis enim quædam sunt de quibus impossibile est nobis vere dubitare, ut supra ostendimus. Deinde, nec paritas ulla hic servatur; namque baculus curvus præsupponitur, at hominis ratio quoad prima principia et alias quasdam veritates, non curva seu errans, sed recta et vera existit: quinimò, ex propria vi et natura, ad veritatem potius quam ad falsitatem ratio se habet ac tendit.

ARTICULUS TERTIUS.

De analysi et synthesis reliquisque methodi speciebus.

Quamplura sunt, quæ auctores congerunt circa diversas methodos earumque usum; ast nos brevitati consulentes, utiliora tantum delibamus. Unde sit

§ I.

De analysi et synthesis.

1.^o Nota est divisio methodi in analyticam et syntheticam. Prima, quæ etiam *resolutionis* nuncupari solet, ea dicitur quæ a compositis et complexis ad simpliciora et notiones universales progreditur. Oppositam viam sequitur synthetica, vel *compositionis*, quæ a notionibus universalibus ac simplicibus ad minus universalialia, ac speciales notiones descendit. Analytica, adhiberi solet ad veritatem detegendam, sive apud nos ipsos dubium solvendum. Synthetica vero, ut veritatem jam cognitam aliis ostendamus sermone, vel ore prolato, vel scripto: unde prior *inventionis*, altera *doctrinæ* appellari consuevit.

Attamen, id ita accipiendum est quatenus in veritate inveniendi seu detegenda analyticæ, in tradenda autem synthetice, plerumque ac frequentius, at non semper, procedimus. Revera enim, tam in scientia adipiscenda, quam tradenda, utramque, vel potius *mixtam* methodum adhibere oportet, juxta rei naturam et adjuncta. Sic ex. gr. quamvis dum disciplinam alteri tradimus synthetica methodo plerumque utamur, quatenus notiones ac definitiones quasdam communes, quæstiones universaliores particularibus, etc. præmittimus, id tamen nihil obstat quominus dum singulas quæstiones, vel factum aliquod, v. g. facultates rationalis animæ perpendere volumus, coram discipulis, analysi utamur.

Porro, ut præcipuas leges quas in re hac præ oculis habere oportet, breviter attingamus, sint

a) Leges communes analysi ac synthesisi.

1.^a *Oportet quæstionem vel rem perspicue, quantum fieri poterit, proponere, atque obscura verba definire.* Inutiliter quippe res quælibet examini subjicitur, si verborum sensus nobis lateat vel ambiguus consistat.

2.^a *Mentis attentio defigenda est in re de qua agitur, atque removenda omnia ea quæ propositam quæstionem non attingunt.*

Mentis siquidem attentio et vis, quæ augustis satis terminis continentur, si in plura dividantur, necesse est debilitari et imminui; ex quo etiam confusio orietur; nam, ut fert vulgatum illud: *pluribus intentus minor est ad singula sensus.*

3.^a *Rei examen ac investigatio, quantum fas sit, a facilioribus et notioribus incipiantur.*

Ea namque, quæ vel perspicua ex seipsis sunt, vel jam præcognita habemus, sunt quasi faces et lucernæ quibus objecta ignota collustrantur; unde ab ipsis disquisitionis exordium sumere oportet, ut sic mens veluti quibusdam gradibus ad notitiam scientificam perveniat.

4.^a *Quam maxime curandum ut rei, de qua agitur, cognitio, ex his potissimum fontibus eruatur, qui ejus naturæ congruunt.*

Sicut enim veritates diversæ sunt et ad diversos ordines spectant, ita etiam fontes unde ipsarum cognitio profluit, diversos esse oportet. Aliter etenim singulare factum, aliter

universalis propositio, aliter res quæ sub sensu cadit, aliter res spiritualis, aliter conscientiæ phænomena, investigationi subjiciuntur.

b) Pro analysi.

1.^a *Controversiæ propositæ natura distincte agnosci debet, ita ut planum fiat quid sit quod a nobis quæritur.*

Etenim, qui rei examen aggreditur, nisi rationem sibi metipsi reddat ejus quod quærit, caligantibus oculis agat necesse est. Ac de una et eadem re analysim instituere possumus ad investigandum, vel essentiam, vel attributa, vel divisionem et partes, vel existentiam.

2.^a *Dilucidanda res resolvatur in partes et elementa quæ complectitur, idque ad rectæ partitionis leges.*

Hæc regula maxime ad analysim spectat; hujus enim proprium est rem in elementa resolvere, ut compositum ex eis cognoscat. Nisi enim partium cognitio distincta habeatur, nec compositum ex his perfectè penetrabimus; at perspicuam partium notitiam non adsequimur nisi mentis vim et attentionem singulatim in eis defigamus. Servandæ autem rectæ divisionis regulæ; secus enim confusio, non congrua analysi oriatur.

3.^a *Elementa rei ita singulatim perpendenda sunt, at ipsorum ordo tum ad invicem, tum ad compositum, præ oculis simul habeatur.*

Qui enim dum analysim instituit, partes absolute seorsum ab aliis considerat, nulla habita ratione respectus seu relationis ad alias, nec ipsarum partium, nec totius ex eisdem conflati exactam notitiam sibi acquirere potest. Sic, qui in homine v. g. manus, vel cor, vel oculos consideraret, nulla habita ratione connexionis inter has et reliquas corporis humani partes, etiam ad peculiare functiones obeundas, nec hominis, nec ejus partium congruam notionem sibi compararet.

c) Pro synthesi.

1.^a *Præmittere oportet definitiones tum verborum, tum rerum; principia etiam ac notiones, ex quibus res dilucidari debet.*

Methodus quippe synthetica ab universalioribus et simplicioribus ad particularia et composita descendit; definitiones porro et principia, axiomata, et notiones commu-

nes, simplicitate ac universalitate præ conclusionibus donantur.

2.^a *In qualibet scientia vel tractatu, magis communia prius exponantur quam minus communia.* Id expostulat conditio ipsa methodi syntheticæ, eo ipso quod ab universalioribus et simplicioribus incipere debet. Sic in Metaphysica v. g. prius de ente in communi, deinde de entibus particularibus, Deo, anima rationali, etc. agitur.

§ II.

De aliis methodi speciebus.

Sicut propria meditatione, atque aliorum doctrina viva voce tradita, ita etiam librorum lectione veritatem adsequimur. At experientia ipsa edocemur, quod ad judicium perficiendum veritatemque detegendam, quantum recte instituta lectio confert, tantum inordinatus librorum usus ducit ad errores induendos judiciumque pervertendum.

Jam vero, ut lectio ritè et cum fructu instituat, hæc duo tanquam fundamentalia præcepta præ oculis sunt habenda: 1.^m optimi auctores in qualibet materia sunt eligendi: 2.^m horum libri ita sunt legendi, ut sensum et sententias ipsorum probe intelligamus. Ex quibus duobus fundamentalibus præceptis leges methodi legendi facillime eruuntur.

1.^a *Animo constituere oportet cuinam scientiæ incumbere debeamus.* Siquidem homo, cum scientias omnes animo complecti, per temporis angustias ac mentis imbecillitatem prohibeatur; animum appellere debet speciatim iis scientiis, quæ ipsius naturæ, conditioni et statui maxime congruunt. Enimvero, præterquamquod natura ipsa quosdam ad mathematicam, alios ad philosophiam, ad theologiam, vel historiam, alios condidit, non eadem scientiæ sacerdoti v. g. ac sæculari æque conveniunt.

2.^a *Congruus ordo inter scientias ipsas, quas legendo addiscimus, servetur.* Etiam postquam animo constitutas habemus scientias quibus navare operam debemus, non omnes temere et simul permixcendæ sunt in lectione, sed prius

perlegere oportet libros, qui de ea agunt, quæ alteri viam sternit. Sic qui philosophiæ, theologiæ ac Sacræ Scripturæ operam navare debet, mentem philosophicis libris excolat priusquam theologiæ animum appellat; nec plures simul scientias, sed unam post aliam legendo complectere oportet, ut confusio vitetur.

3.^o *Optimi auctores in qualibet scientia eligantur.* Hoc præceptum maximi momenti existit, quippe ex eo pendet totus ferme fructus, quem in lectione exquirimus. Non enim quicumque in manus incidunt libri, etiam de determinata scientia agentes, sunt perlegendi, sed oportet auctorem illum seligere, qui nos tutius, pro nostri conditione, ad verum perducatur; ita ut si scientiæ alicujus elementa discere optamus, elementare quoque opus seligamus, quod quidem brevitate, perspicuitate, ac nitido ordine pollere debet. Si vero scientiæ elementa jam habentes, profundiorum ipsius notitiam acquirere cupimus, tunc operibus, ut vocant, magistralibus utemur, in quibus fusius, radicitus ac sublimiori calamo proposita disciplina pertractetur.

Quoniam vero non omnibus datur inter auctores ac libros recte discernere, tyrones qui cum fructu lectionem instituere desiderant: 1.^o consulant viros graves ac doctos in scientia ea: 2.^o cæteris anteponant libros auctorum qui in scientia proposita communi omnium judicio excelluerunt. Ac ad philosophiam quidem quod attinet, caveant ab his qui Platonem, Aristotelem, D. Thomam et Scholasticos parvi faciunt, ac vix quidquam philosophiæ reperiunt nisi post Cartesium, Baconem et Lockium, simulque admiratione continua prosequuntur criticismum Kant, egoismum Fichte, ideam Hegel. Ast ideo minime adsentimur his, qui nihil veræ philosophiæ in recentioribus agnoscunt.

4.^o *Non præcipiti animo, nec affectu præoccupato, sed pacato et attento perlegatur liber.* Nec enim qui avidè et festinanter legentes, libros veluti devorare videntur; nec qui negligenter et imaginatione quaquaversum evagante lectionem instituunt, distinctas, fixas, ac perspicuas notiones sibi possunt acquirere, nec scriptores sensum præbè capere.

5.^o *Notiones fundamentales, quæ in libro continentur, maxime vero definitiones, quæ quo sensu singulæ voces ab auctore usurpentur, exponunt, dilucide sunt percipiendæ.* Id siqui-

dem non parum juvat ut auctoris sensum in obscuris et sequentibus absequamur. Ita etiam fiet, ut facile dignoscere possimus, utrum eidem verbo auctor varias significationes tribuat; quæ sane res est maximi momenti, præsertim quoad veteres, in quibus verba quædam nunc non usitata, et verbum idem sub diversis valde significationibus adhibentur.

6.^o *Leclio libri, ejusdem meditationi permisceatur.* Quæ regula non tantum ex postulat ut inter legendum mentis acies et attentio defigantur, sed potissimum ut postquam paragraphum, capitulum, librum perlegerimus, intus apud nosmetipsos meditationi insistamus, quasi rationem nobis reddentes ejus quod in capite, vel paragrapho continetur, antequam ad subsequenda transeamus.

2.^o *Methodus mathematica* ea dicitur, quæ initio: 1.^o definitiones claras ac perspicuas statuit: 2.^o propositiones quasdam per se notas, quæ prima principia seu axiomata nuncupantur: 3.^o postulata, id est, propositiones quasdam quarum veritatem statim quilibet percipit vel supponit: 4.^o denique propositiones demonstrandas ea ratione ordinat, ut evidentissime appareat ipsarum nexus cum aliquo ex illis prius constitutis principiis, postulatis, aut definitionibus.

Sunt qui velint, methodum mathematicam in scientiis cunctis adhibendam, sed immerito: methodus siquidem uniuscujusque scientiæ, hujus naturæ et conditioni respondere debet. At plurimæ scientiarum ejus naturæ sunt, ex gr. ethica, physica, etc. ut certitudinem et evidentiam mathesis minimè patiantur; unde nec methodum mathematicam facile admittunt. Quod idem de aliis scientiis accipiendum est. Mathematicæ quippe scientiæ agunt de re facilioris cognitionis apud hominem pro statu hujus vitæ; quia cognitio quantitatis plurimum juvatur et perficitur ex imaginatione, quod in aliis scientiis locum non habet. Quæstiones item quasdam solvit, ex conditionibus vel postulatis a ratione ipsa positis.

3.^o *Methodus scholastica* ea dicitur, quæ rei demonstrandæ, vel constituendæ per probabilem rationem, præmittit: 1.^o notiones generales: 2.^o notiones historicas: 3.^o definitiones nominum: 4.^o notiones et principia præcognita ex quibus res illustratur: 5.^o propositionem statuit argumentis demonstrantibus, vel probabilibus: 6.^o rationes, vel argumenta

contraria solvit: 7.^o tandem utitur hæc methodus forma syllogistica.

Hæc methodus utiliter adhibetur: 1.^o in operibus elementaribus in quibus brevitati simul ac perspicuitati consulere oportet: 2.^o in libris quoque fusioribus quarumdam scientiarum, ac præsertim in philosophicis et theologicis. Quod vero attinet ad prævias notiones, definitiones, solutionem argumentorum, etc. omnibus ferme disciplinis congruit. Nihilominus, naturalibus scientiis, historicis, cæteris hujusmodi, ex oratoria et scholastica mixtam methodum congrue adhibebimus.

SCHOLIUM.

Sicut a vero aberrant, qui utilitatem, immò et necessitatem methodi scholasticæ inficiantur, præsertim pro libris elementaribus philosophicis ac theologicis, ita imitari non oportet eos qui eidem nimis indulgent. Recedendum ergo ab illa pene infinita concatenatione syllogismorum, et apparatu argumentorum, quibus mens obruitur potius quam illustratur, prout in nonnullis Scholasticorum operibus observatur. Quod tamen non scholasticæ methodo est tribuendum, sed vitio hominum, qui ingenio, tempori, et adfectibus voluntatis nimium indulgentes, ea abusi sunt, ac, quod pejus est, de frivolis argumentis per vanas rationes tanquam de rebus gravissimis pro aris et focis decertarunt. Cave tamen simul recentiorum quorundam superbam erisim, qui cum Scholasticorum opera fortasse nec legerint, nec viderint quidem, universos carpunt et contemnunt tanquam subtilitatibus tantum deditos, nihilque utilis et magni habentes. Quoniam in D. Thoma ac cæteris Scholasticis, præsertim iis, qui sæculis 15 et 16 floruerunt, vera, integra ac christiana philosophia reperitur, ut vel ipsimet graviore viri inter modernos agnoverunt.

LIBER SECUNDUS.

PSYCHOLOGIA.

PSYCHOLOGIA, ut vox ipsa indicat, scientiam seu notitiam animæ humanæ, quæ spiritualis est, audit. Quæ quidem notitia si circumscribatur ad facultates et operationes animæ prout ex conscientiæ testimonio acquiritur, *psychologia empirica* nuncupari solet. Quod si ipsam animæ essentiam et attributa vestiget et complectatur, *psychologia rationalis* audit; atque ita ex *empirica* et *rationali* integra et completa exurgit Psychologia, cujus proinde disquisitionem in duas sectiones non sine ratione distribuemus.

SECTIO PRIMA.

Psychologia empirica.

ALERE FLAMMAM
VERITATIS
DE HOMINIS FACULTATIBUS ET OPERATIONIBUS UNIVERSIM
SPECTATIS.

Prænotanda:

1.° Ipsa experientia interna edocetur; hominem agendi vi esse præditum, hancque vim agendi multiplici operationum genere se proderi. Siquidem homo, et vim se et alia movendi habet, et vitæ vegetativæ opera exercet, et res extra se positas amore prosequitur quandoque, quandoque vero aversatur, et seipsum denique cæteraque objecta cognitione et notitia capit. Jure igitur Scholastici, cum D. Thoma, quinque genera potentiarum in homine agnoscebant; facultatem, scilicet, *locomotivam, vegetativam, sensitivam, appetitivam et intellectivam.*

2.° Et sane, enumeratio ista, quæ experientiæ et rationi maxime consentanea existit, in ipsa quoque rerum natura fundamentum præaccipit. Nam cum potentiæ seu facultates agendi per actus et objecta ad quæ ordinantur distinguere oporteat, in quinque classes aptissime distribui queunt; quandoquidem homo, vel operatur ad conservationem proprii corporis, et tunc est vis vegetativa; vel corporis motum exequitur pro re aliqua vel adsequenda vel fugienda, et tunc est actus potentiæ locomotivæ; vel rem aliquam amore prosequitur, aut odio aversatur intra se, et tum exercet facultatem appetendi; vel objectum aliquod sensibile et singulare percipit, et tunc erit operatio sensitivæ potentiæ; vel demum immaterialia objecta, vel materialia ipsa, sed ad instar immaterialium et insensibilium cognoscit, et tunc est actio

facultatis intellectivæ: ergo operationes omnes, quæ in homine et ab homine perficiuntur, vel locomotivæ, vel vegetativæ, vel appetitivæ, vel sensitivæ, vel intellectivæ sunt; proindeque quinque facultatum genera in homine agnoscere oportet. Si quis tamen tenacius contenderit, non quinque sed quatuor tantum potentiarum genera agnoscenda, non multum renuam; siquidem, sentiendi et intelligendi facultates, sub facultate cognoscendi generatim comprehendi possunt, non secus ac appetitus sensitivus et rationalis ad appetitivam potentiam reducuntur.

3.° Porro, quamvis inter philosophos conveniat animam nostram hisce facultatibus esse præditam, dissensio maxima inter ipsos apparet circa earum distinctionem, tum ab essentia animæ, tum inter se. Ac ad primum quidem quod attinet, tam recentiores quam veteres pantheistæ semper affirmarunt, facultates animæ humanæ ab hujus essentia realiter non distingui; nam cum ex eorum placitis, animæ essentia sit ipsissima essentia Dei, qui solus quidquid in rerum natura agitur agit, utpote unica vera substantia et verum agens, collegerunt exinde negandam omnem distinctionem realem inter essentiam et facultates animæ, quia si admitteretur, realis distinctio in Deo ipso poneretur. Hinc Schelling et Hegel docent, spiritus facultates aliud non esse quam diversas relationes ejusdem cum mundo externo. Nominales, duce Ockam, eandem sententiam amplexati sunt; unde apud ipsos, quæ nuncupantur diversæ animæ facultates, sunt diversa nomina rem eandem significantia. Pantheistarum et Nominalium sententiam in hac parte secuta est et sequitur maxima recentiorum turba, qui fere omnes, non solum realem distinctionem inter essentiam animæ et ejus facultates, sed etiam inter has ipsas inficiantur. Atque hanc postremam opinionem amplexati sunt non tantum baconianæ et cartesianæ philosophiæ præcones, sed viri etiam, qui graviorem philosophandi rationem atque christianæ scientiæ magis affinem profitentur. Quod, ut cæteros omittam, videre licet in P. Cuevas qui hanc versans quæstionem, sic pronuntiat: «Nimirum, una eademque est vis, qua anima actus ejusdemque generis exercet: facultates vero, quas ipsi tribuimus, solius mentis conceptibus secerantur.» Ut quid rei veritas apud nos habeat, elucescat, sit,

THESIS 1.^a

Potentia plurimae seu facultates animae rationalis ab eisdem essentia realiter distinguuntur.

Dico *plurimae*, quia ad veritatem sive hujus, sive sequentis propositionis, opus non est ut omnes omnino facultates, sive ab essentia, sive inter se discriminentur; sufficit enim pro veritate nostrae sententiae, quod verificentur duae propositiones de praecipuis animae facultatibus, ut de quinque enumeratis generibus potentiarum, de imaginatione respectu sensuum exteriorum et intellectus, de voluntate respectu intellectus etc. Quod, ut diximus, similiter est intelligendum pro assertione quam postea stabiliemus.

Probatur itaque thesis 1.^a Si potentiae animae essent una eademque omnino res ac ipsa essentia animae, huiusmodi potentiae essent semper in suo actu completo; essentia enim animae ex sua ipsa natura est actus, perfectio et actualitas. Atqui experientia ipsa compertum est potentias animae in actu non semper esse; quandoquidem, non semper sentimus, intelligimus, aut volumus: ergo potentiae animae non idem sunt ac ejusdem essentia. Quae ratio ex eo firmatur, quod huiusmodi actiones, utpote genere diversae, ex uno et eodem promanare principio immediato nequeunt. Et quidem, illi ipsi, qui facultates animae cum huiusmodi essentia confundunt, fatentur actionem ex. c. sentiendi, diversam esse ab actione intelligendi, vel se locomovendi. Jam vero, si principium proximum harum actionum est unum et omnino idem, scilicet, ipsa essentia, assignari nequit ratio ulla sufficiens huius diversitatis inter actiones ab eadem emanantes. Dicendum ergo, quod praeter essentiam ipsam animae, quae est principium primum, remotum, fundamentale, et radicale harum operationum, sunt etiam potentiae ab eadem distinctae et promanantes tanquam ejus proprietates et attributa, quae sint principium immediatum, proximum, et actuale praedictarum operationum. Bene ergo habet D. Thomas: (1) «Cum

(1) QQ. Disp., De An. art. 12.

essentia animae sit unum principium, non potest esse immediatum principium omnium suarum actionum, sed oportet quod habeat plures et diversas potentias correspondentes diversitati suarum actionum.»

2.^o Si animae facultates identificarentur cum essentia animae, fieri non posset ut una earum ab altera penderet atque ipsi subiceretur; namque una eademque res sibi ipsi non subicitur: atqui, experientia duce, scimus, unam animae potentiam alteri subijci, ut sensus subicitur intellectui et voluntati: potentiae ergo animae idem non sunt ac ejus essentia. «Invenitur enim, ait D. Thomas, (1) quod una (potentia) alteram movet, sicut ratio irascibilem et concupiscibilem, et intellectus voluntatem. Quod esse non posset, si omnes potentiae essent ipsa animae essentia, quia idem secundum idem non movet seipsum.»

3.^o Apud omnes philosophos tanquam commune habetur effatum, quod potentia dicitur ad actum, ad quem proinde ex seipsa ordinatur, et a quo determinationem specificam accipit: ergo cum potentia operativa per operationem perficiatur ac complementum accipiat, potentia et actus ad idem genus pertinent, ita ut si actus, vel operatio sit substantia, ut in Deo evenit, etiam potentia a qua procedit, sit substantia; e contra, si operatio sit accidens, etiam potentia quam perficit et a qua procedit, sit accidens. Atqui revera hominis actus vel operationes ad genus accidentium pertinent; quandoquidem a subjecto abesse, vel ei adesse possunt quin vel hominis, vel animae essentia pereat: ergo potentiae a quibus procedunt tanquam a proprio et immediato principio, ad genus accidentium spectare oportet: ergo huiusmodi principium nequit esse ipsa essentia animae, quae profecto substantia est et non accidens.

Corollaria:

1.^m Inferre potes ex dictis, cur et quo sensu aiebant Scholastici, animam esse principium quod suarum operationum, praesertim earum quae non tantum ab ipsa sola procedunt, sed in ipsa sola recipiuntur, ut intelligere et velle; potentias

(1) Loc. cit. De spir. Creat. art. 11.

vero sive facultates, earumdem actionum principium quo nuncupabant, nimirum, quia anima, seu potius tota natura humana per illam, est id quod operatur; facultates vero, sunt id quo anima operatur.

2^m Infertur etiam sententiam illam, quæ facultatum distinctionem ab essentia inficiatur, Pantheismi placitis viam aperire. At enim, si essentia et facultas agendi, proindeque essentia et agere, unum idemque sunt in rationali anima, pronum erit colligere, animam istam nihil potentialitatis habere, sed esse actum omnino purum et simplicem, quod sane solius Dei proprium est.

THESIS 2.^a

Realem distinctionem admittere oportet inter animæ facultates.

Prob. 1.^o Atque in primis propositio ista ex his quæ pro præcedenti attulimus demonstratur. Siquidem, semel constituto, animam genere aut specie diversas actiones ex se profundere, quod ipsi adversarii concedunt, actionem, videlicet, sentiendi, distinctam realiter esse ab actione intelligendi, et utramque ab operatione v. gr. vegetandi, planum est conficere, harum quoque actionum proxima et propria principia, genere aut specie inter se differre, nec unum omninoque idem esse posse harum operationum principium, ut adversarii contendunt, nisi falsum habere velimus commune illud effatum: *«idem secundum idem, non est natum facere nisi idem.»* Argumentum hocce, paucis, pro more suo, complexus est D. Thomas, dum ait: *«Potentia ad actum dicitur; unde secundum diversitatem actionum, oportet esse diversitatem potentiarum.»* (1)

2.^o Ex gravissimis absurdis quæ secum fert identificatio potentiarum, præsertim sensitivæ et intellectivæ. Profecto, si facultas sentiendi et intelligendi sunt unum et idem, manente posteriori in anima, manebit quoque et eodem modo prior. Atqui id falsum est; quandoquidem anima a corpore

(1) QQ. Disp. De An. art. 42.

separata, sentiendi facultatem nequit exercere, cum e converso intelligendi facultatem exercere possit, eadem et fortasse potiori ratione ac dum corpori unita manet: facultas igitur sentiendi et intelligendi non sunt unum et idem.

3.^o Satis notum est et apud omnes tritum et admissum, nos animam nostram sicut etiam brutorum, non per ipsam suam essentiam immediate, sed ex earumdem operationibus et facultatibus cognoscere; quod adeo verum est, ut si per impossibile nullam actionem homo produceret vel in se experiretur, neque in brutis perciperet et videret, ideam non haberet nec rationalis propriæ animæ, nec animæ brutorum. Jam vero, si facultas sentiendi identificatur cum facultate intelligendi; ergo qui habet facultatem sentiendi habet etiam facultatem intelligendi; qui enim habet rem quæ cum alia identificatur, postremam istam necesse est habere. Igitur, cum facultate sentiendi bruta certo polleant, qui has facultates in homine unam eandemque rem supponunt, nec easdem ab essentia animæ distinguunt, ut communiter accidit apud adversarios, certe nihil habent quo essentialem distinctionem adstruant inter brutorum et hominis animas.

Et revera quidem, posita semel distinctione reali inter facultatem sentiendi et intelligendi, simulque reali distinctione earumdem ab ipsa animæ essentia a qua profluunt, optime concipio brutorum animam esse principium substantiale inferioris naturæ quam sit anima rationalis, præditum idcirco facultate tantum sentiendi non vero intelligendi: at vero, si ex una parte facultates operandi sunt ipsa animæ essentia absque ulla reali distinctione, ex alia vero, facultas sentiendi et intelligendi sunt unum et idem, quid mihi superest ad realem et essentialem distinctionem constituendam inter hominis animam et animam brutorum? Profecto vere, existimo quod Condillac cum cæteris, nihil fere amplius requirant pro suo systemate conficiendo. Nam si intellectus et sensus sunt una et eadem facultas absque ulla reali distinctione, pronum est inferre, eandem quoque rem esse sensationem et intellectionem, vel istam illius modificationem tantum et transformationem. Quinimo, ipsis materialistis hæc sententia maxime favet, quatenus fundamentum solidum tollit, saltem quoad nos, distinguendi essentialiter animantia bruta ab homine.

SCHOLIUM.

Ab argumentis aliis bene multis supersedeo, ne elementaris operis fines excedantur. Pauca quæ attulimus, sufficiunt ut agnoscat, non immerito D. Thomam, istam facultatum realem distinctionem, et præsertim inter sensitivam et intellectivam, sæpissime atque vehementius in suis operibus propugnasse. Quandoquidem, Angelicus Doctor pervidebat proculdubio, doctrinam hanc materialistarum et sensualistarum placitis aditum ocludere, simulque in ea constitui basim magnam, unumque ex præcipuis fundamentis philosophiæ christianæ. Quapropter, iterum dicam, mirari satis non possum, P. Cuevas, virum certe gravem, et catholicæ doctrinæ peritum et amatorem, in contrariam sententiam descendisse, idque nullo gravi fundamento nisus. «Facultates, inquit, quas animæ tribuimus, solius mentis conceptibus secernuntur. Verba sunt hæc, quæ in baconianæ, cartesianæ, vel semi-rationalistæ philosophiæ sectatore, locum habere poterunt; in vero gravi, Scholæ non contemptore, ac christianæ philosophiæ amico et propugnatore, vix capiæ.

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

Obj. adversus 1.^{am} thesim. Non oportet entia multiplicare absque necessitate; sed facultates ponere ab essentia distinctas, et ponere entia sine necessitate; ergo etc. Prob. min. Sicut animæ facultates ab essentia animæ supponantur effluere immediate, ita possunt effluere operationes ipsæ: nulla ergo est necessitas ponendi facultates ab essentia distinctas.

Resp. Neg. min. Ad cujus prob. neg. ant. Semel enim posito, ut vere res est, animam plures et diversas actiones elicere, necessarium est plures etiam et diversas potentias in ipsa admittere, tum ut vitentur incommoda et absurda de quibus in probationibus; tum ne cogamur dicere actionem aliquam creaturæ substantialem esse, substantiamve immediate operari, quod juxta D. Thomam, soli Deo, qui purissimus est actus, convenit; tum denique, quia alioquin rationem sufficientem non possemus assignare realis distinctionis quæ intercedit inter diversas hominis operationes. Siquidem

istæ non alia ratione inter se discriminantur, nisi quia a diversis profluunt principiis; ubi enim idem est omnino principium, saltem in creatis et finitis, idem esse oportet principium et effectum.

Obj. 2.^o Si facultates animæ ab hujus essentia realiter distinguerentur, ab ipsa possent separari; atqui repugnat potentias ab anima separari, quid enim esset anima rationalis si intellectus ab ipsa separaretur? Ergo.

Resp. 1.^o negando maj. Nec enim opus est admittere, illa omnia, quæ revera distinguuntur, separationem pati posse, ita ut invicem separata existentiam retineant: quinimo, longe probabilius habemus, quædam esse inter quæ realis intercedit distinctio, quin tamen idcirco nec divinitus invicem separari et separata permanere possint, ut essentia et existentia in creaturis, realis relatio harum ad Creatorem, et si quæ sunt hujusmodi. Quamvis itaque animæ facultates ulla ratione ab eadem possent separari, non licet statim hinc colligere, realem et veram distinctionem non existere inter animæ essentiam ejusque facultates. Non desunt etiam, qui non tantum separabilitatem sed separationem etiam ex parte quarundam facultatum admittunt, unde

Resp. 2.^o Omis. maj. neg. min. Pro cujus solutionis intelligentia præ oculis habere oportet, quod in theoria D. Thomæ, quamvis omnes animæ nostræ facultates ad ipsam spectent tanquam ad principium a quo veluti profluunt, non tamen omnes in ipsa sola tanquam in subjecto recipiuntur et sustentantur: sunt enim ex his quædam, quæ nec corpori, nec animæ solum insunt, sed utrique simul, ut vis vegetativa, sensitiva, locomotiva, quæ idcirco *potentiæ totius conjunctæ*, id est, corporis simul et animæ a D. Thoma non immerito nuncupantur. Jam ergo, cum animæ facultates entia sint accidentalia, accidentium conditionem sequuntur: est autem accidentis conditio sine subjecto non existere, atque eo deficiente deficere; quapropter, cum per separationem animæ a corpore, deficiat subjectum proprium prædictarum potentiarum, et ipsas quoque deficere oportebit. Hæc tamen deficiencia quoad esse actuale et completum harum facultatum intelligenda est; nam cum ipsæ, ut antea dixi, non secus ac illæ quæ in anima sola recipiuntur et existunt, intellectus, scilicet, et voluntas, ab anima tanquam a generali,

primitivo et essentiali activo principio profluant, in ipsa remanent incomplete et virtualiter, sive, ut ajebant Scholastici, *radicaliter*. Sed ut verum fatear, quid sibi velit hoc *radicaliter*, neminem hactenus inveni, nec audiivi, qui satis et apte explicet. Quid mihi de hac re videatur, breviter dicam.

1.^o Potentiæ illæ, ex D. Thoma, compositum ex anima et corpore, sive *conjunctum*, dicuntur sibi vindicare tanquam subjectum, quia solum dum existit conjunctum, et per conjunctum, statum completum integramque perfectionem obtinent, quæ ipsis competit in ordine ad actualem operationem. 2.^o At vero, dum anima a corpore separatur, complementum hocce et perfectionem quoad operari amittunt, remanent tamen quoad naturam propriam in essentia animæ, sed in statu imperfecto in ordine ad operationem ex defectu alterius elementi, quod ad istam oportet concurrere: desinunt igitur existere quoad esse actuale in statu perfecto, et quoad habere subjectum completum; conservantur vero quoad essentiam, quasi convolutæ et replicate in anima, et sine actuali evolutione.

Objic. adversus 2.^{am} thes. Pluralitas realis potentiarum tollit simplicitatem animæ: ergo. Prob. ant. Si distinctio realis intercederet inter facultates animæ, hæc constaret ex partibus; sed quod partibus constat non est simplex: ergo.

Resp. neg. ant. Ad prob. dist. maj. Anima constaret ex partibus *essentialibus*, neg. *potentialibus*, conc. Vis argumenti solum constaret potest adversus illos, qui potentias ab essentia non distinguunt: at vero apud nos, qui realem distinctionem potentiarum ab animæ essentia tuemur, nullius est roboris. Fatemur quod essentia ipsa rationalis animæ simplex est omnino, nullisque proinde *essentialibus* partibus constat; at simul fatemur vim agendi aliam rem esse ab essentia, et hanc agendi vim pluribus partialibus viribus seu potentiis constare: unde pluralitas ipsam tantum vim agendi, non animæ essentiam afficit. Apposite ad rem D. Thomas: «Potentiæ animæ dicuntur partes non essentiæ, sed totalis virtutis ejus, sicut potestas ballivi est pars totius potestatis regie.» (1)

(1) QQ. Disp. De Spir. Creat. art. 11, ad 19.m

CAPUT SECUNDUM.

DE FACULTATE SENTIENDI.

Ex quinque facultatum generibus in superiori capite enumeratis, locomotivam vim ac vegetandi potentiam hic omittimus, tum quia psychologice spectatæ minus præcipuæ merito habentur; tum quia in Cosmologia de ipsis redibit sermo. Itaque, hic solum perpendemus sentiendi, appetendi ac intelligendi facultates, ex quibus psychologica animæ humanæ investigatio et scientia maxime juvantur et exsurgunt. Quia vero sentiendi facultas, et per externa organa, et per interna exercetur, primo de sensibus externis, deinde de internis agemus.

ARTICULUS PRIMUS.

De sensibus externis.

Vis sensitiva universim spectata, est qua anima corpori unita res corporeas, qua materiales et singulares, percipit, vel eisdem determinato modo afficitur. Actus quo id perficitur, vel sensitio, vel affectio sensitiva nuncupatur.

Triplex distingui potest sensibilitatis manifestatio: 1.^o qua singularium corporum sensiles et veluti externas qualitates percipimus, quod ope sensuum externorum fit: 2.^o qua horum corporum qualitates veluti internas et minus sensibiles percipimus; quod officium est sensuum internorum: 3.^o qua experimur affectiones illas quæ ex prædictis operationibus in anima exsurgunt circa sensibilitatis objecta; spectant hæc ad appetitum sensitivum, et *passiones* communiter appellantur.

Exordientes igitur a prima manifestatione, experientia ipsa compertum est, quintuplici ratione eam exerceri: *videndo, audiendo, odorando, gustando et tangendo*. Quoniam vero sensitiva vis absque corporis concursu non exercetur, quinque etiam instrumenta seu *organa* observamus pro his quinque functionibus sensibilitatis, scilicet, oculos, aures, nares, linguam, manus vel etiam superficiem corporis.

Quamvis hujusmodi voces, et illæ, visus, auditus, etc. non raro pro synonymis usurpentur, distinguendæ tamen sunt, si pro rigore philosophico loqui velimus. At enim, *oculus, auris, lingua*, etc. significant tantum *organa*, quibus exercetur facultas videndi, audiendi, etc. Facultas seu potentia *visiva, auditiva*, etc. ipsam animæ vim qua videt, audit, etc. designat. Denique voces illæ, *visus, auditus, odoratus, gustus et tactus*, utrumque complectuntur, sicut etiam vox illa *sensus*; nam et organum materiale, et vim spiritualem animæ simul continet.

Corporum qualitates sensibiles objectum esse externorum sensuum, jam inuimus; at id non eodem modo accidit. Sunt quædam qualitates, quæ ab unoquoque determinato sensu immediate, primo, per se et non ratione alterius, attinguntur: sic se habent colores respectu visus, sonus respectu auditus, qualitates tactiles respectu tactus, etc. Sunt vero aliæ qualitates vel corporum accidentia, quæ non per se, et primo, sed veluti secundario et ratione alterius a sensu attinguntur, quatenus, scilicet, naturalem nexum habent cum his quæ primo ad sensus referuntur eosque ad operandum determinant; sic quantitas sive extensio, per seipsam et denudata ab omni colore et luce, per visum non perciperetur, sed quia luci et colori subijcitur estque hujus fundamentum vel subjectum, attingi a visu potest, sicut etiam a tactu, quatenus tactilium qualitatum est basis, et veluti subjectum immediatum. Hinc hujus generis qualitates, vel ab omnibus, vel saltem a pluribus sensibus attinguntur. Aptissime ergo Scholastici, primi generis qualitates appellarunt objectum *sensibile proprium*; alterius generis, *sensibile commune*, quia priores per unum tantum sensum, posteriores per plures percipi possunt. Quia vero sensus, hujusmodi qualitates attingunt in concreto et prout subjecto singulari insunt, non immerito admitterunt illi, objectum aliud sensuum quod *sensibile per accidens* nuncuparunt; atque illud est quod conjungitur in corpore cum aliqua ex his qualitatibus, quæ per sensum unicum vel plures percipitur. Ita in saccharo, dulcedo est objectum *sensibile per accidens* respectu visus, quia est intime conjuncta cum hac albedine, quæ visum ad videndum saccharum determinat. Exinde factum est, ut Scholastici assenserint etiam, substantiam ipsam cor-

poris esse objectum *sensibile per accidens* sensuum externorum. Quod pronuntiatum, quamvis neoterici omnes rejiciant reveraque falsum prima fronte videatur, veritatem continere existimamus, si tamen probe intelligatur.

Duplici etenim sensu corporis substantia accipi potest: 1.º quatenus ipsam rei essentiam significat, prout ista constituitur in tali specie determinata: 2.º prout est subjectum in quo recipiuntur et existunt ista vel illa singularia accidentia. Si priori sensu sumatur substantia, certe objectum sensuum nulla ratione dici debet sed solius intellectus, ad quem unice spectat intimam et propriam rei naturam cognoscere. At vero, si posteriori modo sumatur, nihil obstare video quominus substantia corporea objectum sensibile per accidens sensuum dicatur; quandoquidem hi, simul cum qualitatibus quæ ipsorum sunt objecta propria, percipiunt subjectum in quo in hærent, quodque a præfatis qualitatibus determinatur. Sit exemplum: cum corpus aliquod visu sentimus, visus nobis exhibet colorem *istum* in *isto* corpore in hærentem, proindeque videmus corpus hocce ut coloratum et lumine perfusum; at ejusnam naturæ sit istud corpus, an lignum, an lapis, an animal, visus nobis non patefacit, et intellectu id perspiciendum est.

Attamen, et id quoque mihi videtur dicendum, quod non tantum sensibilia propria et prima, sed communia etiam, ut quantitas, et quæ ad ipsam referuntur, figura, motus, quies, distantia etc. distincte per sensus attingi possunt: sed vero, corporis substantia, quam dicimus *sensibile per accidens*, non nisi confuse et obscure per sensus attingitur.

Ut prædicti sensus sensationes proprias absolvant, vel potius anima per illos, quædam conditiones requiruntur. 1.º Conveniens organi structura; nam si illud, vel absit vel læsum sit, abest etiam, vel debilitatur, vel perperam sensitio perficitur: unde qui caret oculis, caret quoque sensatione videndi.

Ex prima ista enascitur 2.ª conditio, quæ ea est, ut objectum impressionem determinatam et actionem congruam in organis efficiat. Experimur enim, nos nihil per sensus percipere, nisi externa corpora in nos aliquid agant: et quia corporis actio ex nimia distantia, vel debilitatur, vel tollitur, hæc secunda conditio præsentiam aliquam objecti

præ se fert; quæ quidem objecti præsentia diversa sit oportet pro sensus natura, major enim præsentia exigitur ad gustandum, quam ad videndum.

3.^o Conditio: impressio vel actio objecti in organo, nec nimium vehemens, nec nimium remissa esse debet. Experientia ipsa compertum est, sensationem in anima non excitari per tenuissimam impressionem; quam ob rem et ex defectu hujus conditionis, nec sonum nimis remissum percipimus, nec stellarum luce legere possumus. Similiter solis obtutus, aut strepitus vehementior, videndi et audiendi sensationes, vel impediunt, vel viliant.

4.^o Conditio ex parte ipsius animæ se habet, in qua certe sensatio non perficitur, vel saltem non percipitur, si rebus aliis attentionem vehementer applicat, ut apparet in homine, qui in re aliqua meditanda alte et vehementer defixus, quandoque nihil videt apertis oculis.

5.^o Conditio est communicatio organi cum cerebro; nam ex physiologicis constat observationibus, sensationem penitus aboleri, si organi nervuli cum cerebro communicantes, vel intercendantur, vel ita comprimantur ut impedimentum ponatur tenuissimo fluido in eisdem contento, seu, ut aliis placet, spiritibus animalibus.

Ex hucusque dictis aliqua corollaria inferre licet præ oculis habenda, ut ea quæ postea de sensationis natura disputabimus, melius capiantur.

1.^m *Talis exoritur in anima sensatio, qualis est actio objecti in organum.* Nam si, ut diximus, actio objecti in organum ad sensationem requiritur, simulque actio ista mutationi vel varietati est obnoxia, pro diversa objecti magnitudine, distantia, præsentia etc. consequens est, sensationem quamlibet cujusque sensus diverse modificari et determinari, juxta determinationes et speciales condiciones objecti agentis.

2.^m *Sensationis natura dijudicanda est, ex eo quod in ipsa observatur, dum supradictis conditionibus est stipata, et præsertim dum exercetur absque organi vitio vel defectu.*

3.^m *Sensationes visus et tactus sunt magis perspicuæ et distinctæ, simulque perfectiores ex parte repræsentationis objectivæ.* Cujus rei ratio forte assignari posset, quia visus ex una parte est perfectior inter exteriores corporis sensus, et,

ut ait apposite D. Thomas, *quasi quidam intellectus corporis: ex alia parte, quia colores et lux quibus ipsius objectum proprium constituitur, repræsentandi vi maxime et ex sua natura donantur.* Quæ postrema ratio tactui etiam accommodatur, quippe qui ad quantitatem sive extensionem refertur mediis qualitatibus, quæ ejus proprium objectum constituunt, ut sunt calor, frigus, durities, mollities, etc.

4.^m *Vehementior organi commotio relundit debiliorem, ita ut sensatio, quæ huic respondet, magis vel minus impediatur.* Sic experimur, quod in vehementi strepitu, minores aeris vibrationes, sive submissas voces non audimus.

SCHOLIUM.

In explicando quo ordine, vel qua ratione quisque sensus suam exerat actionem, immorari non licet, ne opus elementare plus æquo protrahatur. Tria summatim attingam tantum circa hujus articuli argumentum. Primo, divina Providentia esse factum, sensuum nostrorum organa ampliore non habere perfectionem; nam si tactus ex. gr. delicatior esset aut sensibilior, nec aeris impresionem et contactum sustinere possemus; et sic, proportionem servata, de aliis sensibus. Secundo: externi hujusmodi sensus, sicut etiam interni, duo præcipua habent munia in homine; quandoquidem Deus nos eis donavit, tum ut animalem vitam servare possemus, tum ut intellectualem cognitionem excitarent et juvarent, qua ad Dei ipsius divinarumque rerum notitiam et amorem assurgamus. Tertio: quæ de objectis sensibilibus propriis et communibus cum D. Thoma delibavimus, D. Augustinus jam antea docuerat, idque variis in locis, ex quibus accipe unum: «Intelligis ergo, et quædam singulos sensus habere propria, de quibus renuntient, et quædam quosdam habere communia? Et hoc intelligo.» (1) Atque illud notatum velim, quamvis certum sit, ut diximus, communicationem existere oportere inter cerebrum et organa sensuum, in quo tamen sita sit, et qua ratione communicatio ejusmodi

(1) De Lib. Arb. lib. 2.^o

peragatur, non satis inter physiologos constare videtur. Nam si quosdam audiamus, communicatio ista fit veluti per quamdam vibrationem, quatenus nervuli ab organis ad cerebrum pertingentes, objecti externi commotionem ad ipsum transmittunt. Existimant alii, et ut nobis videtur, probabilius, fluidum quoddam nerveum dictum, cerebro elaborari, quod per tabulos tenuissimos, quibus nervi sunt instructi, excurrens, motum et sensationes determinare vel juvare queat. Hypotheses alii excogitarunt pro explicanda præfata communicatione, quas hic expendere nec libet, nec licet.

ARTICULUS SECUNDUS.

De sensatione.

Mirum plane quod opinionum portenta circa sensationis naturam a philosophis sint excogitata. Quæ cum singularim enumerare et expendere elementaris operis ratio non patitur, præcipuas tantum idque summam attingemus. Itaque hujusmodi:

§ I.

Opiniones philosophorum.

Ad tres classes commode revocari possunt. Quidam namque docent, animam in sensatione esse tantum *activam*; alii, mere *passivam*; alii, partim *activam* et partim *passivam*. Inter prioris sententiæ sectatores enumerare licet Platonem, qui quamvis subobscurè sæpe de hocce argumento loquatur, cum docuerit animam corpori uniri ut motorem tantum, et non ut formam substantialem et secundum essentiam, simulque humanam cognitionem per ideas animæ naturaliter inditas explicaverit, sensationem per solam animæ vim etiam explicare cogitur.

In eandem sententiam descenderunt Neoplatonici; siquidem opinabantur illi, animam hominis sensibilia objecta in seipsa continere, proindeque in se et per se percipere. Huic sententiæ, ex parte accessisse videtur Henricus Gandavensis,

dum sensationem soli animæ tribuit, docens impressionem objecti in organis ad illam revera non concurrere. Inter recentiores, annumerandus pro hac sententia Mallebranche, qui docuit impressionem vel actionem externi objecti in organa ad animam nullo modo pertingere, sed esse meras occasiones ex quibus Deus ipse sensationes producat in anima, sicut producit etiam perceptiones intellectuales, quæ ex ipso, a sensationibus ob quamdam majorem vividitatem solum distinguuntur. Ex quo colligere fas est, quod si vera et logica loqui velimus, dicendum foret, quod juxta Mallebranche systema, sensationes non solum animæ unice tribui debent absque ullo influxu ex parte corporis, sed a Deo ipso et solo effici. Denique, eidem sententiæ accensendi sunt, quisque pro suo modo, Descartes, Leibnitz, Berkeley, et quotquot docent, vel animam corpori uniri ut motorem mobili; vel sensum ab intellectu realiter non distingui; vel nulla esse exteriora corpora, prout in rei veritate adstrunt plurimi philosophiæ germanicæ sectatores, qui vel supponunt, ut Kant, corpora sensibus dari in spatio et tempore, eaque esse formas tantum subjectivas intuitionis; vel docent cum Fichte, esse effectus ipsius activitatis animæ; vel cum Hegel, esse tantum modos, quibus natura seipsam determinat et evolvit. Hi namque omnes coguntur demum concedere, animam in sensatione pure *activam* esse.

Veniamus ad eos qui animam *passivam* tantum in sensatione supponunt, inter quos primum annumerare oportet Democritum et Epicurum, agentes, sensationem nihil esse aliud nisi passionem sensorii per atomos ex corporibus veluti erasas atque in organa incurrentes. Connumerandus deinde Locke, qui etiam facultatem sentiendi tanquam mere *passivam* traducit; unde etiam edixit, sensationem esse passionem in anima a corpore productam. A qua sententia non multum Condillac abludit, qui solam tactus sensationem ad vim animæ representativam retulit, reliquas affectiones, proindeque passiones animi, gratas vel ingratas appellavit.

Atque ad tertiam classem jam accedentes, in ea præter Aristotelem, ejusque antiquos discipulos, in ea opinione versati sunt, tum D. Augustinus, tum D. Thomas, cum reliquis maximi nominis Scholasticis. Atque primus quidem, non uno tantum loco docuit, nec corpus, nec animam solum,

sed utrumque ad sensationem concurrere. «Ex visibili et vidente, ait, gignitur visio, ita tamen ut ex vidente sit sensus soculorum, et aspicientis, atque intuentis intentio; illa tamen informatio sensus, quæ visio dicitur, e solo imprimitur corpore quod videtur, id est, a re aliqua visibili.» Quod attinet ad D. Thomam, sexcentis locis plus minus docet, animam dum sentit, passione et actione affici. «Sentire, inquit, (1) quantum ad ipsam receptionem speciei sensibilis, nominat passionem... sed quantum ad actum consequentem ipsum sensum perfectum per speciem, nominat operationem.»

§ II.

Natura sensationis.

Itaque, præter objectum ipsum et organum, in sensatione adæquate sumpta, tria observantur: 1.º impressio sive actio objecti in organum: 2.º affectio, seu motus animæ quo hæc ad objectum dirigitur et tendit, qui quidem motus est veluti *reactio* sensus in objectum externum, qua istud per representationem fit præsens animæ, quæ ex vi hujus *reactionis* et representationis, ad objectum ipsum convertitur: 3.º perceptio ipsa sensitiva objecti. Hæc ratio explicandi sensationem proprie dictam sive cognoscitivam, a qua proinde excludimus sensationes affectivas, (sentimentos, pasiones) rationi et experientiæ consentanea reperitur, et simul germanam D. Thomæ doctrinam continet.

Quæ theoria sensationis, ut plenius capiatur, tantisper est dilucidanda et evolvenda. Igitur, corporis impressio in sensorio sub duplici respectu spectari potest; scilicet, quatenus est actio unius corporis in aliud corpus; et quatenus est impressio objecti hujus in hanc potentiam cognitricem. Prima impressio est veluti actio mechanica, quia a corpore quatenus corpus, seu ut *res* quædam est procedit, ex. gr. actio, qua corpus luminosum sui imaginem in oculo depingit: secunda vero, est veluti impressio seu actio *objectiva*,

(1) Sent. lib. 1.º Dist. 40, q. 1.º art. 1.º

quæ corpori lucido ex. gr. non ut corpori præcise, sed ut *objecto* visus congruit, quatenus hoc corpus lucidum imprimit vel agit in oculum, non utcumque, sed ut constat his vel illis humoribus, membranis etc. nam hæc etiam reperitur in oculo cadaveris, sed ut informatum vitaliter per animam que pollet vi sentiendi. Atque hæc quidem impressio sive actio corporis ut *objecti* in organum vitali vi præditum et ab anima informatum, est quæ determinat reactionem prædictam animæ representativam objecti, quovis tandem modo fiat representatio ista, de quo postea. Siquidem, cognitio quævis, ex sua ipsa natura, representationem aliquam involvit; nam, ut habet D. Thomas ex experientia ipsa testatur, *cognitio contingit, secundum quod cognitum est in cognoscente*; et si cognitum est in cognoscente, profecto ipsi representatur dum cognoscitur.

Ex his habes, quid sibi voluerint Scholastici dum loquebantur de actione *intentionali* corporum in sensus; nihil enim est aliud actio præfata nisi impressio, quam objectivam nuncupavi, sive actio objecti in organum, ut animatum et præditum vitali et cognitrice facultate. Habes etiam, quid sibi voluerit D. Thomas, et non absque fundamento, sed merito docuisse, duplicem agnoscendam impressionem sive immutationem sensus ab objecto sensibili, dum ait: (1) «Est autem duplex immutatio, una naturalis, et alia spiritualis; naturalis quidem, secundum quod forma immutantis recipitur in immutato secundum esse naturale, sicut calor in calefacto. Spiritualis autem, secundum quod forma immutantis recipitur in immutato secundum esse spirituale... Ad operationem autem sensus requiritur immutatio spiritualis, per quam intentio formæ sensibilis fiat in sensu.» Nec absque fundamento D. Thomas vocat *spiritualem* immutationem istam, sive impressionem intentionalem objecti; nam impressio ista ad sensum refertur et ipsum immutat, prout animatum seu informatum anima, quæ tam in se quam in suis potentiis spiritualis vere est. Quoniam ergo quod in alio recipitur, juxta hujus modum recipitur et modificatur, impressio prædicta objecti in animam per sensorium, sicut etiam species

(1) Sum. Theol. 1.º P., q. 78, art. 3.º

sensibilis seu representatio, quæ eam consequitur, spirituales sint oportet, saltem imperfecto modo, sicut ipsa anima in quam agit et in qua recipiuntur. Dixi *imperfecto modo*; quia sensibile objectum non agit in animam directe et immediate, sed prout anima informat vitaliter organum sensus, et prout est principium a quo emanat actuosa vis, quæ in sensorio reperitur.

Ergo jam perspicitur quod sensatio, quamvis adæquate sumpta tria complectatur, ut dixi, pressius tamen et proprie duobus perficitur, quæ sunt: 1.º impressio objectiva sive intentionalis corporis in sensorium, quæ simul cum reactione animæ per sensum, representationem rei percipiendæ determinat et producit; atque huiusmodi objecti representatio ex impressione *objectiva* simul cum reactione sensorii exurgens, constituit *speciem sensibilem*: 2.º actio qua anima per istam representationem seu speciem sensibilem semel determinata, in rem sive objectum, a quo impressio vel representatio causata et determinata fuit, convertitur, ipsumque percipit seu cognoscit. Sensationis theoria nunc exposita, nos ducit ad sequentia

Corollaria.

1.º *Recte docet D. Thomas cum reliquis majoris nominis Scholasticis, animam in sensatione esse simul passivam, et activam.* Siquidem, quatenus recipit impressionem objectivam corporis, et etiam quatenus perceptio sensitiva, utpote actio immanens, in ipsa anima recipitur tanquam in subiecto, merito dicitur *passiva*: quatenus reagendo in præfatam impressionem objectivam, ad rem ipsam convertit se, et etiam quatenus percipit hoc objectum, dicitur et est *vere activa*. Ex quo colligere possumus etiam, quod objectum sensibile est simul principium et terminus sensationis: *principium*, quatenus imprimi in organo et operatur in ipso, sive potius agit in animam per sensorium ad productionem speciei, determinando simul animam ad operandum: *terminus*, quatenus est id quod attingitur per sensationem, et proinde res ad quam terminatur perceptio sensitiva.

2.º *Quamvis anima sit simul passiva et activa in sensatione, hæc, absolute considerata, ad actionem potius quam ad passionem est referenda.* Nam præcipuum in sensatione est perceptio objecti realis, quæ proculdubio vera est actio.

3.º *Sensatio adæquate sumpta continet aliquid subjectivi et aliquid objectivi.* Equidem est *subjectiva*, quatenus anima in sensatione, et excipit actionem objecti, et impressionem huius in organo animato experitur: est *objectiva*, quatenus ad objectum illud fertur atque ipsum prout in seipso existit, aliqua ratione percipit atque attingit. Dico *aliqua ratione*, quia non omnes sensationes æqualiter in objectum externum feruntur. Experientia ipsa teste, majori perspicuitate et distinctione percipimus objecta, quæ ad visum et tactum referuntur, quam illa quæ odoratum, gustum act. respiciunt. Quod tamen nihil obstat, quominus etiam istæ, vere objectivæ dici queant; nec enim odoratu odorem tantum, nec auditu sonum, nec gustu saporem, percipimus, sed rem etiam odoram, sonoram, sapidam sentimus. Quapropter rejicienda distinctio illa, quam Balmes, philosophos quosdam imitatus, constituit inter sensationes visus et tactus, et sensationes aliorum trium sensuum, quasi priores tantum representativæ essent. Namque, omnes sunt objectivæ et representativæ, quoniam omnes ad objectum externum referuntur illudque menti offerunt; tantum differentia existit in eo, quod representatio ista in aliquibus ex sensationibus est magis perspicua, distincta et determinata quam in aliis. Hujus differentiæ veri similem rationem, jam supra inuimus.

Ex hoc corollario phænomena quædam sensationis intelligi et explicari possunt: sic, ex. gr. diversitas sensationis, quam experimur dum in aquam tepidam injicimus manus, quarum una frigere riget, altera calore æstuat, ex diversa impressione in organum animatum et consequenti modificatione animæ procedit, seu, quod in idem redit, phænomenum istud, sicut et alia similia, locum habere possunt ex parte elementi subjectivi, quod in sensatione reperitur.

4.º *Ergo perperam Reid, alique auctores, sensationem definiunt et explicant per affectionem jucundam, vel injucundam.* Etenim, aliud est affectio grata, vel ingrata, quæ sensationem comitatur aut sequitur, aliud longe diversum sensatio ipsa, qua rem percipimus: sic, aliud est pulchram columnam vel statuam visu percipere, aliud ex hac visione voluptatem capere, vel gratam affectionem ex eadem experiri: primum, ad ordinem cognoscitivum spectat; alterum,

ad ordinem affectivum. Unde merito D. Thomas docet, «quod sensatum et intellectum non infert dolorem vel tristitiam, in quantum huiusmodi, sed in quantum est nocivum vel apprehenditur ut nocivum (1).» Nihilominus observare libet, quod quantumvis sensatio confundenda non sit cum affectione grata, vel ingrata, affectio tamen ista sensationem quamlibet consequitur: ex quo colligo, elementum *pathologicum*, ut vocant, sensationem minime constituere, at ipsam comitari, ut merito jam antea docuerat ipsemet D. Thomas: «Ad sensum enim, inquit, (2) de necessitate sequitur lætitia et tristitia, sive delectatio, et dolor. Necesse est enim, si sensibile perceptum est conveniens, quod sit delectatio; si autem nocivum, sit dolorosum.»

5.^m «Ergo sensationes ad quinque externos sensus spectantes, non in cerebro ipso, ut quibusdam placet, sed in sensibus ipsis perficiuntur. Anima enim dum colores videt, per oculos et in oculis videt, sicut odores in naribus et non alibi sentit: quod, præter quotidianam et communem experientiam, ex eo constat, quod sensatio, ut dixi, perficitur per speciem seu repræsentationem objecti in sensorio determinatam per ipsum objectum.» «Neque id quod sentitur, observat merito D. Augustinus, per corporis cuncta discurrit, sed ibi tantum sentitur, ubi fit.»

SCHOLIUM.

Non parva animi contentione inter recentis ætatis philosophos quosdam disputatur, nun sensus aliquis sextus, præter quinque enumeratos, possibilis sit in homine. Quæ sane quæstio, vel ridicula est, vel superflua, ut mihi videtur: ridicula quidem, si de sensu qui organum determinatum habeat in exteriori corporis superficie, sive de sensu externo, sermo sit, cum experientia ipsa constet, sensus externos ac ipsorum organa quinque tantum esse: nisi forte quis, mesmerismi deliramenta amplecti velit, atque tenaciter propu-

(1) QQ. Disp. De Verit. q. 2.^o art. 1.^o(2) Metaphy. de Aut. lib. 2.^o, Let. 1.^o

gnare, hominem per ventrem, pugnum, vel occipitium visionem exercere posse, corporis interiora penetrare, aliaque huiusmodi mirabilia cognoscere et peragere, prout volunt magnetismi animalis præcones. *Superflua* autem est quæstio, si universim sumatur, seu, quod in idem recidit, si quæeratur utrum præter quinque sentiendi modos sensibus externis respondentibus, sicut alii, quibus anima quasdam corporum qualitates, vel modificationes singulares corporum sentiat; namque, ut postea perspicue demonstrabitur, præter externos sensus, insunt certo nobis quidam interni, quibus quædam in corporibus percipimus, quæ exteriores sensus effugiunt. Frustra igitur Balmes integra capita insumit in sua *Philosophia fundamentali*, ad ostendendum contra Lamennais, possibilem esse et revera extare sensum aliquem præter quinque externos; quandoquidem, omnes forme Scholastici id ipsum jam demonstraverant agendo de sensibus internis, quibus non tantum proprium objectum, et proprios actus, sed proprium etiam organum concedunt. Id ut taceam, quod Balmes in prædicto loco, affectiones appetitivæ partis, (sentimentos) cum sensationibus confundit, ut sæpe alias facit: et præterea extra quæsitum Lamennais egredi videtur, quoniam iste, dum de possibilitate et existentia sexti sensus dubium movet, de externis loqui videtur.

SCHOLIUM ALIUD.

Quoniam sensatio, ut dixi, præter ipsam rei perceptionem, quæ præcipuum est in ipsa, atque ut simplicis animæ simplex quoque et immaterialis actio, complectitur impressionem corporis in sensorio atque huius reactionem, corporea et materialis proculdubio dici potest ex parte huius impressionis organicæ, et quatenus anima nisi organis et per organa nihil sentit. Ex quo patet, quo sensu intelligendi veniunt Scholastici, dum actus sentiendi atque species sensibiles materiales vocant. Turpiter itaque hallucinantur, qui dum eos sic pronuntiantes audiunt vel legunt, existimant apud ipsos, sensationem, vel species sensibiles, quibus sensitiva cognitio perficitur, quiddam revera corporeum vel materiale esse.

§ III.

De speciebus sensibilibus.

Vidimus nunc, sensationem involvere impressionem seu actionem aliquam objecti in sensorio, et ex ipso et per ipsum in anima. Ex hac organica impressione animam determinari aliqua ratione ad objectum percipiendum, fatentur philosophi; at non omnes eodem modo explicant. Quidam, impressionem istam agnoscunt ut meram conditionem sine qua non, seu potius occasionem, qua posita, Deus sensationem in anima producit. Existimant alii, impressionem seu actionem objecti in organis satis esse ad animæ perceptionem exerendam; quam opinionem præter Ockam, Durandum, aliosque veteres, magno æstu amplexata est Schola scotica, cujus placita in hac re, non tantum ejus amatores et præcones, sed alii quoque propugnant, inter quos reperimus Balmes, Liberatore et Cuevas. At vero nos, ut probabiliorum saltem habentes sententiam D. Thomæ, cum aliis bene multis philosophis, subjectas theses statuimus.

THESIS 1.^a

Cognitio sensitiva rerum, non per solam objecti actionem in sensoriis, sed per species objectum ipsum repræsentantes perficitur.

Ut quæstio æquivoco non laboret, prænotare libet per *species sensibilis*, nos intelligere entitatem accidentalem seu modalem distinctam ab ipsa anima ejusque vi sentiendi, sicut etiam ab objecto, per quam repræsentatur, id est, animæ præsens fit objectum atque eidem conjungitur, non secundum esse naturale aut materiale quod in seipso habet, sed secundum modum essendi spirituale, vel potius spiritualizatum, quod antiquiores Theolastici non immerito nuncupabant *esse intentionale rei*.

Prob. thesis.

Experientia interna teste, cognitio sensitiva eatenus perficitur, quatenus objectum conjungitur potentia actu percipienti, vel, ut ait D. Thomas, «oportet quod sensibile unia-

tur sensui ad hoc quod sentiat actu:» atqui conjunctio ad cognitionem sensitivam necessaria, existere nequit nisi per species sensibiles: ergo, Maj. probatione non eget, cum certum sit apud omnes, cognitionem, immanentem esse actionem, ac proinde animam esse simul ejus principium et subjectum; unde egregie D. Thomas: (1) «Cognitio non dicit effluxum a cognoscente in cognitum, sicut est in actionibus naturalibus, sed magis dicit existentiam cogniti in cognoscente.» At ex hoc ipso.

Prob. min. Cognitio sensitiva, sicut cognitio quælibet, hæc duo necessario includit; scilicet, eam esse cognitionem, et esse actionem immanentem: quia est *cognitio*, refertur et attingit aliquod objectum, quia omnis qui cognoscit, *aliquid* cognoscit: quia est actio immanens ex sua natura, hoc *aliquid* seu objectum cognitum debet ad animam ingredi seu existere in ipsa anima, a qua et in qua cognitio perficitur; atqui objectum non potest ingredi ad animam nec existere in anima secundum seipsum, seu secundum illum essendi modum quem habet in rerum natura, ut ex se notum est: ergo necesse est admittere aliquem modum specialem, quo objectum fiat præsens animæ, idque non quacumque præsentia, sed præsentia intima et immediata, sicut est præsentia quæ congruit ipsi cognitioni actuali. Subsumo nunc: atqui id ipsum est quod efficit species sensibilis, cujus propria conditio et natura est objectum reddere intime et immediate præsens animæ actu cognoscenti: ergo cognitio sensitiva perficitur per species sensibiles.

Quod si dicas impressionem organicam seu objecti actionem sufficere ad producendam conjunctionem objecti cum potentia percipiente, fortasse id verum erit si de ipsa sola impressione seu affectione animi sermo sit, nunquam tamen de objecto ipso, quod impressionem producit. Sic apud eos, qui sensationem in sola perceptione affectionis seu impressionis subjectivæ constituunt, sententia præfata locum posset habere; at minime apud eos, qui sensationem non in sola perceptione affectionis seu impressionis sensus, sed objecti

(1) QQ. Disp. De Verit., q. 2.^a, art. 3.^a ad 15.

quoque externi constituunt, ut vere constituunt plerique ex his, qui species sensibiles renuunt admittere. Et re vera quidem, si dum statuam videmus, perciperemus tantum impressionem quam per radios lucis in oculis aut cerebro producit, præterea nihil, tunc forte specie sensibili opus non esset; at si visio statuam ipsam extra nos positam attingit, ut revera attingit, jam omnino opus est ut ipsa, dum ab anima per sensus percipitur, ipsi animæ percipienti intimè præsens sit: atque id quod præsentiam istam objectivam, intimam et immediatam efficit, est quod species sensibilis vocatur, quæcumque tandem sit ejusdem propria natura, sive entitas accidentalis, sive modus, sive modificatio animæ, sive aliud quiddam.

THESIS 2.^a

Species sensibiles non corporeæ, sed immateriales et spirituales dicendæ sunt.

Prob. 1.^o Species sensibilis est id quo objectum fit intimè præsens animæ, atque huic conjungitur secundum esse intentionale; sed esse intentionale rei, est quid immateriale et spirituale: ergo.

2.^o Per speciem sensibilem anima percipiens actu rem externam corpoream, fit unum cum ipso objecto percepto, ut profundissime docet D. Thomas, non quidem secundum naturam realem, sed quia actus cognoscendi, quatenus informatur specie sensibili, transformatur et veluti identificatur cum ipso objecto in ordine et esse representativo: ergo species sensibilis, non secus ac actus cognitionis quem informat et constituit, recipitur in ipsa anima tanquam in subjecto proprio, quod commune est omni actioni immanenti: sed accidens quodvis est ejusdem naturæ ac subjectum in quo recipitur et quod modificat: ergo species sensibilis est quid spirituale, sicut sunt ipsa anima, potentia seu vis sensitiva, et actio sentiendi.

3.^o Quocumque modo species producat, ac quocumque tandem subjectum eidem assignetur, id certum est, speciem sensibilem, si existit, esse principium formale et internum actionis, qua anima objectum cognoscit et percipit: ergo debet esse ejusdem generis ac actus cujus est princi-

pium. Sed actus iste seu perceptio sensitiva proculdubio est immaterialis, simplex et spiritualis: ergo etiam ipsa species, ex qua et per quam operatur, immaterialis, simplex et spiritualis sit, oportet.

Itaque, vel benigne interpretandas, vel omnino rejiciendas Goudin cum aliis bene multis Scholasticis, dum species sensibiles effectus corporeos nuncupant, ac res esse materiales affirmant. Quod si quis existimet, nos in re hac a D. Thomæ mente recedere, legat quæ Angelicus Doctor habet, (1) ubi naturam speciei quæ medium est ad cognoscendum, ad examen revocans, statuit, speciem, præter representationem rei cognitæ, quæ representatio ipsi congruit secundum propinquitatem ad cognoscibile, includere etiam esse spirituale, vel immateriale, quod ei competit secundum quod habet esse in cognoscente. Quod si aliqui offendantur textus, in quibus materialis rationem aliquam, formis seu speciebus sensibilibus videtur tribuere, ita accipiendi sunt, ut materialis denominatio ipsis tribuatur, et quatenus ex actione corporum pendent, et quatenus existere in anima nequeunt, nisi impressio sive modificatio organi corporalis præcedat vel comitetur. Unde

Quæres: Quæ ratione efformatur species sensibilis?

Resp. Neminem hactenus inveni, qui in quæstione ista quidquam dilucide et distincte pronuntiaverit. Alii namque dicunt, speciem ab objectis produci; quomodo autem id fiat, vel omnino silent, vel non satis explicant. Alii asserunt, speciem esse affectionem internam animi. Quidam, eam confundunt cum impressione organica; quidam, cum perceptione sensitiva; quidam vero, quæstionem absolvisse putant, dicendo speciem esse modificationem animæ. Quid de re hac sentiam, breviter dicam.

Dixi supra, et experientia testatur, quod talis est sensatio qualis est impressio sive actio objecti in organum: atque ex hoc facto jam colligere licet, objectum ipsum ratione hujus impressionis determinatæ, influxum aliquem obtinere in formatione seu existentia speciei, ope cujus sensitiva per-

(1) QQ. Disp. De Verit. q. 2.^a, art. 2.^o

ceptio fit. At impressio ista, res est materialis, nec concipitur ut representativa objecti, nisi, ad summum, confuse, et indistincte, quatenus, scilicet, exhibet rem aliquam in nos agentem; et præterea, in sensorio, proindeque in corpore recipitur; cum e converso, species sensibilis, utpote modus ipsius actionis animæ, in anima ipsa recipiatur tanquam in subjecto, sicut et ipse actus percipiendi. Dicere ergo oportet, quod vis actiosa animæ, quæ in organo existit atque ipsum vitaliter perficit, *reagens*; ut antea dixi, in impressionem ab objecto productam in organo prout animato, speciem sensibilem efficit et complet, quæ tamen actio animæ effectrix modificatur per impressionem organicam, ita ut talis sit actio vel potius reactio animæ producens speciem sensibilem huius objecti, qualis fuit impressio seu actio ejusdem objecti in sensorio. Itaque, nostra sententia, speciei sensibilis productio et existentia, et ab objecto, et ab anima pendet; ab objecto quidem, quatenus species habet vim representandi rem istam et non aliam; ab anima quatenus est res seu modus spiritualis: ab objecto, quasi initialiter et *inchoative*; ab anima, tanquam a propria causa efficiente.

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

Objiciunt Reid, Liberatore, Cuevas et alii. Si per imagines sive species corpora eorumque qualitates perciperemus, species ipsæ primum perciperentur; atqui dum corpora per sensus percipimus, corpora ipsa immediate percipimus, et non prius ipsorum species: ergo.

Resp. Neg. maj. Equidem capio quod Reid et recentiores alii, qui in more habent Scholasticos contemnere, et quod pejus est, eorumdem sententias falso interpretari; quod Reid et alii ejusdem furfuris philosophi, qui non minus confidenter, quam inexacte et falso asserunt, Scholasticos docuisse, species ab objectis prodeuntes in organa sensuum penetrare, atque esse quædam idola sensibilia rerum; quod isti, inquam, vim faciunt in hoc argumento, non miror: at mirari certe licet, argumentum hocce serio proponi a PP. Cuevas et Liberatore, qui Scholasticorum doctrinam callentes, proculdubio scire debebant, aciem animi, dum rem per speciem percipit, in rem ipsam ferri et converti, et

non in speciem, quæ ex ipsa sua natura ad objectum repræsentandum, id est, ad ipsum reddendum animæ intime præsens destinatur.

Uno verbo: species sensibilis non est *quod* percipitur, sed *id quo* res percipitur, ut cum Scholasticis loquamur. Sicut ergo actus ipse cognoscendi sive cognitio actualis, non est *id quod* cognoscimus, sed *id quo* objectum percipimus, non absimiliter species, quæ nihil est aliud quam conditio, perfectio et modificatio quædam ipsius actus, non est *id quod* cognoscitur, sed *quo* aliquod objectum percipitur. Et sicut actum ipsum non directe, sed reflexe tantum cognoscimus, ita similiter speciem, non directe sed per reflexionem rationis cognoscimus.

Ex quo jam inferre licet, sensitivam cognitionem esse immediatam, quia ad objectum in seipso fertur et terminatur; quo sensu accipienda est minor argumenti cum adstruit quod corpora immediate percipimus. Quod si quis existimet perceptionem immediatam hujusmodi, inventionem esse recentium philosophorum, vel ipsam, existentiam specierum sensibillium excludere, audiat Albertum Magnum: «Sensus per hoc quod species est sensibillium, sensibilia immediate accipit.»

Objic. 2.^o cum eisdem. Species debet repræsentare rem percipiendam sensu; sed plurima sunt sensus objecta, quæ per species nequeunt representari; nam quænam erit imago, soni, saporis, odoris, etc.? Ergo.

Antequam objectioni huic satisfaciam, quæ Aquiles est adversariorum, animadvertere liceat semel et pro semper, me voces istas, *imago*, *forma*, *similitudo*, *species*, nec usurpare, nec admittere in adversariis, nisi quatenus significant non imaginem materialem et proprie dictam, sed rem spiritualem, sensu jam explicato. Num ergo ad argumentum.

Resp. 1.^o Neg. min. Siquidem, demonstratum manet, cognitionem objecti perfici non posse, nisi illud per speciem vel suisipsius representationem facultati percipienti conjungatur; et cum aliunde conjunctio ista fieri in nobis nequeat, nisi per esse intentionale rei, qui essendi modus speciem constituit, jure inferri posset existentia specierum, quantumvis nihil per experientiam de ipsis nobis constaret; quan-

doquidem, nulli gravi philosopho dubium esse potest, quin multa, non per experientiam, sed per solam rationem nobis constent. Sed ex abundantiori,

Resp. 2.^o permissa min. neg. cons. Profecto, etiamsi gratis daretur, nullam imaginem sive speciem nos habere, soni, odoris, etc. nihil inde contra specierum sensibilibus necessitatem et existentiam legitime posset inferri; namque, ut vidimus et plurimi ex objicientibus ipsis concedunt, sensationes odoris, auditus et gustus, non odorem solummodo, sonum, et saporem complectuntur, sed rem præterea odorem, sonarum et sapidam.

Resp. 3.^o Neg. min. At enim, ni inultum fallimur, falluntur illi qui pro certo et indubitato assumunt speciem soni, odoris, vel saporis, minime nos habere. Ut postea ostendemus, et ipsi concedunt objicientes, imaginationis objectum sunt species seu imagines rerum, quas antea percipimus: jam vero, sonus, sapor, etc. sub imaginatione cadunt, quis namque negare audeat, nos et imaginari posse, et sæpenu-mero imaginari sonos, saporis, odores in antecessum sensibus perceptos? Ergo extant in nobis species seu imagines aliquæ, non tantum rerum exteriorum, quæ sonos etc. in nobis produciunt et determinant, sed ipsorum etiam sonorum, saporum etc.; neque enim aliter omnia illa imaginationi rursus observari experiremur. Ecce ergo in pulverem redactum argumentum quod tantopere adversarii extollunt, magnum Aquilem, quo specierum existentiam e medio tollere conati et sibi blanditi sunt, scoticæ Scholæ parens Reid, et ejus sectatores quoad rem hanc, Balmes, Liberatore et Cuevas.

Obj. 3.^o Corpus nihil potest agere in spiritum; sed sensibile objectum est corporeum: ergo in animam, quæ est spiritus, agere nequit ad productionem speciei.

Resp. Dist. maj. *si spiritus sit purus ac corporis omnino expers, conc. si agatur de spiritu qui corpori naturaliter jungatur, et ipsum substantialiter informet*, neg. Spiritum purum, a corpore penitus independentem, a corpore nihil pati posse, ut probabilius saltem habeo. At vero, hic agitur de rationali anima, quæ spiritus quidem est in seipsa, sed quæ affinitatem quandam obtinet cum corpore, quod substantialiter vivificat et vitaliter informat, quocum etiam arctam ha-

bet unionem. His adde, quod sensibile objectum, ut jam supra innui, non in ipsam animam directe et immediate agit, sed mediate potius et indirecte, quatenus in organa animata, ac proinde vitaliter per animam informata et substantialiter vivificata agit. Apposite ad rem Albertus Magnus: «Sensibilia non agunt in animam, sed potius in organa corporum, et in illa possunt agere: organa autem sunt animata, et ita prævenit motus sensibilibus usque ad animam.»

Objic. adversus 5.^m thesim. Si species sensibilis esset spiritualis, non distingueretur ab specie intelligibili qua utitur intellectus; sed id minime concedi potest: ergo.

Resp. Nego maj. Verum enim vero, quamquam sensibilis species cum intelligibili convenit quoad spiritualitatem, intercedunt tamen aliæ differentiæ inter ipsas. 1.^a Species sensibilis non nisi singulare objectum continet; intelligibilis autem, universale continere et representare menti potest; ita ut prima dici possit singularis, tum *subjective*, tum *objective*; altera vero singularis quidem est et individua *subjective*, quia est singularis accidens in singulari subjecto existens, at simul universalis *objective*. 2.^a Species sensibilis non nisi ad materialia et corporea objecta refertur; intelligibilis vero, non solum corporea, sed spiritualia et immateriales rationes complectitur.

ARTICULUS TERTIUS.

De sensibus internis.

Præter enumeratos sensus externos, internos quatuor enumerat D. Thomas, de quibus singulatim et breviter agemus. Dicuntur interni, tum quia per eos quasdam corporum qualitates externis impervias ac veluti minus materiales percipimus; tum etiam quia ipsorum organa intra cerebrum continentur. Nuncupantur vero, *sensus communis, imaginatio vel phantasia, æstimatoria, memoria.*

De sensu communi.

Sensus communis nomine hic intelligitur: *facultas illa qua externorum sensuum sensationes atque simul earum differentias sentiendo percipimus.*

Explicatur definitio: Dicitur facultas qua percipimus *sensationes sensuum externorum*, quia sensus communis, de quo hic est sermo, confundendus non est cum facultate illa, qua omnes animi nostri affectiones et actiones, sive sensibiles, sive intellectuales, sive morales, percipimus, quæque, ut plurimum, *sensus intimus* a modernis nuncupatur; at enim sensus communis, externas tantum sensationes complectitur.

Dicitur *sentiendo percipimus*, quia non agitur hic de perceptione seu cognitione intellectuali et reflexa, qua sensationum naturam, et sensibilibus differentias investigamus et noscimus, sed de cognitione seu perceptione, qua sensationes diversimode in nobis fieri, quasi sensibiliter experimur.

Quocirca animadvertere oportet, externorum sensuum sensationes, duplici via a nobis cognosci posse: 1.^o quatenus per reflexam conscientiam et rationis discursum naturam ipsam sensationis, ejusdem conditiones et attributa, objectum et differentias investigamus et disquirimus; quæ profecto investigatio et cognitio, non ad sensum communem spectat, sed ad solum intellectum, cujus est *quid res sit* dignoscere, ejusque attributa et prædicata per iudicium, non quidem instinctivum et naturale, sed rationale et ad ratiocinii leges exactam, inquirere. At vero 2.^o sensationes istæ a nobis cognosci possunt quoad earum existentiam et distinctionem unius ab altera; quod tunc sane fit, dum sensibiliter experimur adesse nobis plures ac diversas sensationes, quæ ad diversa objecta et sensus referantur. Sic, ex. gr. dum statuam *video*, cantilenam *audio*, dulcedinem sacchari *degusto*, percipio et veluti sentio has tres sensationes, quas simul experior, inter se differre; quæ sane perceptio toto cælo distat ab ea, qua singularum hujusmodi sensationum naturam et proprietates vestigamus et apprehendimus.

Existit sensus communis, isque a quinque externis revera distinguitur.

Prob. Ex nunc dictis, sensus communis est facultas qua externas sensationes simul percipimus et tanquam distinctas in nobis experimur; atqui ex intima experientia habemus hanc perceptionem revera in nobis existere: ergo.

Quod vero facultas ista alia omnino sit a sensibus externis, vel ex eo abunde constat, quod ex his nullus plures simul vel distinctas specie sensationes exercere nec experiri valet; cum e converso communis ille sensus, sensus ipsos externos sentiat, ut habet D. Augustinus dum statuit, «sensem illum interiorem non ea tantum sentire quæ acceperit a quinque sensibus corporis, sed etiam ipsos ab eo sentiri.» Quod si dicas sensum interiorem apud Augustinum esse conscientiam seu perceptionem intellectualem, falleris absurdio, quoniam sensum hunc tribuit ille bestiis, quibus non est intellectus.

Communis iste sensus non est facultas intellectiva sed sensitiva.

Prob. Natura cujuslibet facultatis cognoscitivæ ex natura actionis et objecti dignoscitur et dijudicatur; quamdoquidem actio et objectum facultatis, hujus naturæ respondent necessario; sed actio et objectum sensus communis sunt quid sensibile, nimirum, externorum sensuum sensationes, earumque discrimina ex instinctu seu naturali iudicio dijudicare, prout facta quædam sensibilia sunt: ergo.

Merito igitur cum D. Thoma concludere licet, quod «præter quinque sensus externos qui cognoscunt propria sensibilia, datur etiam alius sensus internus, qui dicitur sensus communis, qui discernit sensibilia quorumque sensuum ad invicem, et ad quem referuntur, sicut ad communem terminum, omnes apprehensiones sensuum.» (1) Hanc postre-

(1) 4.^a P., q. 78, art. 4.^o

mam conclusionem S. Augustinus prædocuit aperte. «Sensus interior, ait ille, inest et bestiis, quibus intellectus non inest.»

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.º Nequit anima sensationes cognoscere, nisi in seipsam convertatur, sive supra illas reflectatur; sed reflexio non ad sensum, sed ad intellectum pertinet: ergo.

Resp. Dist. maj. *Si agatur de cognitione quidditativa sensationum, sive de cognitione nature et proprietatum, conc. si de sola existentia et distinctione quatenus sensibili subsunt experientie, neg.* Itaque reflexam cognitionem ad solum intellectum spectare, ultro concedimus; at perceptio, quam sensui communi tribuimus, non est reflexa sed directa, quæ minime sensibili facultati repugnat: enimvero, sensus communis non se vel suam actionem percipit, sicut percipit intellectus dum vim reflexivam exerit, sed actiones solum et objecta sensuum externorum.

Objic. 2.º Sensationum et sensibilibus differentias percipere involvit comparisonem; sed comparare non est actus sensus sed intellectus: ergo.

Resp. Dist. maj. *Involvit comparisonem per modum compositionis et divisionis, neg. per modum iudicii instinctivi et naturalis, conc.* Duplex comparatio distingui potest: una proprie dicta, quæ fit per collationem inter duo vel plura extrema, ut ipsorum convenientia vel repugnantia dignoscatur, quæque fit et exprimitur per compositionem et divisionem, sive per affirmationem et negationem; et hæc congruit tantum intellectui, qui solus per iudicii aciem, rerum diversitatem, affirmando et negando, dijudicat et discernit. Extat vero altera improprie dicta comparatio, quatenus facultas plura simul in uno conjuncta percipit, absque vero et reflexo iudicio; et hæc est quæ communi sensui congruit, quatenus diversa et contraria sensibilia in communi centro conjuncta advertit, sentit, et deprehendit.

SCHOLIUM.

Cum facultas quælibet sensitiva per determinatum organum exercentur, cumque simul constet apud physiologos et

anatomie peritos, externorum sensuum nervulos ad cerebrum pertinere, merito D. Thomas communis sensus organum in ea cerebri parte collocavit in qua nervuli prædicti conjunguntur omnes. Atque ex hoc duo facile colligere possumus: 1.º sensum communem esse veluti centrum externorum sensuum, horumque affectiones et sensationes in eo jungi atque ab ipso pendere; ex quo haurire licet rationem à priori, quare communis iste sensus, sensuum externorum sensationes et objecta simul sentire et percipere potis sit: 2.º Somnii et vigiliæ phænomena præcipua, ex hac ipsa doctrina intelligi et explicari posse. Quod, ut plenius capiatur, de his animæ statibus quidquam breviter delibare placet.

§ II.

De vigilia et somno.

Vigilare dicimur, dum sensuum liberum experimur exercitium, ita ut impressiones objectorum in externis organis ipsaque objecta percipiamus: at vero, dum sensus, præsertim externi, ita ligati inveniuntur, ut corporum impressiones, nisi vehementiores sint, percipere non possimus, *dormire* dicimur. Ex quo quid inter statum vigiliæ et somni intersit, facile deprehenditur; atque generatim loquendo, *vigilia solutio sensuum*, somnus vero, *ligamen sensuum*, cum D. Thoma dici queunt.

Jam, quoniam externorum sensuum organa, cum organo sensus communis nexum habent, ut diximus, somnus tunc maxime accedit cum sensus communis ligatur; hoc enim ligato et impedito, externa quoque ligari et impedire necesse est.

Ex quo consequitur, quod ligatio seu remissio communis sensorii, haberi potest tanquam causa immediata somni.

Causæ remotæ ejusdem phænomeni non facile assignantur, saltem omnes: admitti tamen possunt inter alias, 1.º dissipatio, seu diminutio et debilitatio spirituum animalium, sive fluidi per nervos sensorios discurrentis: 2.º ascensus vaporum, organa sensuum, nervos et cerebrum occupantium et veluti obruentium.

Quod si evaporatio ista nimia sit et abundans, non tan-

tum sensus communis, sed imaginationis quoque organum obruit et ligat: ex quo ratio reddi potest illius profundissimi somni, in quo non tantum externi sensus et communis omnino ligantur aut impediuntur, sed imaginatio ipsa, dum somniis caret, nec ulla phantasmata inter dormiendum percipit. Quocirca tacere non possum, D. Thomam merito ex hoc principio, somni præcipua phænomena explicare, cujus ecce notanda verba: «Secundum dispositionem hujusmodi evaporationum, contingit esse ligamentum sensus, majus vel minus. Quando enim multus fuerit motus vaporum, ligatur non solum sensus sed etiam imaginatio, ita ut nulla appareant phantasmata, sicut præcipue accidit cum aliquis incipit dormire post multum cibum et potum. Si vero motus vaporum aliquantulum fuerit remissior, apparent phantasmata, sed distorta et inordinata, sicut in febricitantibus. Si vero adhuc magis motus sedetur, apparent phantasmata ordinata, sicut maxime contingere solet in fine dormitionis, et in hominibus sobriis, et habentibus fortem imaginationem. Si autem motus vaporum fuerit modicus, non solum imaginatio remanet libera, sed etiam sensus communis ex parte solvitur, ita quod homo judicat interdum in dormiendo, ea quæ videt somnia esse, quasi dijudicans inter res et rerum similitudines: sed tamen, ex aliqua parte remanet sensus communis ligatus; et ideo, licet aliquas similitudines discernat a rebus, tamen semper in aliquibus decipitur. Sic igitur, per modum quo sensus solvitur, et imaginatio in dormiendo, liberatur judicium intellectus, non tamen ex toto. Unde illi qui syllogizant, cum excitantur, semper recognoscunt se in aliquo defecisse.» Per hæc D. Thomæ verba, si bene perpendantur, poterit prudens magister, somni et somniorum præcipua phænomena tyronibus explicare.

§ III.

De imaginatione.

Prænotanda:

1.º Diximus antea, externos sensus objectum non percipere, nisi illud præsens aliqua ratione reddatur. Sed experientia teste scimus, nobis adesse facultatem et vim iterum

repræsentandi et percipiendi ea sensibilia, quæ in antecessum experti sumus. Hæc animæ vis *imaginatio* nuncupatur, quandoque autem *phantasia*: *imaginatio* quidem, quatenus sensibilibus objectorum imagines retinet, in ipsis et per ipsas objectum animæ exhibet ac iterum percipit: *phantasia* vero, quatenus absentia, immo jam non existentia, iterum animo apparere facit. Reid cum quibusdam aliis Scholæ scoticæ sectatoribus, facultatem istam *conceptionem* appellavit, idque absque ratione; nam vox ista *conceptio*, simplici intellectus apprehensioni congruit, quæ cum imaginandi actu confundi non debet.

2.º Imaginationis vix duplici ratione sese exerit, scilicet, per reproductionem sive simplicem rei perceptæ repræsentationem; et per quamdam *synthesim*, seu rerum compositionem, quatenus diversa rerum phantasmata, seu imagines jungendo, vel separando, objectum quoddam confingit, ex. gr. equum alatum, edificium aureum, hominem brachiiis carentem etc.

3.º In hac duplici imaginationis vi, *reproductiva*, scilicet, et *productiva*, simul cum ejusdem præstantia inter vires sensitivas ac veluti affinitate ad rationem, sita est ratio sufficiens potissimi illius influxus, quem super pulchras artes exercet, quarum imaginatio merito habetur tanquam præcipuum medium et veluti instrumentum. Et quidem, pulchræ hujusmodi artes ex tribus potissimum pendent; nimirum, ex elemento rationali seu *ideali*, *imitatione* naturæ, *inventione* et *congrua combinatione partium*. Porro, elementum rationale, quamvis directe ad solam intelligentiam spectet, at indirecte ad imaginationem refertur; quo enim ista perfectior et vividior extiterit, eo facilius et plenius poterit artifex rationalem typum seu elementum ideale ad materiam transferre atque sensibilibus exprimere. Similiter, secundum elementum seu *imitatio*, ad vim repræsentandi et reproducendi imaginationis refertur, sicut inventio seu combinatio ad ejusdem alteram vim diversa phantasmata jungendi et fingendi.

Quod attinet hujus facultatis essentiam et naturam, non parum aberrarunt recentis ætatis philosophi, ex quo in re hac, sicut in aliis quamplurimis, a pronuntiatis philosophiæ christianæ discesserunt, amore novitatis; namque vix unum

aut alterum invenies, qui imaginationem cum intellectu non confundat, vel saltem inter intellectuales facultates non annumeret. Qui error periculo plenus, ut profligetur, sit

THESIS 1.^o

Imaginatio est facultas ab intellectu omnino distincta, atque inter sensitivas annumeranda est.

Prob. 1.^o Natura facultatis cognoscendi ex ipsius actione, et objecto maxime et tuto dignoscitur; sed actus et objecta imaginationis ad sensibilem ordinem ipsam spectare ostendunt, minime vero ad intellectualem: ergo. Prob. min. Intellectus et sensus, apud omnes, in eo differe noscuntur, quod intellectus objecta pure spiritualia, et rationes universales percipere potest, sensus vero non nisi materialia et singularia; sed revera imaginatio circa materialia et corporea, eaque prout singularia sunt, versatur; quod quidem adeo certum est, ut etiam quando spiritualia objecta imaginari conamur, ut Deum, angelos etc. ea imaginari non possumus nisi ad instar rerum corporearum, id est, sub quadam determinata figura, colore, quantitate etc. idque quamvis simul per intellectum conscii simus, res hujusmodi pure spirituales esse. Similiter, qui internam experientiam consulat, fateri cogetur, nos dum ipsa materialia objecta imaginamur, non in universali, sed sub singularibus accidentibus et conditionibus, ea semper a nobis imaginari: nec enim unquam lapidem in communi, vel hominem, vel equum, sed *hunc lapidem, istum hominem, vel equum*, id est, prout sub hac extensione, figura, colore etc. nobis se objicit, imaginamur. Ergo imaginatio facultatum sensibilibus ordinem et naturam non transcendit.

2.^o Ex manifestissimis et cuique notis indicibus patet, belluas non secus ad hominem, imaginandi vi pollere; sed belluæ certo intellectum non habent: ergo alia est facultas imaginandi, et alia intelligendi.

His adde 3.^o quod facultates ordinis intellectualis, scilicet, intellectus et voluntas, in somno, vel nihil omnino operantur, vel fere penitus præpediuntur: at vero quotidiana experientia nos edocet, imaginationem in statu somni sæpe numero actus proprios exercere, quinimo quandoque vehe-

mentiori et vividiori ratione quam in statu vigiliæ. Quidquid ergo sit imaginatio, certe cum intellectualibus facultatibus confundi nequit, quæ in somno aliter ac imaginatio se habent.

Corollaria:

1.^m Ergo imaginatio seu phantasia, corporeum aliquod organum sibi vendicat, quo operationes exercet. Nam si facultas sensitiva a pure intellectuali discriminatur, inter alia, ex eo quod posterior non indiget organo corporali: ergo si imaginatio, ut probatum est, ad vim sentiendi spectat, organum determinatum habere oportet. Id ipsum ostendi potest veluti a posteriori, seu ex manifesta experientia qua videmus, phantasmata seu repræsentationes imaginationis, vel non exoriri, vel perturbari, ex affectionibus et modificationibus cerebri, in quo ejus organum reperitur. Nec enim phænomena et perturbationes febricitantium, profunde dormientium, amentium etc. aliter capi et explicari queunt, nisi ex læsione et perturbatione organi imaginationis.

2.^m Ergo turpiter hallucinantur, qui facultatem imaginandi cum intellectu confundunt. Horum namque sententia, præterquam quod experientiæ et rationi adversatur, viam sternit materialismo et sensualismo. Si enim imaginatio vere ab intellectu realiter non differt, cum illa in brutis reperiatur, tollitur distinctio radicalis et essentialis inter hominem et belluam; quo certe semel constituto, corrumpit unum ex præcipuis philosophiæ christianæ pronuntiatis, nec quidquam solidi superest quod catholicus philosophus adversus Condillac et Locke systema opponere queat (1).

3.^m Ergo rejicienda prorsus illorum sententia, qui imaginationem in anima a corpore separata remanere opinantur. Siquidem, si apud omnes constat quod visus, auditus et cæteri externi sensus, in anima a corpore sejuncta non perma-

(1) Explodendi igitur non tantum veteres Stoici, et Plotinus, qui naturam quandam *imaginalem* finxit sentientem simul et intelligentem, sed Mallebranche, qui docuit sensum, imaginationem et generatim omnes vires cognoscentes animæ, nihil esse aliud quam modos et manifestationes intellectus; quinimo etiam Leibnitz et Wolff, qui tum sensationes, tum intellectiones, ex unica schematis ac monadis evolutione oriri putarunt.

nent propter defectum organorum, quibus exercentur et alligantur, idem de imaginatione affirmare oportet, si hæc, utpote sensitiva facultas, organo corporeo alligatur quoad operandum. Quæ ratio potissimum urget erga eos, qui fatentur, tum imaginationem, sensitivam facultatem esse, tum a cerebro tanquam organo quoad operandum pendere (1).

THESIS 2.^a

Objectum imaginationis non sunt ipsæ sensationes externæ, sed imagines seu phantasmata rerum sensibilium per ipsas perceptarum.

Prob. Nullus sui compos dubitare potest, quin aliud sit, dolorem ex. gr. experiri, ædificium videre, musicum concentum audire, et aliud longe diversum, auditum concentum iterum sibi animo repræsentare, sicut etiam ædificium visum, et dolorem expertum imaginari; atqui prius ad sensationes spectat, alterum vero ad imaginationem: ergo non ipsæ externæ sensationes, sed objecta ipsarum, quatenus speciebus ea repræsentantibus continentur, constituunt objectum imaginationis.

Nec inde tamen colligendum, externas sensationes nullo modo intra objectum imaginationis contineri: continentur quidem, sed non tanquam objectum proprium et primum, sed quatenus nexum quempiam habent cum imaginibus seu

(1) Quapropter non satis sibi ipsi consentaneæ loqui videtur P. Cuevas, dum posteaquam præfata duo pronuntiata admisit et probavit, subdit: «Nobis quidem verisimile fit, animam a corpore sejunctam, vim imaginandi retinere.» Nobis, si non tan jucunda et consentanea recentium philosophorum placitis, at certe probabilior videtur D. Thomæ et maxime nominis Scholasticorum sententia, dum docent, imaginationem sicut cæteras sensibilis ordinis potentias, in anima a corpore separata remanere, non quidem formaliter, seu in actu explicito et quoad exercitium, sed tantum radicaliter, sensu jam antea exposito. Quod si imaginationem anima separata retinere potest, non video qua ratione sensus externi eidem sint denegandi, præcipue, cum ratio a P. Cuevas adducta æque ipsos complectatur ac imaginationem, nimirum, quod Deus suplere potest excitationem organi, quia æquidquid agunt causæ secundæ, agere valet sua actione.»

speciebus rerum sensibilium circa quas imaginatio præsertim et veluti directe versatur. Ex experientia siquidem habemus, quod non solum objecta externa, ex. gr. ædificium, sed ipsam quoque sensationem seu affectionem *videndi*, per imaginationem nobis ipsis animo præsentamus. Quod etiam naturæ ipsius imaginationis congruit, quæ, utpote nobilior inter sensitivas facultates, ad sensibilia omnia ferri potest, inter quæ sensatio ipsa merito annumeratur.

Atque ex his jam vides qua ratione et quo sensu dicat thesis, objectum imaginationis esse phantasmata seu imagines rerum per sensus perceptarum; nimirum, hujusmodi species sensibiles seu imagines, sunt id in quod primo fertur imaginandi vis. Ex quo et ratio sufficiens reddi potest quare imaginatio realem objectorum existentiam præsupponat, at vero ipsa ex se ab ea veluti præscindit, internas tantum imagines et rerum phantasmata versans, ut videre est in somniantibus, aut feбри et delirio æstuantibus.

Id quoque maxime præ oculis habendum, D. Thomam cum Scholasticis aliis, nomine *phantasmatis*, quo passim et frequenter utuntur, non intelligere actionem ipsam imaginationis, sed imaginem repræsentantem objectum, sive imago ista sit species sensibilis, quam ex sensu communi excipit imaginatio, sive potius sit imago seu species ac repræsentatio rei, quam imaginatio ex vi sibi insita efformat et perficit, quæque proprie, nostra sententia, *phantasma* nuncupari debet. Neque enim inficari licet, imaginationem, utpote facultatem inter sensitivas maxime præstantem, pollere vi, tum perficiendi imagines seu species rerum per sensus receptas; tum efformandi et veluti cudendi novas objectorum species seu repræsentationes, ut videre licet non solum quando diversa elementa sensibilia, junjendo vel disjungendo, chimeras confingit, sed etiam et maxime quando rerum pure spiritualium, ut Dei, Angeli etc. phantasmata seu repræsentationes sensibiles confingit et sibi objicit.

Corollaria:

Ex his quæ de imaginatione hucusque disputavimus,

Inferitur 1.^o differentiam existere inter sensationes et imaginationis actiones, quod illæ semper objectivæ dici queunt, istæ vero non semper: quatenus, scilicet, sensuum externorum actio ad objectum aliquod refertur, ex cujus im-

pressionem in organum exurgit et determinatur sensatio: at vero imaginatio, ex eo ipso quod imagines seu internas representationes pro objecto proprio et directo sibi vendicat, non semper ad externum et vere existens objectum refertur, prout contingit dum res absentes ut praesentes percipit, et magis adhuc dum nova phantasmata ex pluribus, vel ex plurium partibus cudit et confingit. Ad rem D. Thomas: «Sensus, inquit (1), semper apprehendit rem, ut est, nisi sit impedimentum in organo vel in medio; sed imaginatio apprehendit, ut plurimum, rem ut non est, quia apprehendit eam ut praesentem cum sit absens.»

Infertur 2.^o, ex eisdem principiis rationem reddi posse quare imaginationis actus et exercitium magis sint in nostra potestate et voluntate, quam externae sensationes: nimirum, quia istarum materia et objectum sunt res extra nos positae, quarum sensatio ex certis et necessariis legibus quoad praesentiam, magnitudinem, dispositionem medii, organi, pendet; cum e contra, immediatum objectum imaginationis his legibus ex parte tantum subjiciatur, utpote intra nos ipsos contentum.

Infertur 3.^o perperam docuisse Reid, objectum imaginationis esse tantum sensibilia, quae per visum percipi queunt, minime vero quae per sensus reliquos. Id etenim, praeterquam quod experientiae adversatur, qua sentimus nos, praeter visibilia, odorem etiam et rem odoriferam, musicum concentum, calorem, duritiem aliasque sensibiles qualitates imaginando percipere, cum ratione quoque pugnat, quae nos edocet, imaginationem ad sensibiles res maxime referri per quantitatem, seu ratione extensionis; unde videmus quod semper tendit et veluti conatur ad objecta representanda prout extensa et figurata, quantumvis pure spiritualia et immaterialia. Atque hoc sensu tanquam maxime verum accipere oportet verbum Alberti Magni, dum ait: «Imaginatium dicitur figuratum propter similitudinem figurae, non propter figurae realem veritatem.»

(1) QQ. Disp. De Verit. q. 1.^o art. 11.

§ IV.

Leges pro exercitio imaginationis.

1.^o *Imaginatio nihil unquam percipere potest, quod per sensum aliquem prius perceptum non fuerit.* Videmus enim et experientia quotidiana constat, nos ea tantum imaginatione volvere, quae per sensus prius percepta habemus; quinimo, imaginari nulla ratione possumus quae ad sensum, quo caremus, spectant, ut caecus a nativitate, colores aut lucem. Quod si objecta pure spiritualia, ut Deum, imaginari videmur, revera non Deum, sed figuram humanam vel quidpiam aliud sensu perceptum, imaginamur.

2.^o *Nefas est de rebus extra nos positis vel de ipsarum natura judicare ex imaginationis representatione et phantasmatis.* Quandoquidem, imaginationis munus non est rerum naturam dignoscere et judicare, sed easdem sub sensibilibus formis et involucris, objicere et representare menti, ad quam unice spectat objecta illa ad examen revocare, ut de ipsis judicet. Qui enim imaginationis representationes sumat tanquam iudicii normam, facile in errores incurret, praesertim, si de rebus pure spiritualibus, vel de essentiis et rationibus intellectualibus agatur. Haec regula maximi est momenti, ex eo quod in statu unionis animae ad corpus et ex hujus unionis lege, imaginatio et intellectus simul operantur; experientia enim teste, scimus, actionem imaginationis comitari actum intellectus, etiam dum objecta omnino spiritualia cogitat et contemplatur; quam ob causam et quo sensu affirmat D. Thomas, in statu hujus vitae, hominem nihil posse actu intelligere, nisi convertendo se ad phantasmata.

3.^o *Facilitas et fidelitas imaginationis ex recto usu sensuum, et ex attentione pendet.* Sensuum conveniens exercitium et veluti educatio efficit, ut ea objecta, quae per eos percipit homo, fidelius in imaginatione sibi representet. Similiter, facilius homo per imaginationem sibi objicit, id quod vehementiori cum attentione sensu expertus est. Ex hac lege ratio fortasse reddi potest, quare imaginationis phantasmata vividiora sunt et vehementiora persæpe dum somno indulgemus, quam dum vigilamus; quia, nimirum,

impedito usu facultatum intellectualium, ac simul quiescentibus aliis sensibus, acies animi vel attentio super phantasmata imaginationis defigitur ac veluti concentratur. Egregie igitur, nec minus philosophice adnotavit et dixit D. Thomas, quod, «quantum ad receptionem, cognitio dormientis est potior, quia quiescentibus sensibus ab exterioribus motibus, interiores impressiones magis recipiuntur.» (1)

§ V.

Effectus seu commoda imaginationis.

Præcipui quidam effectus imaginationi, quatenus facultas est cognoscendi, tribui possunt, qui certe ad sequentia capita revocari queunt.

1.^o *Imaginatio habenda est tanquam proxima origo cognitionis intellectualis humanæ.* Nam mens hominis, ut postea dicemus, nihil in se ipsa ex se continet, nisi innatam vim seu activitatem cognoscendi et intelligendi; sed vero ejusmodi vis inanis et actione vacua in æternum manet, nisi materiam et objectum in quod operetur, sibi objiciatur; quod quidem, experientia teste, nonnisi per sensuum exercitium consequitur. Jam, imaginatio, utpote facultas inter sensitivas præstantior ac menti magis affinis, et intellectus activitatem excitat, et ipsi materiam ministrat, ex qua ideas rerum abstrahendo, comparando, perficiendo, ad veritatem nititur et pertingit: unde imaginatio est veluti proximum fundamentum et ratio sufficiens evolutionis intelligentiæ.

2.^o *Conceptiones universales et abstractas intellectus nobis reddit proximiores et veluti sensibiles.* Ratio namque pura ex se ad universalitatem et abstractionem semper tendit; ideæ vero et mentis conceptiones, dum nimium universales et abstractæ evadunt, nonnisi cognitionem obscuram et confusam in nobis gignunt. Ut ergo obscuritas ista et confusio vitentur, plurimum confert imaginatio, per hoc quod universales ideas per species sensibiles representare nititur,

(1) QQ. Disp. De Verit. q. 12., art. 3.^o ad 2.^m

atque veluti in phantasmatibus figere: quinimo etiam, quatenus per eam conceptiones universales vel nimium abstractas, per exempla, facta singularia, similitudines et comparationes, imbecillitati nostræ rationis magis accommodantur ac veluti sensibiles redduntur. Atque hinc est, quod dum veritatem alicui ignotam vel difficilem docere et manifestare volumus, non parum proficimus, si congruis similitudinibus vel exemplis utamur. Ex quo profluere videtur alius ejusdem facultatis effectus, nimirum:

3.^o *Influxum maximum obtinet imaginatio in pulchras artes, quas quodammodo gignit, fovet et perficit.* Quandoquidem ad ipsam spectare compertum est, idealem pulchritudinis typum, quem ratio concipit et adinvenit, per verba, sonos, colores, aliasque sensibiles formas, exactissime, quantum fas est, representare et exprimere. Quia etiam, ad typi conceptionem originariam concurrere, existimare licet; quamvis namque ideales typos præformet et concipiat homo per intelligentiam seu rationem, certo certius haberi potest imaginationem non parum ad id conferre, præsertim in hominibus illis, quorum imaginatio vi productionis seu inventionis maxime pollet.

4.^o *Confert et juvat imaginatio ad systemata cujusque generis conficienda et perficienda.* Cum enim ordine, nexu, et armonia rerum, maxime delectetur hæc facultas, influxum necessario exercet ubicumque ista reperiuntur, ut accidit, tum in systematibus materialibus, quibus utuntur artes mechanicæ et industriales; tum in rationalibus seu intellectualibus, ut dum doctrinalia systemata adinvenimus pro veritate aliqua dignoscenda aut exponenda. Quod tamen imaginationis commodum seu juvamen periculis scatet, nisi imaginationis vis rationis fræno regatur et cohibeatur: nemo siquidem est qui nesciat, hominem persæpe, æstu imaginationis abreptum, systemata doctrinalia gratis et pro libitu confingere, rationi et veritati minime consona.

SCHOLIUM.

Quoniam phantasia, ut dixi, solo nomine ab imaginatione differat, atque ejus objectum et materia circa quam versatur, est quid sensibile et singulare, vehementer absdubio

fallitur Galluppi, dum istam imaginationis manifestationem intellectui tribuit. Phantasmata etiam, quibus phantasia utitur et a quibus denominatur, ejusdem sunt naturæ ac imaginationis imagines seu species. Atque hæc quidem, quamvis ordinem sensibilem non prætergrediantur, ab speciebus tamen externorum sensuum secernendæ sunt, non solum quia imaginatio species suas ex sensu communi et non ex ipsis objectis excipit, sed etiam quia præstantiores et a materiæ conditionibus magis abstractæ et liberæ sunt, quam sensuum externorum species; siquidem, quo cognoscendi vis præstantior est, nobiliores quoque species vel repræsentationes sibi vendicat.

§ VI.

De æstimativa et cogitativa.

Si internam experientiam ac varias sensibilitatis manifestationes, ut par est, consulamus, inveniemus profecto, nos in rebus materialibus et corporeis quæ per sensus sentiuntur, rationes quasdam apprehendere et discernere, natura ipsa duce et impellente, quæ quidem ex seipsis insensibiles sunt, sed tamen sensibilibus objectis inclusæ et veluti commixtæ, simul cum ipsis ad nos ingrediuntur, atque sensibilitatem nostram ita percellunt, modificant, et determinant, ut homo in objectis sensuum quædam percipiat, quæ externos sensus, ipsumque communem sensum penitus effugiunt. Itaque cum Alberto Magno colligere ex his factis licet, quod præter perceptiones communis sensus et imaginationis, tertius gradus est, quo accipimus non tantum sensibilia, sed quasdam intentiones, quæ non imprimuntur sensibus, sed tamen sine sensibus nunquam nobis innotescunt, sicut est, esse socialem, et amicum, et delectabilem in convictu, et affabilem, et his contraria; quæ quidem cum sensibus accepimus, et tamen eorum nullum sensibus imprimuntur. Quamvis ergo, affabilitas, amicitia, utilitas, cætera hujusmodi, in seipsis et in abstracto per solam rationem percipiuntur et dijudicantur, at vero has ipsas qualitates in concreto singulari et corporeo per sensibilitatem internam experimur, easdem percipiendo et dijudicando quasi, ex naturali iudicio.

Quod si dicas perceptiones et judicia hujusmodi non per vim sensitivam, sed per solum intellectum perfici, falleris profecto; quandoquidem, bruta animalia quibus non est intellectus, similes perceptiones ac judicia habent et conficiunt. Nemo plane est qui nesciat, ovem, lupum fugere tanquam inimicum, canem amicum sectari et judicare, filium seu fœtum proprium inter sexcenta discernere; avem, paleam ad nidificandum accommodam sumere, cætera reliquendo; capram, vel bovem herbam utilem comedere, noxiam respicere; quæ omnia percipiendi et dijudicandi facultatem in brutis animalibus arguunt et ostendunt, similem ei quam homini concedimus quoad præfatas qualitates. (1)

Ergo et experientia, et ratione, cogimur admittere in animalibus proindeque ex parte cognitionis sensitivæ facultatem quandam, qua rationes, seu, ut vocabant Scholastici, intentiones utilis, noxii, similesque alias in rebus materialibus, dum sensus afficiunt, percipiuntur, dijudicantur ac veluti præsentantur; quæ facultas, ea ipsa est, quæ æstimativa vis, a nobis nuncupatur, quasi dijudicativa naturalis. Ad facultatem istam præcipue referre oportet opera certe mirabilia, queis bruta quædam, rationis et prudentiæ opera imitari et præ se ferre non raro videntur. Unde ob istam etiam facultatem dicit D. Augustinus, bestiis *quandam scientiam* inesse: et similiter D. Thomas, *similitudinem aliquam rationis* eisdem tribuit. Et vere quidem, si observatio et ratio nos edocent, quod in ordinata serie et collectione entium, veluti nexus concatenatus existit, vel ut verbis antiquorum utar, si supremum infimi attingit infimum supremi, facile concipitur, æstimativam, quæ ultima vis est et veluti suprema manifestatio sensibilitatis, rationem seu intellectum aliquatenus attingere, per imitationem aliquam seu participationem ejus modi operandi. A veritate igitur experientiæ et rationi consentanea, non parum discedunt hodierni philo-

(1) «Pecora, ajebat ad rem D. Augustinus, etsi sensum interio-rem rationalem et mentem intelligentem atque discernentem non habent, quam homo habet: habent tamen vitam manifestam, sicut omnes novimus, appetendi cibum, utilia sumendi, noxia respicendi, sensus corporalia discernendi.» *In psalm. 148, num. 3.º*

sophi, qui dum facultates animæ enumerant, nec verbum faciunt de æstiativa.

Objicies tamen adversus hucusque exposita. Juxta prælibata, æstiativa facultas discernit et judicat noxia, utilia, etc. atqui discernere et dijudicare inter aliqua, ad intellectum seu rationem tantum spectat: ergo.

Resp. Dist. maj. Discernit et judicat *judicio naturali et instinctivo*, conc. *judicio rationali et collativo*, neg. Itaque judicium æstiativæ est pure instinctivum, utpote a natura ipsa profluens et prædeterminatum; proindeque longe differt a judicio proprie sumpto, id est, a judicio quod ratio efformat per comparisonem et collationem rerum. Egregie ad rem D. Thomas: «Bruta habent aliquam similitudinem rationis, in quantum participant quandam prudentiam naturalem, secundum quod natura inferior attingit aliquantulum ad id quod est naturæ superioris..... sed hoc judicium est eis ex naturali æstimatione, non ex aliqua collatione, cum rationem sui judicii ignorent; propter quod hujusmodi judicium non se extendit ad omnia, sicut judicium rationis, sed ad quædam determinata.» (1)

Præter affinitatem, ut ita dicam, cosmologicam cum ratione, quam vis æstiativa obtinet, quatenus habetur ut suprema manifestatio et ultimus gradus sensibilitatis, eadem facultas in homine obtinet etiam affinitatem psychologicam, quatenus, videlicet, ab eadem animæ rationalis essentia profluens, et cum ratione quasi immediate conjuncta ob suam ipsam præstantiam inter reliquas vires sensitivas, perfectionem quandam ex hoc a ratione mutuatur, ratione cujus potens fit singularia judicia circa corporalia et sensibilia per collationem quandam efformandi. Ita D. Thomas, cujus doctrina de re hac sequentibus continetur.

1.º In homine, propter nexum, affinitatem et conjunctionem ad rationem, æstiativa facultas participat et mutuatur aequaliter modum operandi rationis.

2.º Ratione hujus particularis perfectionis, quam adsequitur in homine æstiativa, judicia de rebus quibusdam

(1) QQ. Disp. De Verit. q. 24, art. 2.º

singularibus et sensibilibus formare potest per quandam collationem seu comparisonem imperfectam, simulque et propter hanc facultatem nuncupatur peculiari nomine, *cogitativa*, et etiam, *ratio particularis*.

3.º Quæ tamen *ratio particularis*, et cujus cogitativæ cogitationes tota cælo distant a ratione proprie dicta seu intellectu, atque ab ejus cogitationibus. Siquidem, posterior hæc ratio, vis est pure intellectualis et omnino immaterialis; illa, est vis sensitiva et a corporeo organo pendens: posterior, spiritualia et universalia attingit et dijudicat; prior vero, non nisi ad materialia objecta prout singularia fertur.

4.º Ex quo licet colligere, cogitativam, si quoad essentiam seu substantiam spectetur, ejusdem esse naturæ et generis cum æstiativa naturali animalium, solumque ab hac discriminari quoad accidentalem perfectionem, ex qua desumuntur denominationes *cogitativæ et rationis particularis*. «Et ideo, ait D. Thomas, (1) quæ in aliis animalibus dicitur æstiativa, in homine dicitur cogitativa, quæ per collationem quandam hujusmodi intentiones adinvenit; unde etiam dicitur ratio particularis.»

5.º Facultas ergo cogitativa, si adæquate sumatur, prout, scilicet, ex una parte includit vim æstiativam, et ex alia, peculiarem perfectionem in homine, quam innuinus, non immerito dici poterit facultas seu potentia media inter pure sensitivas et pure intellectuales, quoniam ex utrisque aliquid sibi vendicat.

6.º Denique præ oculis habere oportet, apud veteres quosdam, facultatem istam hominis insigniri nomine *intellectus passivi*. «Secundum aliquos, ait D. Thomas, (2) *intellectus passivus*, dicitur virtus cogitativa, quæ nominatur ratio particularis.»

(1) 1.º P., q. 78, art. 4.º

(2) 1.º P., q. 79, art. 2.º

§ VII.

De memoria et reminiscencia.

Experientia interna satis est compertum, quod nos, sicut corpora dum adsunt, per externos sensus percipimus, et postquam absentia sunt, imaginamur, ita similiter, eorundem perceptiones ac representationes, quas in antecessum habuimus, iterum revocare et agnoscere possumus. Atque hæc vis, qua cognitiones præteritas reproducimus ac iterum animo sistimus, *memoria* ab omnibus nuncupatur; at non eodem modo ab omnibus definitur et explicatur, ut mirum plane sit quot et quales sententias philosophi amplexati sint de re hac. Nos tempori parcentes, breviter de hujus facultatis 1.^o natura, 2.^o dotibus, 3.^o methodo eandem perficiendi, disseremus, idque ad christianæ philosophiæ pronuntiata et doctrinam. Sit itaque

THESIS.

Existit memoria sensitiva, eaque est facultas quæ ab intellectiva discernenda est.

Prima thesis pars ab omnibus admittitur, nec probatione eget. At aliter se res habet quoad 2.^{am} partem: ex quo enim extra dogmata scholastica peregrinari cæpit philosophia, vix unum aut alterum philosophum inter ipsos catholicos offendes, qui vel memoriam sensitivam cum intellectuali non confundat, vel saltem de re hac subobscurè et confuse nimis non loquatur.

Prob. 1.^o Nulla potentia ferri vel operari potest extra suum objectum; atqui si memoria sensitiva esset eadem facultas ac memoria intellectiva, illa operaretur extra suum objectum: ergo. Prob. min. Objectum memoriæ sensitivæ, eo ipso quod sensitiva est, non potest esse nisi res sensibilis et singularis; id enim commune est omni sentienti facultati ad differentiam intellectus, qui universalis et spiritua- lia attingere potest: atqui in nobis extant cognitiones pure spirituales seu insensibiles, et universales objective, quas per memoriam revocamus et agnoscimus: ergo præter me-

moriam sensitivam, quæ ad sensibilia et singularia objecta refertur, admittere oportet memoriam intellectivam, qua intellectus puri perceptiones, judicia, ratiocinia, prout ad immaterialia et universalis objecta terminantur, animæ præsentia iterum redduntur; quod idem de voluntatis appetitionibus, quæ ad similia objecta feruntur, protinus est dicendum. Et sane quis sibi persuadeat, altissimas et abstractissimas nostri intellectus conceptiones et ideas, quibus Dei, Angelorum, creationis, gratiæ supernaturalis naturam, attributa et condiciones perscrutamus, in sensitiva facultate conservari atque per memoriam pure sensitivam reproduci et recognosci?

His adde, intellectivam memoriam, ab ipso intellectu realiter non distingui, in quo ideæ intellectuales asservantur: ergo, vel admittendum, sensitivam memoriam ab intellectiva diversam esse, vel concedendum, intellectum a facultatibus sensibilibus revera non differre.

Prob. 2.^o Ex notissimis et evidentibus signis et observationibus habemus, animantia bruta memoria esse prædita, qua præteritas sensationes et objecta percepta recordantur et animo sistunt; atqui certe in animantibus brutis non est ea memoria, per quam cognitiones intellectus ipsarumque objecta revocantur et agnoscuntur: cum ergo quoad sensibiles facultates homo cum animalibus conveniat, planum est inferre, in eo præter sensitivam memoriam ipsi cum irrationalibus communem, quæ ad sensationes et sensibilia objecta refertur, esse aliam omnino diversam et pure intellectivam, quæ ad rationis cognitiones ipsarumque principia, objecta et elementa refertur. Quid, quod anima a corpore separata, præteritarum cognitionum memoriam abs dubio obtinet et sibi vindicat? Jam vero, sensitiva memoria, sicut cæteræ sensitivæ vires quæ ex actionibus corporalis organi pendent, in anima a corpore sejuncta non remanere existimandum est, sicut nec remanent phantasmata seu representationes imaginationis, quibus illa nunc utitur.

Cæterum, qui hujus facultatis naturam ac discrimen ab aliis, plenius dignoscere velit, præ oculis habeat sequentia:

1.^o Præter memoriam sensitivam, cui proprie, adæquate et complete, ratio memoriæ congruit, quia sensationes, tum externas, tum internas, non solum revocat, sed ut præteri-

tas agnoscit, atque huic parti temporis alligatas, agnoscenda quoque est intellectualis quædam memoria, cui duplex præcipue munus merito assignatur: 1.^m conservandi species seu ideas intelligibiles, quæ immaterialia omnino et universalia objecta respiciunt, quas in mente seu intellectu nostro asservari, vel ex eo solum constat, quod eis itimur, dum volumus.

Alterum munus intellectualis memoriæ est, actus et objecta quæ semel intellexit, per reflexionem iterum menti et animo sistere. Enimvero, intellectus, utpote facultas quæ supra se reflectitur, non solum res intelligit, sed actiones etiam quibus res intelligit; ex quo fit ut intelligat se antea hanc intellectionem habuisse; qui certe actus, memorandi quædam est species. Similiter quoque, ex eadem reflexionis vi, agnoscit objectum quod nunc cogitat, esse ipsum quod fuit terminus et objectum cogitationis, vel intellectionis jam habitæ.

2.^o Quod de naturali æstimativa respectu cogitativæ diximus, idem ipsum dicere oportet, servata proportione, de memoria sensitiva respectu reminiscentiæ. Nimirum, ex conjunctione et affinitate cum ratione et voluntate, sensitiva memoria in homine peculiarem perfectionem et vim agendi acquirit, qua potens fit non tantum præterita subito, et utcumque memorari, sed cum inquisitione quadam de una re ad aliam procedere, ut id quod memoria excidit, recordetur, vel *reminiscatur*. Namque, «reminiscentia, ait D. Thomas, (1) nihil est aliud quam inquisitio alicujus quod memoria excidit. Et ideo reminiscendo venamur, id est, inquirimus id quod consequenter est ab aliquo priori, quod in memoria tenemus; puta, si quærit memorari id quod fecit ante quatuor dies, meditatur sic: hodie feci hoc, heri illud, tertia die aliud, et sic secundum consequentiam motuum assuetorum, pervenit resolvendo in id quod fecit quarta die.»

3.^o Perfectio quam reminiscentia simplici memoriæ superaddit, duo præsertim includit: 1.^o discursum imperfectum, quo ab uno phantasmate ad aliud, vel ab una parte

(1) *De Mem. et Rem. Lect. 5.^a*

ad aliam ejusdem phantasmatis vel rei singularis, inquirendo procedit: 2.^o actum et influxum voluntatis, quo memorandi facultas ad aliquid inquirendum per reminiscentiam movetur et excitatur. Unde experimur, simplicem memoriam absque determinato voluntatis influxu, quædam subito memorari; at vero inquisitio, qua aliquid conamur reminisci, non nisi ex voluntate movente fit. (1)

SCHOLIUM.

Falluntur ergo, qui nullam aliam præter sensitivam memoriam admittunt. Fallitur P. Cuevas, qui memoriæ actus omnes ad phantasmata et phantasiam, proindeque ad solam sensibilitatem refert, dum ait: «si rem præteritam revocemus sensibus perceptam, revocatio actus phantasiæ est... si res sit intellectu olim percepta phantasmatis naturam æmulatur revocatio, et ad phantasiæ facultatem referenda est; quod similiter dicere oportet, si ea quæ revocantur, sensu intimo fuerint percepta.» Fallitur denique P. Liberatore, dum oppositam regionem ingressus, memoriam tanquam facultatem pure intellectualem habet a sensibilitate omnino distinctam. «Nam, ait ille, ut ideas recognoscat ac proinde tempus præsens ab elapso secernat, idea generali temporis informari debet eamque in præsentem ac præterito contueri.» Sed vir philosophus non satis animadvertit, juxta rei veritatem et D. Thomæ doctrinam, naturam quidem temporis cognoscere ejusve ideam universalem concipere, ad solum

(1) Atque sub hoc postremo aspectu, minime rursus amplecti doctrinam Dugald-Stewart, dum simplicem memorandi vim, *spontaneam* memoriam nuncupat; reminiscentiam vero, memoriam *voluntariam*. Quod tamen non ita est accipiendum, quasi duæ sint facultates prorsus distinctæ; nam nos probabilis cum D. Thoma habemus, reminiscentiam a memoria sensitiva, non essentialiter, sed accidentaliter tantum distingui. «Eminentiam, ait ille, *Sum. Th. 1.^a P. q. 78, art. 4.^o* habet cogitativa et memorativa in hominè, non per id quod est proprium sensitivæ partis; sed per aliquam affinitatem et propinquitatem ad rationem universalem, secundum quamdam fluentiam. Et ideo non sunt aliæ vires, sed eadem perfectiores quam sint in aliis animalibus.»

intellectum spectare; at vero, tempus percipere in concreto, prout subest huic *nunc*, et actus animi comitatur, sensibilitatis vim non superare, præsertim in homine, in quo imaginatio, æstimativa, et ipsa memoria, ut jam notavi, perfectionem quamdam ex conjunctione et affinitate cum ratione obtinent. Quinimo, si vera loqui volumus, tantum abest, ut præsens et præteritum in objectis cognitis ad intellectum solum spectent, ut hic potius ab eisdem, utpote singularibus et individuantibus conditionibus, abstrahat, et, ut bene habet D. Thomas, «quantum ad partem intellectivam pertinet, præteritio accidit, et non per se convenit ex parte objecti intellectus. Intelligit enim intellectus hominem in quantum est homo; homini autem, in quantum est homo, accidit, vel in præsentem, vel in præteritum, vel in futuro esse.»

§ VIII.

Dotes memoriæ.

Jam, si memoria strictè sumpta, de qua nunc agitur, inter facultates sensitivas est annumeranda, conjicere profecto licet, eam in cerebro, non secus ac reliquos internos sensus, proprium organum habere. Quocirca, sic et non aliter concipi aliqua ratione possunt, mira illa phænomena, quæ ex ejusdem cerebri læsione, vel corporis diversa valetudine, circa memoriæ adnotarunt historici, et experientia non infrequens testatur, nimirum; ex ægritudine, vulneribus, vel senectute, memoriæ vim augeri, minui, penitus tolli, vel iterum acquiri. (1)

Res eadem ex ipsa conditione actionis seu exercitii memoriæ comprobatur. Namque si a corporeo organo non penderet sed a sola anima, ipsius actus animæ potestati prorsus subessent, sicut subsunt ipsi, actus rationis et voluntatis.

(1) Ita contigisse narrant scriptores non paucis hominibus, atque inter alios, Clementi Sexto, qui ulcerato capite, miram memoriæ vim assecutus est; Newton, qui librum a se scriptum, in extrema senectute non intelligebat; Jansenio et aliis, qui litteras videbantur dedicisse.

Jam quis nescit memoriæ actus animæ non ita subjectos esse sicut subjiciuntur actus rationis et voluntatis?

Fortasse etiam pendent potissimum ex præfati organi diversa natura et conditione, variæ dotes seu proprietates quas in memoria observamus. Porro, ut res se habeat, id certum est et indubium, diversas hujusmodi dotes existere, atque ad quatuor præcipue revocari posse. Namque

1.º Qui ideas rerum et notiones, semel receptas, vel jamdiu habitas et acquisitas, reproducere valet, is *tenacem* obtinet memoriæ.

2.º *Fidelem* autem memorandi vim habet, qui quas semel protulit cognitiones, et quæ persensit objecta, eodem prorsus modo, ratione et ordine reproducit, quibus antea receperat.

3.º Quod si reproductio ista præteritorum absque magna conatu, et veluti sponte perficiatur, erit memoriæ *felix*.

4.º At vero, si ea quæ leguntur, audiuntur, vel quocumque modo percipiuntur, sine difficultate, subito et absque magna attentionis vi, memoriæ imprimantur, etiamsi non altè fixa permaneant, memoriæ *facilis*, non incongrue dicitur. Quod si omnes, vel saltem plurimæ ex his dotibus, ut prima, tertia et quarta, in memoria simul reperiantur, exurgit tunc memoriæ *magna*, seu vasta. Sed raro hujusmodi omnes qualitates in eadem facultate junguntur. (1)

(1) Dum tamen hæc conjunctio in homine aliquo locum habet, simul cum potentiori vi attentionis et associationis idearum, tunc apparent phænomena illa, quæ narrat et miratur historia: Mithridates viginti quinque nationum sibi subjectarum, linguas perfecte callens, et millena militum nomina semel audita, repetens: Seneca, Virgilii carmina, semel a magistro in schola perfecta, memoria repetens retrogradiendo: percelebris purpuratus Princeps Mezzofanti, nostra ætate idiomatum cognitione peritissimus ac notissimus.

§ IX.

Methodus memoriæ exercendæ.

Memoriæ perfectio, sicut cæterarum hominis facultatum, ac præsertim earum quæ organicæ appellantur, ex natura ipsa, et ex corporei organi dispositione plurimum et præcipue pendet: attamen, quia, ut scite adnotavit D. Thomas (1) «memoria non solum a natura perficitur, sed etiam habet plurimum artis et industriæ» non immerito ars juvandi et perficiendi memoriam *Mnemonicæ* dicta, a veteribus et recentioribus exculta fuit. Quæ de re hac tyronibus philosophiæ congruunt, summam et breviter attingemus.

Mnemonicæ ars, tota quanta est, duobus generalibus principiis seu fundamentis nititur: videlicet, *attentione*, et *associatione idearum*. Revera, ut quisque in seipso experiri valet, quidquid attentionem animi vel associationem idearum juvat, auget, perficit, perficit quoque, auget et juvat memorandi vim et potestatem. Etenim, experientia teste, nihil memoria retinemus, nisi aliquis nec omnino levis attentionis gradus ejusdem perceptionem comitatus fuerit; quinimo, quo vehementior fuerit hæc attentio, eo facilius et tenacius res in memoria servabitur. Ex quo non immerito statuere licet, gradus memoriæ gradibus attentionis, cæteris paribus, respondere.

Similiter etiam constat, memoriam juvari ex idearum associatione, quæ nihil est aliud quam vinculum illud, quo una idea cum alia ita connectitur, ut revocatio unius alterius revocationem determinet. Atque associatio ista, non secus ac nexus cui innititur et cujus proinde naturam sapit, vel naturalis est, vel arbitraria.

Naturalis quidem, si nexus ille fundamentum in rerum natura præhabet; nam cum idealis ordo sit veluti representatio realis, quæ in rerum natura et extra intellectum con-

(1) *Sum. Theol.* 2.^a 2.^æ, q. 49, art. 1.^o

nexa et colligata sunt, etiam in mente ejusque ideis, nexum et colligationem quamdam obtinent: sic, quia inter causam et effectum realis relatio et nexus intercedit, dum ideam causæ mente obvolvimus, effectus quoque idea statim sese nobis offert.

Arbitraria porro associatio idearum ea est, quam quisque conficit ex signis pro libitu delectis quibus ideam determinatam adjungit: sic, idiomata addiscimus, determinatas ideas, vocibus vel sonis quibusdam adjungentes; nōdum in strophio facimus, ut postea reminiscamur ideam, quam nunc cum signo isto jungimus ex voluntate et attentione. Itaque ex universali simul ac fundamentali hoc principio, mnemonicæ artis præcepta diversa exurgunt, quorum hæc sunt præcipua;

1.^m *Res quas in memoriam revocare volumus tanquam admirabiles ac magni momenti seu pretii habendæ nobis sunt.*

2.^m *Illud facilius recordamur, quod signis aut similitudinibus inconsuelis menti exhibetur.* Quia, ut merito observat D. Thomas; «ea quæ sunt inconsueta magis miramur, et sic in eis animus magis et vehementius detinetur.»

3.^m *Frequenter meditari oportet quæ volumus memorari.* Enimvero, experientia teste, facile in memoriam revocamus objecta illa, quæ frequentius et duitius meditamur, præsertim si magni pretii apud nos ea sint, vel affectu et amore prosequamur.

4.^m *Oportet ut homo ea quæ memoriter vult tenere, sua consideratione disponat, ut ex uno memorato facile ad aliud procedatur.* Hoc præceptum, quod est D. Thomæ in verbis, non solum inter cætera præcipuum sed tanquam scientifici hominis proprium haberi debet. Homo siquidem scientiæ, memoriæ juvamen et auxilium per aptum ordinem idearum ac congruentem dispositionem objectorum quærere debet. Quod maxime assequetur is qui in qualibet scientia, ideas primarias et fundamentales seponat et mente figat, atque ad quamlibet earum postea referat, secundarias, quæ cum illis cohærent; ita ut ex coordinata serie objectorum et idearum, quæ scientiam constituunt vel ingrediuntur, unitas quædam exurgat.

Atque ex prædictis omnibus inferre licet, duplicem dis-

tingni posse methodum mnemonicam, quarum una appellari potest *mechanica*; altera, *scientifica*. Prima per frequentem repetitionem litteralem perficitur, ac colligationem arbitriam, vel externam rerum et idearum præsertim respicit. Secunda relationem vel nexum internum, naturalem et spontaneum objectorum et idearum insectatur et quærit.

SCHOLIUM.

Docuit Hume tria tantum esse principia associationis idearum, similitudinem, unionem loci vel temporis, et relationem causæ ad effectum. Sed melius et verius D. Thomas, qui alia quoque principia, vel fundamenta associationis idearum statuit, ut contrarietatis, vel oppositionis, societatis, vel propinquitatis cujusque generis. Unde postquam associationem ex conjunctione, vel serie temporis exposuit, subdit. (1) «Quandoque quidem ratione similitudinis, sicut quando aliquis memoratur de Socrate, et per hoc occurrit et Plato, qui est similis ei in sapientia: quandoque vero ratione contrarietatis, sicut si aliquis memoretur Hectoris, et per hoc occurrit ei Achilles; quandoque vero ratione propinquitatis cujuscumque, sicut cum aliquis memor est patris, et per hoc occurrit ei filius. Et eadem ratio est de quacumque alia propinquitate, vel societatis, vel loci, vel temporis; et propter hoc fit reminiscencia, quia motus horum se invicem consequuntur.» (2)

CAPUT TERTIUM.

DE SUPERIORI FACULTATE COGNOSCENDI.

«Mens humana, ajebat olim D. Augustinus, prius hæc quæ facta sunt, per sensus corporis experitur, eorumque

(1) *De Mem. et Rom.*, lect. 5.^o

(2) Circa facultates et species sensibiles, vide opus nostrum *Estudios sobre la filosofía de Santo Tomás*, lib. 4.^o, cap. 16 et lib. 5.^o, cap. 1.^o

notitiam pro infirmitatis humanæ modulo capit, et deinde quærit eorum causas. Postquam igitur de facultatibus sentientibus egimus, quibus sensibilia et corporalia attingimus utcumque, agere oportet de facultatibus quibus horum naturam et causas, quærimus, cognoscimus et dijudicamus; quod quidem perfici apud omnes constat per rationem seu intellectum, qui superior est quædam facultas animæ rationali insita, qua in ipsis sensibilibus quæ sensibus objiciuntur, multa cognoscimus, quæ sensus fugiunt, simulque res sensibiles ac pure spirituales, ipsaque sensibilia ad instar insensibilium percipimus. Naturam et generales condiciones hujus facultatis, in primis discutiemus; deinde, de intellectu agente et possibili, qui mentem humanam integrant et veluti constituunt, disseremus.

ARTICULUS PRIMUS.

De potentia intelligente generatim spectata.

§ I.

Definitiones et prænotiones.

1.^o Definiri potest hominis intellectus: *naturalis et vitalis facultas seu vis animæ insita, qua res insensibiles, vel sensibiles, ad instar insensibilium cognoscere valet. Dicitur vis naturalis et vitalis, ut nullatenus confundatur cum perfectionibus illis extrinsecus intellectui advenientibus, ejusdemque vim cognoscendi agentibus, quæ tamen nec naturales, nec vitales vires sunt; prout contingit, tum in lumine gloriæ, quo sancti in cælo Dei essentiam intuentur, cum etiam in fide theologica, qua intellectus veritatibus supernaturalibus assentitur. Additur hujusmodi facultate cognosci res insensibiles, et sensibiles ad instar insensibilium, quia revera, intellectus non solum interiora sensibilium penetrat, atque simul realitates quæ in ipsis reperiuntur, ut perfectiones reales corporis, substantiæ, viventis, sub ratione universali ac proinde insensibili percipit, sed objecta quoque insensibilia, seu omnino immaterialia et pure intelligibilia, ut Deum, Angelos, animam, attributa divina, creationem, veritatem, existentiam*

capere et cognoscere potest. Id maxime notatum velim, me hic nomine *intellectus*, facultatem integram intelligendi, quæ homini præter et supra facultatem sentiendi congruit, comprehendere, ita ut voces istæ omnes: *intelligentia, intellectus, facultas intellectualis* vel *intelligens, ratio, mens*, tanquam synonymæ habeantur respectu allatæ definitionis, atque pro una et eadem completa facultate, vel potentia accipiantur.

Atque præfatam intellectus definitionem hoc sensu expositam, antepone licet ei quæ communiter in scholis afferebatur, qua intellectus dicitur: *facultas perceptiva veritatis seu entis sub ratione veri*. Quæ quidem definitio pressior est atque plus æquo obscurior pro tyronibus, quamquam quoad substantiam cum ea, quam supra attulimus, absdubio congruit. Facultas namque quæ rationem entis attingit, tum insensibilia et pure intelligibilia; tum sensibilia ipsa, sub universali ratione, ac proinde ad instar insensibilium, attingere potest est.

2.º Intelligendi definita facultas, dicitur *intellectus*, quas intus legens; id quod ei congruit, tum subjective, tum objective: *subjective* quidem, quatenus objecta quæ intelligit, ad se velluti trahit et intra se recipit: *objective* autem, quatenus in multis objectis non meras singulares et sensibiles qualitates, nec externas solum affectiones vel modificationes, ut sensus, capit et cognoscit, sed universales rationes, ipsamque infinitam rei essentiam attingere valet.

3.º Atque deinde intellectus præfatus, in *speculativum* et *practicum* jure dispescitur. Speculativus ille dicitur, quo objecta vestigamus, ut ipsorum veritatem adsequamur et contemplerur, ita ut veritatis assecutio sit immediatus et præcipuus finis applicationis intellectus ad tale objectum; ut dum Dei existentiam et attributa, mundi creationem, animæ spiritualitatem investigamus. Dixi *immediatus* et *præcipuus*, quia nullius est objecti cognitio, nulla etiam veritas, quæ remote saltem et indirecte, ad opus, præsertim morale, dirigi et ordinari nequeat. At vero, intellectus tunc proprie *practicus* appellatur, dum quærit et cognoscit veritates eas, quæ ex sua ipsa natura ad opus tendunt, ita ut sint veluti regulæ et principia, quæ homo applicare cogitur, dum opus aliquod, tum ordinis physici, civilis, vel socialis; tum maxime ordinis moralis producere vel exercere vult. Ex quo pronum est in-

ferre, duplicem hunc intellectum ex solo fine, ac proinde accidentaliter solum inter se differre; namque, ut bene habet D. Thomas, (1) «accidit alicui apprehenso per intellectum, quod ordinetur ad opus, vel non ordinetur.»

4.º Idem præterea *intellectus*, intelligentia sæpenumero nuncupatur, ex usu, qui invaluit, istas voces usurpandi tanquam synonymas. Attamen, apud D. Thomam aliosque veteres, *intelligentia* duplicem significationem, præter nunc expositam, obtinet: quarum prima hæc est, ut intelligentia accipiat pro actu seu exercitio intellectus, idemque proinde sit ac intellectio, seu actus intelligendi. Significatio altera ea est, ut sumatur pro quodam intellectuali habitu, qui nihil est aliud quam complexus seu collectio primorum principiorum scientiarum omnium, id est, earum veritatum, quæ propter immediatam et vividam evidentiam qua donantur, statim, absque examine et conatu, et quasi naturaliter et sponte ab homine percipiuntur, eisdem necessario et indeclinabiliter assentiendo et inhærendo.

5.º Ast vero, majoris certe est momenti distinctio quæ inter *intellectum* et *rationem* intercedit. Quæ, ut plenius et facilius capiatur, in memoriam revocare oportet, tres esse actus quibus vis intellectiva sese exerit, apprehensionem, scilicet, seu simplicem perceptionem, iudicium, et discursum seu ratiocinationem. Itaque, intellectus, reduplicative ut *intellectus* seu prout a *ratione* distinctus, est facultas seu potentia intelligens quatenus per eam homo, et simpliciter res apprehendit vel percipit, et immediata iudicia efformat. Dico autem iudicia immediata ea, quæ per comparisonem simplicem duarum idearum, in mente statim exurgunt, propter immediatam evidentiam, qua nexus, vel repugnantia prædicati cum subjecto dignoscitur, ut evenit in primis veritatibus seu principiis scientiarum. At vero, eadem ipsa intellectualis potentia, quatenus veritatem quærit et invenit per comparisonem plurium idearum, conficiendo discursum sive ratiocinationem, *ratio* propriæ et speciatim nuncupatur. *Intellectus* igitur et *ratio*, etiam dum non accipiuntur ut synonyma, sed

(1) Sum. Th., 1.º P., q. 79, art. 11.º

ex parte propriæ cujusque significationis, non sunt duæ potentia realiter distinctæ, sed duo aspectus seu manifestationes ejusdem acultatis intellectualis; quæ *intellectus* ac etiam *intelligentia* dicitur, prout veritatem assequitur per simplicem contactum cum objecto, absque motu, ac veluti per tranquillum, fixum, et spontaneum mentis intuitum: *ratio* vero, prout veritatem assequitur per motum et conatum quemdam, quo ab uno objecto ad aliud procedit seu discurrit; ex una veritate nota aliam ignotam et latentem detegit, idque utendo, vel analyti, vel synthesi plus vel minus complexa. Ex quibus.

Colliges 1.^o intellectum seu *intelligentiam*, hoc sensu acceptam, esse veluti partem seu potius manifestationem superiorem et nobiliorem mentis humanæ; quandoquidem per ipsam et ex ipsa homo participat modum intelligendi ipsius Dei, qui unico actu, et intuitu simplicissimo omnia novit; atque etiam angelorum, qui non discurrendo et ratiocinando, sed, ut scite ait D. Thomas, «simpliciter et absque discursu veritatem rerum apprehendunt:» unde et *intelligentiæ*, et creaturæ *intellectuales* proprie nominantur, dum e contra homo, *rationalis* creaturæ nomen merito et jure sibi vindicat.

Colliges 2.^o rationem seu naturam intellectus hujus seu intelligentiæ in homine, perfectiori modo, et potissimum reperiri in perceptione entis; hujus namque notio seu idea, ut alias dicemus, ejus est naturæ, ut primo, statim et absque conatu ullo a mente capiatur, et detegatur in quolibet objecto: quinimo, experientia ipsa teste, scimus notionem entis omnes intelligendi actus comitari, nihilque nos de quavis re investigare nec detegere posse, nisi rationem et ideam entis in eodem detegamus, vel potius intueamur. Quam rem docet etiam D. Thomas pressiori sermone, dum affirmat, nos nihil posse intelligere, nisi sub ratione entis.

Colliges 3.^o intellectum præfato sensu acceptum, esse fundamentum seu principium et terminum simul *rationis*. Siquidem, ratio ut *ratio*, seu ut ratiocinationem efformans, præsupponit necessario non solum simplicem perceptionem objectorum, sed quædam principia, seu veritates per se et immediate evidentes, ex quibus initium ducere possit, et quibus veluti fundamentis nitatur processus rationis, quo

ignotum ex noto deducere et detegere possit. Est quoque *terminus*; quia propositio seu veritas per ratiocinationem deducta et detecta, certa et evidens menti apparere nequit, nisi mens ipsa pervideat, propositionem seu veritatem, necessario ac legitimo nexu cum aliquo primo principio ligatam esse. Ergo motus potentia intellectualis, quo ratio ut *ratio* constituitur, et incipere debet ab aliqua veritate per se et immediate nota, et simul ad eandem terminari debet per resolutionem judicii. Egregie ad rem D. Thomas: (1) «Inquisitio rationis, sicut a simplici intuitu intellectus progreditur, quia ex principiis quæ quis intellectu tenet, ad inquisitionem procedit, ita etiam ad intellectus certitudinem terminatur, dum conclusiones inventæ in principia resolvuntur, in quibus certitudinem habent.»

Colliges 4.^o perperam Kant ac post illum non paucos ex recentioribus, docuisse intellectum et rationem duas esse facultates seu potentias ab invicem realiter distinctas. Quod, ut alias omittamus rationes, satis constat, tum ex eo quod idem sit objectum intellectus et rationis, nimirum, res prout intelligibilis, seu ens sub ratione veri; tum etiam ex eo quod rationis munus et actus ex intellectu essentialiter pendet ac in eo involvitur; quandoquidem, ut nunc vidimus, ratiocinatio, et ab intellectu pendet et incipit, et ad eundem terminatur et resolvitur. Ergo, ut scite disserit Scotus, «eadem potentia cognoscit principia et conclusionem; aliter, nulla eadem potentia cognosceret conclusionem, cum non cognoscatur per se, nisi ex collatione ad principium, quia principium non cognoscitur nisi sciatur elici conclusio contenta in illo.»

Colliges 5.^o actum proprium intellectus prout intellectus, dici posse *intuitionem* seu cognitionem intuitivam, sicut e contra actus rationis, cognitio *discursiva*, vere dicitur; quatenus, scilicet, intellectus, ut habet D. Thomas, *cognoscit simplici intuitu; ratio vero, discurrendo de uno in aliud* (2).

(1) Sent. lib. 3.^o D. 35, q. 1.^a, art. 2.^o

(2) Cave tamen ne inde inferas cognitionem prædictam *intellectus* esse immediatam; nam quamquam intuitiva dici potest, sensu ex-

6.^o Porro, non minoris est momenti apud philosophum christianum, divisio illa rationis in *superiorem* et *inferiorem*, qua D. Augustinus primum, et post eum D. Thomas, rationis humanæ theoriam a gentilibus philosophis incomplete, diminute, et incohærenter traditam, evolverunt, illustrarunt et compleverunt. Apud Augustinum itaque ratio superior est, *quæ intendit æternis conspiciendis aut consulendis: inferior vero, quæ intendit temporalibus rebus*. Ast quoniam definitiones istæ, obscuritate præ nimia brevitate laborant, e re erit earum sensum ad mentem D. Thomæ declarare et evolvere.

Jam ergo, quia ratio humana seu intellectualis hominis vis, nihil est aliud, ut alias dicemus, quam participatio quædam Primæ Veritatis, ac veluti impressio divini luminis, implicite et quasi virtute præhabet veritates eas primarias, necessarias, æternas et immutabiles, quibus continentur et exprimuntur relationes essentielles rerum, idque tam in ordine speculativo, quam in practico seu morali: nam «sicut in ratione speculativa sunt quædam, ait D. Thomas, (1) ut naturaliter nota, quorum est intellectus, et quædam quæ per illa innoscunt, scilicet, conclusiones, quarum est scientia, ita in ratione practica præesistunt quædam, ut principia naturaliter nota.» Hujusmodi prima et suprema cognitionis principia, eatenus essentielles et immutabiles rerum relationes continent et exprimunt, quatenus sunt impressiones, participationes et similitudines idearum divinarum, quibus Deus rerum naturas possibles exprimit, cognoscitque; reales vero, ad extra produxit et condidit. Ex quo plane inferitur, harum veritatum objectivam realitatem in Dei essentia inveniri et existere; quinimo, ut profundissime dixit D. Thomas, hujusmodi prima principia, habent quamdam immutabilitatem et infallibilitatem ex hoc quod sunt similitudo illius Primæ Veritatis.

Ergo dum noster intellectus veritates has primas, necessarias, æternas, et immutabiles contuendo, ex ipsis et per

posito, at immediata vere dici nequit, cum objectum et veritatem non attingat nisi mediis speciebus sive ideis.

(1) *QQ. Disp. de Verit. q. 16 art. 1.^o*

ipsas, vel de inferioribus judicat, veritates particulares in eis contentas deducendo; vel eis utitur tanquam regulis morum, quibus ad Deum et divina quasi directe et immediate tendat, jure tunc nuncupatur et est *ratio superior*, qua intendit rebus æternis conspiciendis et consulendis. E converso, dum vel ex observationibus et experientia singularium, vel per comparisonem, analysim, et synthesim idearum vel notionum, quas ex corporalibus et sensibilibus abstraxit, veritates quasdam magis vel minus universales elicit, quibus alia objecta aliasque veritates et quærit et detegit, vel eisdem utitur pro directione actionum moralium, erit tunc *ratio inferior*, quæ intendit temporalibus rebus. (1)

7.^o Celebrrior est divisio intellectus in *agentem* et *possibilem*, quam nunc solum inuimus, quoniam de ea postea fusiori sermone agere, opus est.

SCHOLIUM CIRCA INTELLECTUM ET RATIONEM.

Sicut Kant, Jacobi et alii post ipsos, ut dixi, perperam docuere intellectum et rationem duas esse specie distinctas intelligendi facultates, ita quoque Rosmini non solum hujusmodi distinctionem tuitus est, sed docuit præterea, intellectum in hoc a ratione differre, quod objectum prioris sit ens ideale seu possibile; rationis autem, ens reale. Quod quidem absque fundamento et gratis esse dictum, ut alia omittamus, vel ex eo solum plane constat, quod utraque hæc facultas, seu potius functio intellectualis, ens tunc ideale seu possibile, tum reale attingere potest. Equidem, ex ipso sensu intimo conscii sumus, nos tam circa ens possibile, quam circa ens

(1) Vehementer igitur falluntur, qui autumant rationem superiorem specie distingui ab inferiori, atque ad mentem D. Augustini et D. Thomæ proprius accedunt, qui hic nihil aliud agnoscunt quam duas functiones ejusdem facultatis intellectualis, quarum una ad æterna et necessaria fertur ratio: altera vero, ad temporalia et contingentia; «contingentia enim et necessaria, ut adnotat D. Thomas, *Sum. Theol. 1.^o p. q. 79 art. 9* etsi differant secundum propria genera, conveniunt tamen in communi ratione entis, quam respicit intellectus.»

reale, tum per simplicem perceptionem, tum per judicia im-
mediata, tum per ratiocinationem posse procedere. Longius
fortasse a vero recessit Rothenflue, qui notiones intellectus
et rationis, a D. Thoma cum reliquis Scholasticis traditas,
pervertit penitus et confundit. Est namque ratio apud eum:
facultas animæ immediate percipiendi res de se insensibiles:
intellectus autem: facultas animæ mediate seu per ratio-
cinium percipiendi esse, verum, pulchrum aut honestum rerum.
Hæc si vera sunt; ergo fallitur absdubio communis omnium
sensus, immo universum humanum genus, dum existimat et
adstruit Deum et Angelos esse quidem et vere dici naturas
intellectuales, non vero proprie rationales, eo quod veritatem
per simplicem ejus intuitum et immediatam perceptionem,
minime vero per discursum seu ratiocinationem acquirant:
nam si ratio, teste Rothenflue, est facultas *immediate* perci-
piendi res intelligibiles, intellectus autem percipit *mediate*
seu per ratiocinium, profecto Deus et Angeli, non naturæ in-
tellectuales, sed rationales tantum et proprio nomine sunt
nuncupandi: e converso, homo, qui in inquisitione et asse-
catione veritatis, mediate seu per ratiocinium, ut plurimum
et frequentius procedit, non rationalis, sed intellectualis erit
nuncupandus. Quod ad me attinet, existimo non solum ma-
gis veram, sed communi hominum sensui ac rerum naturæ
magis consentaneam esse doctrinam D. Thomæ, qua et tra-
ditur exacta et naturalis notio intellectus et rationis; et as-
seritur Deo et Angelis congruere sensu proprio denomi-
nationem naturæ intellectualis, non vero rationalis. Quin et
redditur ratio vera sufficiens hujus diversæ denominationis,
adstruiturque tandem nomen *rationis*, Deo et Angelis solum
congruere quatenus accipitur pro vi seu facultate intelligen-
di, prout a facultate sensitiva omnino distincta et sejuncta.
En aurea D. Thomæ verba, quibus prædicta omnia summa-
tim et dilucide continentur: «In homine est intellectus, (1)
non tamen propter hoc in ordine intellectualium proprie
ponitur, quia illa substantia *intellectualis* dicitur, cujus tota
cognitio secundum intellectum est, quia omnia quæ cognos-

(1) Sent. Lib. 2.º d. 3.º q. 1.º art. 6. ad 2.º

cit, subito, sine inquisitione ipsi offeruntur: non tamen ita
est de cognitione animæ (rationalis), quia per inquisitionem
et discursum ad notitiam rei venit; et ideo *rationalis* dicitur,
quia ejus cognitio, secundum terminum tantum et secundum
principium intellectualis est: secundum principium; quia
prima principia sine inquisitione statim cognoscit, unde ha-
bitus principiorum indemonstrabilium, *intellectus* dicitur;
secundum terminum vero, quia inquisitio rationis ad inte-
lectum rei terminatur. Et ideo non habet *intellectum* ut na-
turam propriam, sed per quamdam participationem. (Accipe
hic *intellectum* non pro facultate intelligendi, quam certe
apud D. Thomam homo habet tanquam propriam naturam
seu perfectionem, sed *intellectum* ut contra rationem distin-
ctum, id est, pro cognitione intuitiva seu acceptione sponta-
nea veritatis rerum, absque inquisitione per discursum et
ratiocinationem.) Ratio autem, et de Deo et de Angelis dicitur;
tamen alio modo sumitur, secundum quod omnis cog-
nitio immaterialis, ratio dici potest, prout ratio dividitur con-
tra sensum, et non contra intellectum.»

SCHOLIUM DE RATIONE SUPERIORI ET INFERIORI.

Dixi supra, prima principia rationis, seu veritates illas
æternas et necessarias, circa quas præsertim versatur ratio
superior, nuncupari a D. Thoma, *prima intelligibilia*. Quod
sanè nomen ipsis congruit, non solum quia sunt id quod pri-
mum et quasi naturaliter a mente percipitur, sed etiam et
maxime, quia secundum ea et per ea, de aliis judicamus.
Nam cum hujusmodi prima intelligibilia in se contineant et
exprimant relationes essentielles et fundamentales rerum, id-
que prout in essentia sive ideis divinis continentur et expri-
muntur, vere potest dici, quod cum secundum ea de aliis ju-
dicamus, vere de his aliis judicamus per ideas divinas et per
Primam Veritatem. Itaque, absque eo quod deliramenta Ma-
llebranche amplectamur; absque eo quod admittamus ipsius
opinionem, falsitate et periculis scatentem, circa visionem
objectorum in Deo, bene possumus dicere cum D. Augustino,
mentem nostram *veritatem in Deo videre; veritatem esse ma-*
rem anima nostra; nos de rebus judicare secundum primam
veritatem, aliaque hujusmodi Doctoris afri pronuntiata, quæ

quidem a Mallebranche exaggerata et non probe intellecta, occasionem præbuere ejusdem absurdæ theoriæ. Prima siquidem intelligibilia, quatenus exprimunt relationes essentielles rerum, prout continentur et representantur in ideis divinis; et similiter, quatenus sunt participationes exemplatæ intellectus divini, majora sunt participationes exemplatæ intellectus divini, majora sunt anima et mente rationali; hæc de aliis judicat per ipsa, et veritatem in Deo videre, dici potest, cæteraque non absimilia pronuntiata D. Augustini verificantur. Profecto, si Mallebranche pronuntiata hujusmodi ad mentem et doctrinam D. Thomas, et non ad principia cartesiana expendisset, verum et genuinum eorumdem sensum assecutus fuisset. Tunc enim loco illius periculose theoriæ ac sensui communi adversantis, statuisset cum D. Thoma, sensu nunc exposito, quod «anima judicat de rebus omnibus secundum Veritatem Primam, in quantum resultat in ea sicut in speculo secundum prima intelligibilia.» Id est, anima vere dicitur omnia alia cognoscere et dijudicare secundum Veritatem Primam et in Veritate Prima, quatenus alia cognoscit et dijudicat, secundum prima principia et per prima principia seu intelligibilia, quæ nihil sunt aliud, nisi quædam impressiones seu participationes exemplares derivatæ ab intellectu divino ad mentem nostram. Dixisset etiam cum D. Thoma, quod, «a veritate intellectus divini, exemplariter procedit in intellectum nostrum veritas primorum principiorum, secundum quam de omnibus judicamus.» (2)

§ II.

Præcipua philosophorum placita de intellectu.

Quoniam philosophia fermè omnis, præsertim vero quoad quæstiones psychologicas et ideologicas, ex sententia quam quisque amplectitur circa naturam et proprietates facultatis

(1) *Sum. Theol.* 1.^o P. q. 46, art. 6.

(2) *De Verit.* q. 1.^o art. 8.^o Consule opus nostrum *Estudios etc.* L. 5, c. 6 et *passim.*

intelligendi, maxime pendet, e re erit præcipuarum scholarum et majoris nominis philosophorum systemata et pronuntiata de re hac attingere. Hac quippe ratione, præterquam quod tyronum mens explitur ac veritatis magis amans evadit, theoriæ philosophiæ christianæ, quæ eadem est ac sensus communis, plenius ac perfectius assequetur. Itaque, missis antiquioris ævi philosophis, ac etiam Anaxagora, Xenophane cum reliquis metaphysicis eleaticis, Pythagora ac ejusdem discipulis, ad posteriores gradum facimus.

A) *Plato*: Præter sentiendi facultatem, tres alias cognoscendi facultates vel functiones agnovit, opinionem, cogitationem, intelligentiam. Nuncupatur opinio, apud ipsum, facultas qua anima per analysim et synthesim notiones rerum, quas per sensus apprehendit, sibi efformat, atque objecta hæc sensibilia dijudicat. Cogitatio vero, notiones rerum a materia magis abstractas et universales, tanquam proprium objectum habet; ita ut opinio et cogitatio circa sensibiles res versentur, sed opinio ad eas feratur in seipsis, cogitatio autem prout subsunt abstractioni.

Intelligentia, est facultas sive functio, qua anima rerum *ideas* sive naturas in seipsis intuetur; inconditatum sive Absolutum esse attingit; simulque ex hac et per hanc intuitionem idearum, et perceptionem Absoluti, ad cognitionem existentium progreditur et descendit.

Ex hac Platonis theoria, inferes 1.^o *opinionem et cogitationem* ab ipso constitutas, non multum re vera differre ab ea intellectus functione vel manifestatione, quam cum D. Augustino et D. Thoma, *rationem inferiorem* nuncupavi.

Inferes 2.^o *intelligentiam* Platonis, cum facultate intellectuali integra, prout a D. Thoma exponitur, id est, quatenus *intellectum* et *rationem* simul complectitur, convenire quidem et quodammodo assimilari ex parte actionum, minime vero ex parte objecti; assimilatur quoad actus, quia *intelligentia* illa Platonis, non solum est intuitiva, sed etiam discursiva; differt quoad objectum, quia nec *intellectus*, nec *ratio*, apud D. Thomam, habent pro objecto *ideas* illas platonicas.

B) *Aristoteles*: Duas cognoscendi facultates in anima certe admittit, sensum, scilicet, et intellectum, atque postremum istum in *agentem* et *possibilem* divisit. Primus est, quo

anima ex representationibus rerum sensibilibus, quæ sensibus internis et præsertim imaginatione continentur, abstrahit species sive ideas intelligibiles, quibus sensibilia objecta sub universali ratione representantur. Secundus est, qui per præfatas ideas res sub universali ratione cognoscit; idque per simplicem perceptionem, per iudicium et per ratiocinationem. Quamvis res sensibiles, prout singulares et contingentes, sensus tantum objectum esse queant, attamen ut subsunt abstractioni et universalitati, necessitatem, immutabilitatem, ac intelligibilitatem obtinent, ex quo objectum intellectus puri ac proinde scientiæ esse possunt. (1)

C) *Plotinus et Neoplatonici*: Docent, sicut Plato, in hominis anima, præter sensum et opinionem, esse *rationem* et *intelligentiam*, quarum illa, utpote mere discursiva sive ratiocinativa, a sensu et intelligentia, inter quæ veluti media reperitur, omnino discriminatur, eo quod sensus intuitionem sensibilibus, intelligentia intuitionem intelligibilium sibi vendicant. Ratio discurrere quidem seu ratiocinari potest, tam circa intelligibilia, quam circa sensibilia, ita tamen, ut intelligibilia non nisi in imaginibus quibus representantur in anima cognoscat; quæ imagines, ab *intelligentia* ad *rationem* derivantur. *Intelligentia* sive intellectus, versatur circa intelligibile purum, sive circa id quod per seipsum, ex seipso, et immediate, absque omni specie sive imagine, intelligibile existit. Intelligibilia huiusmodi in ipso intellectu continentur, et præhabentur; quinimo, intellectus sive *intelligentia*, ejus actus intelligendi, et intelligibile purum, quod est ipsius objectum, sunt unum atque omnino idem esse.

Attamen, quamvis anima intelligibilia *pura* in se contineat, *confuse* tantum continet: unde ut ea distincte cognoscat, opus est ut ab *Intelligentia Suprema*, quæ ab *Uno Absoluto* fluit vel emanat, illuminentur. Hæc porro *intelligentia*,

(1) Sunt qui existimant, Aristotelem admississe duplicem intelligendi facultatem, nimirum *intellectum* et *rationem*; sed longe probabilius habemus, his nominibus unicam potentiam designare voluisse. Non diffiteor tamen, dubia quædam verba in eo occurrere, nec satis perspicue loqui, dum de intellectu *agente*, et de intellectu *separato* et *inmixto* sermonem facit.

a qua intelligibilia in anima illuminantur ut *actu* et distincte ab ipsa noscantur, quamvis supra singulas animas sit, eis tamen communicatur; ex quo animæ *intellectuales* nominantur et intellectum obtinent.

Postquam anima ex illuminatione præfate *Intelligentiæ*, intelligibilia *pura* quasi per conversionem supra seipsam agnovit, paulatim ejus intellectus purificatur, et simplificatur, donec ad eum perveniat statum, in quo sensibilia omnia et ipsa intelligibilia *pura* transcendens, destruitur *dualitas* ipsa primitiva subjecti et objecti, et anima percipit et agnoscit, se unam eandemque rem existere cum *Uno* sive *Absolute*. Immo etiam agnoscit, *Unum*, esse supra *intelligentiam*, supra *animam*, supra ipsum *ens*, supra omne quod sensu aut intellectu cognosci potest; cujus agnitionis ultimus terminus ac postrema perfectio, est ut anima ab *Uno*, et in *Uno* ita absorbeatur, ut in silentio absoluto veluti quiescens, omni cogitatione vacua remaneat, ipsamque sui ipsius conscientiam amittat. Facultas ista seu potius functio *superessentialis* et *superintelligens*, ut Neoplatonici vocant, qua hominis animus cum *Uno*, ut primo omnium principio, modo nunc exposito, conjungitur, a Plotino *extasis*, a Proclo vero, *mania divina*, *enthusiasmus*, *illuminatio*, nuncupatur.

Ex brevi ista synopsi Plotini et Neoplatonicorum systematis circa intellectum, tria colligere pronum est:

1.^o Systema neoplatonicum circa mentem humanam, pantheismum simul ac mysticismum involvere.

2.^o Mysticismum hujus scholæ, longe distare a mysticismo scriptorum et philosophorum, qui inter catholicos florere. (1)

(1) Vehementer idcirco falluntur, qui scriptores istos, ac inter alios Clementem Alexandrinum, Origenem, S. Augustinum, S. Bonaventuram, Taulerum, tanquam mysticismi neoplatonici sectatores traducunt; nec enim illorum ullus, ut sexcenta alia omittam, regenerationem illam Neoplatonicorum admisit, qua anima ab *Uno* et in *Uno* ita absorbetur, ut cum ipso confundatur et identificetur, cognitionem omnem exuens, atque sui conscientiam et individuum personalitatem amittens. Ubinam gentium Taulerus, Suso, vel alii christiani tractatores ipsius mysticismi moralis et supernaturalis,

3.^o Abnormis et periculosa opinio Averrois et aliorum Arabum circa intellectum agentem separatum ab anima, et intellectum tantum *passivum*, id est, cogitativam, illuminantem, probabilius ortum duxit ex Neoplatonicorum sententia affirmante Intelligentiam Supremam illuminare intelligibilia in intellectu contenta, ut actu et distincte cognoscerentur.

Ad recentem aetatem gradum facimus, Arabes et Scholasticos prætermittentes; illos quidem, quia theoriam Aristotelis amplexati sunt, sed non raro deturpatam et corruptam placitis Neoplatonicorum; posteriores vero, quoniam ipsorum theoria circa intellectum, quoad substantialia et præcipua capita, cum ea congruit omnino quæ a Clemente Alexandrino cum aliis veteribus Ecclesiæ Patribus incepta et ex parte exulta, a D. Augustino propagata et magis evoluta, in D. Thoma tandem perfecta et omnibus numeris absoluta evasit, quæque est ipsamet, quam in sequentibus exponemus. Unde

D) *Spinosæ*: tres perceptionis modos vel gradus statuit, nimirum, perceptionem *sensitivam*, *ratiocinativam*, *intuitivam*. Prima est, qua attingimus res sensibiles, sive in seipsis, sive ex earum signis, vel representationibus imaginatione contentis: hunc perceptionis gradum, *opinionem*, vel *imaginationem* nuncupat. Secunda, quæ *ratio* ab ipso appellatur, est qua notiones communes rerum efformantur et percipiuntur. Tertia, quæ *scientia intuitiva* dicitur, est qua per ideam «essentiæ formalis quorundam Dei attributorum, ad adæquatam cognitionem essentiæ rerum» pervenimus. Porro, essentia hominis per Dei attributa constituitur, atque ejus intellectus seu cogitatio est modus quidam essentiæ divinæ: mens ergo humana est pars divini intellectus. Itaque, ut ipsemet fatetur, «cum dicimus mentem humanam hoc vel illud percipere, nihil aliud dicimus, quam quod Deus, non quatenus infinitus est, sed quatenus per naturam humanam explicatur, sive quatenus humanæ mentis essentiæ constituit, hanc, vel illam habet ideam.»

docuerunt, Deum non aliter colendum quam absoluto silentio et ignorantia confessione?

E) *Leibnitz*: Animæ essentia per simplicem monadem, sicut res aliæ, constituitur. At monas hæc, quæ animam rationalem constituit, representationem universi in seipsa continet, idque simul cum conscientia seu, ut ipse ait, *apperceptione* hujus representationis, ita ut intellectualis cognitio, nihil aliud videatur esse apud Leibnitz, nisi *apperceptio*, qua anima in seipsa percipit rerum naturas vel ideas gradatim et successive, per evolutionem *schematis* illius universum representantis. Omnis itaque cognitio, sive intellectualis, sive sensitiva, in evolutione hujus schematis simul cum *apperceptione* posita est. Quod si aliquando hæc *apperceptio* deficiat, ut in somno, vel deliquio, deficit quidem tunc cognitio, sed non deficit representatio mundi in anima, quæ semper manet, utpote ipsius essentiæ constituens.

Ex qua leibnitiana theoria, conjici posse videtur: 1.^o germanum philosophum omnimodam activitatem intellectui tribuere, nihilque passivatis in eo agnoscere.

2.^o Objectum humanæ cognitionis esse non res ipsas prout existunt extra animam, sed ideas tantum rerum prout in anima ipsa præcontinentur.

3.^o Ideas, quibus intellectualis cognitio constituitur et successive perficitur, revera non acquiri, sed proprie innatas esse dicendas.

4.^o Tandem, Leibnitz theoriam circa intellectum et humanam cognitionem, maxime affinem esse theoriæ Platonis, quodque non solum quatenus ideas innatas adstruit, sed etiam quatenus et quia *apperceptio leibnitiana* non multum differt a *reminiscentia* platonica: quandoquidem, sicut per istam anima actu explicat et agnoscit ideas et cognitiones, quas prius habuit, ita per illam priorem, anima actu evolvit et agnoscit eadem ipsa objecta, quæ in anima præcontinentur et præcognoscuntur, absque conscientia tamen seu *apperceptione* hujus cognitionis. (1)

(1) Atque ex his colligere etiam pronum est, theoriam intellectus esse id in quo Leibnitz magis a philosophia D. Thomæ discedit, cum in reliquis fere omnibus satis cum eo conveniat. Quod quidem ex nimio amore, quo prosequitur suam *Monadologiam*, originem sumpsit proculdubio.

F) *Mallebranche*: Duæ tantum animæ insunt facultates, quibus res percipere valet, intellectus, nimirum, et voluntas. Per intellectum, res præsentis percipit et absentes imaginatur: «unde colligere pronum est, ait ille, intellectum res absentes, ut ita loquamur, imaginari, præsentis sentire.» Unde colligo ego, apud ipsum, sensum ab intellectu specie non differre; quandoquidem, præter nunc allata verba, docet alibi conceptis terminis, «sensus et imaginationem nihil aliud esse, præter intellectum res percipientem per organa sensuum.» (1)

Ut sit, id certum est, cartesianum metaphysicum docere, intellectum, simplicem tantum perceptionem sibi vindicare; iudicia vero de rebus efformare et circa eadem ratiocinari, ad voluntatem solam spectare. «Voluntas vero, ait, solum iudicat et ratiocinatur, iis quæ ab intellectu ipsi offeruntur, voluntarie, ut dictum est, assentiendo.»

Jam, hominis mens ex ea parte qua intellectu puro pollet, immediate conjungitur cum Ratione universali, id est, cum Deo, in quo proinde videmus veritates necessarias, æternas et immutabiles: videt etiam in ipso ideas rerum, ac proinde essentias. Ex quibus concludit tandem, nos consulendo Rationem universalem, quæ est ipsa Dei ratio, «per eam cernere partem eorum, quæ Deus clarissime videt.»

Hanc *Mallebranche* theoriam non pauci in Gallia et Italia amplexati sunt, aliquantulum tamen modificatam a quibusdam ex ipsis. (2)

G) *Cousin cum novo Eclectismo*: Facultates quæ animæ

(1) Atque iste est homo, qui a recentibus catholicis scriptoribus ad nauseam usque nobis offertur, tanquam metaphysicæ christianæ verus cultor, tanquam eximius D. Augustini discipulus, tanquam spiritualismi solidus propugnator! Nihilominus, æquum existimo animadvertere, ipsum quandoque mentionem injicere de intellectu puro, quo universalis et notiones communes percipimus; sed utrum intellectus hic ab eo, quem cum sensu et imaginatione confundit, facultas diversa seu vere distincta sit, perspicue non docuit.

(2) Sic Thomassini ex eadem oratoriana magistri sui familia, aperte cum ipso proficitur, mentem humanam, dum æternas veritatis regulas intuetur, ipsum Deum intueri.

insunt, ad sensibilitatem, intelligentiam, voluntatem, commode reducuntur. *Intelligentia*, quæ ratio frequentius a Cousin appellatur, in duplici statu spectari potest et revera existit: in statu *spontaneitatis*, et in statu *reflexionis*. Ratio dicitur *spontanea*, quatenus et dum percipit homo in seipso, sive potius in sua conscientia, veritates, præsertim necessarias, æternas, immutabiles, et absolutas: dum vero ipsamet ratio, se convertendo et reflectendo super conscientiam et veritates præfatas, harum originem, fundamenta ac elementa ad examen revocat, agnoscit et dijudicat, *reflexa* tunc evadit et dicitur.

Jam vero, quamvis ratio, prout *reflexa*, cujusque hominis sit propria; at *spontanea*, quamvis aliqua ratione dicatur spectare ad quemlibet hominem, quatenus singulis adest eos veluti illuminando, vere et realiter non est facultas propria, personalis et subjectiva hominis, sed potius est ratio universalis, communis omnibus, et *impersonalis*. (1)

Ut sit, id indubium est, ipsum vestigia *Mallebranche* premere, dum rationem illam *impersonalem*, cum ea Luce quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, unum idemque facit; quinimo, quod sit ipsum Verbum caro factum, disserte profert: «Ratio, inquit, est necessarius mediator inter Deum et hominem..... illud Verbum caro factum, quod Dei interpres et hominis præceptor est, simul Deus et homo.» Nihil ergo mirum, si Cousin discipuli, ejusdem de ratione theoriam, quæ proculdubio Pantheismo favet, aliaque ejusdem placita pantheistica evolventes, purum, putumque Rationalismum docuerint, cum impiis consecrariis omnis generis, quæ eruuntur hocce ex systemate, ut videre licet in Damiron, qui autumare ausus est mysterium Incarnationis, nihil esse aliud quam symbolum, quo natura rationis humanæ significatur et representatur, quatenus, scilicet, est ipsa Dei ratio, quæ homini jungitur et communicatur: (R)

(1) Æquitas tamen postulat ut addatur, antesignanum hunc Eclectismi recentis, doctrinam præfata de ratione impersonali, quoad aliquid modificasse in posterioribus operum editionibus, eo sensu, ut veritatem potius quam rationem, impersonalem efficiat et prædicet.

historia ergo Incarnationis, tanquam poesis quædam habenda est, et figura prædictæ communicationis. Rationis impersonalis, vel potius Dei cum humanitate.

Quamvis porro Maret, absurda hæc et impia plane consectoria et pronuntiata aliorum discipulorum vel æqualium Cousin, rejiciat penitus, ut virum catholicum decet, ejusdem tamen theoriam intellectus seu rationis humanæ amplectitur ac tuetur ex parte.

H) *Gratry*: Fontes cognitionis a facultatibus cognoscendi distinguere oportet: fontes porro cognitionis sunt quidem tres, *sensus externus*, *sensus intimus*, *sensus divinus*; facultates vero cognoscendi sunt, *intellectus* et *voluntas*.

Fontes cognitionis ita nuncupantur, quia materiam cognitionis exhibent, quæ materia veluti elaboratur per intellectum, sed adjutum voluntate: namque intellectus res cognoscere ac dijudicare nequit ea ratione qua opus est ad veritatem assequendam, nisi voluntas simul recta sit. Porro, cognitionis materia tribus potissimum comprehenditur, videlicet, mundo, animo humano, Deo. Sicut autem mundus nobis exhibetur per *sensum externum*, et animus noster per *sensum intimum*, ita Deus exhibetur per *sensum divinum*, qui nihil est aliud, apud Gratry, quam « attractio quædam Summi Boni, sive, ut Aristoteles inquit, appetibilis et intelligibilis; quam attractionem Dei, si non semper, qualis res vera est in nobis distinguimus, certe omnes et semper ubique sentimus. »

I) *Ubughs*: Duplex ratio in homine est distingenda, *subjectiva*, nimirum, et *objectiva*. Ratio *subjectiva*, est « congenerita animi potentia acquirendi cognitiones omnis generis, quibus naturæ suæ accommodatas; » *objectiva*, sunt veritates illæ necessariæ, immediate evidentes, et perspicue omnibus notitæ. Quæ sane veritates, animæ per naturam insunt ac menti congenitæ habendæ sunt; attamen, ut distinctam et claram notitiam earundem mens obtineat, opus ipsi est meditatione ac externa institutione, quo semel posito, ulterius mens progreditur, ac per comparisonem, analysim, reflexionem, attentionem et alios actus, veritates eas evolvit et applicat, hæcque ratione, rerum notitiam et scientiam acquirit.

Actus seu functio, qua mens veritates immediate evidentes et necessarias, in seipsa præcontentas ac sibi congeni-

tas, actu et distincte percipit, *visus intellectus* nuncupatur; post quam functionem illæ aliæ secundariæ exurgunt, deductio, reflexio, etc. Jam vero, veritates hujusmodi animæ congenitæ, quæ etiam sunt prima scientiarum principia, eo ipso quod æternæ, necessariæ ac immutabiles sunt, nihil aliud esse queunt, quam perfectiones Dei, sive ipsa divina attributa. Ratio igitur *objectiva*, est ipse Deus, qui proinde est verum lumen rationis humanæ. « Prima rationis nostræ principia, ait ille, sunt Deus ipse menti præsens ceu rationis lumen, sive lux mentis, mentem nostram modo analogo, at magis actuoso afficiens, quo lux physica afficit sensum oculorum. »

J) *Kant*: triplex est facultas cognoscendi in homine, *sensibilitas*, *intellectus*, *ratio*. Sensibilitate, quæ, vel externa, vel interna esse potest, anima recipit impressiones objecta repræsentantes, quas repræsentationes anima intuetur: unde sensatio est receptio impressionum; intuitio vero, est perceptio harum impressionum quatenus repræsentativæ sunt. Sed quamquam materia harum intuitionum per sensibilitatem donatur animæ, hæc sensibilia objecta intueri nequit, nisi sub conditionibus extensionis et successionis, ita ut spatium sit veluti forma necessaria intuitionum sensibilitatis externæ, et tempus, intuitionum externæ et internæ. At vero, formæ hujusmodi, *empiricæ* non sunt, id est, ab objectis non accipiuntur, sed in ipsa anima præcontinentur, suntque proinde formæ *à priori* respectu sensibilitatis. Ex quo consequitur, spatium et tempus, *Kant* sententia, nihil reale esse in rebus, vel saltem ipsorum realitatem a nobis non posse cognosci.

Intellectus est facultas sensibilitate superior, qua hujus intuitiones in unitatem conscientiæ conjungit, ac conceptus et judicia efformat. Sicut ergo sensationes sunt materia intuitionum sensibilitatis, ita intuitiones istæ sunt materia *conceptum* et *judiciorum* intellectus; quæ quidem judicia, *quantitatem*, *qualitatem*, *relationem*, *modalitatem*, tanquam ipsorum necessarias *formas* prærequirunt; quæ *formæ*, non secus ac illæ sensibilitatis, non empiricæ, sed *à priori* menti dantur, ac *subjectivæ* proinde, non *objectivæ* quoad nos, haberi debent.

Ratio denique est facultas ratiocinandi, per quam homo,

judicia plura conjungendo et ordinando, a conditionatis ad non conditionatum et absolutum asurgit: resolvit itaque ratio conclusionem in præmissas, et has iterum in alias, quousque ad præmissam aliquam deveniat, quæ sit præmissa absoluta et non conditionata.

Ex dictis facile perspicitur, theoriam Kant cum theoria D. Thomæ in quibusdam convenire, in aliis differre. Accedit ad D. Thomam dum docet: 1.º Cognitionem hominis ex sensibilitate externa, sensibilitate interna, intellectu, et ratione, integrari.

2.º Sensibilitatem tum externam, tum internam, ministrare materiam cognitioni intellectuali.

3.º Propriam manifestationem seu functionem *intellectus*, esse *conceptus* seu simplicem perceptionem et judicia; rationis vero, *ratiocinium*.

4.º Rationis proprium esse propositionem resolvere per præmissas usque ad primum aliquod principium absolute verum et indemonstrabile.

Recedit vero a D. Thomæ dum statuit: 1.º rationem esse facultatem ab intellectu distinctam; 2.º per sensationes ac intuitiones sensibiles, nos percipere quidem rerum representationes seu phænomena, at conscios non fieri de ipsa existentia aut natura objectorum extra nos; 3.º notiones spatii et temporis esse formas subjectivas sensibilitatis, sicut dum statuit, quod quantitas, qualitas etc. sunt formæ subjectivæ et à priori judiciorum, ac proinde: 4.º nos per conceptus et judicia vere conscios non fieri de objectiva natura et realitate objectorum, cum unum ex elementis judiciorum pure internum et subjectivum sit; 5.º tandem, nos nihil certo cognoscere aut cognoscere posse circa existentiam Dei, immortalitatem animæ aliasque maximi momenti veritates, quæ sensibili experientiæ subesse nequeunt; unde infert Kant, argumenta pro et contra similes veritates, esse lusus mentis. Ex quibus facile patescit, Kant per ea pronuntiata per quæ a theoria D. Thomæ recedere incipit et progreditur, latam aperire viam scepticismo et idealismo.

K) *Hegel*: Omissis Fichte et Schelling, ut brevitati consulatur, devenio ad Hegel, qui nobis offert specimen theoriæ circa rationem humanam, quæ hodiernis pantheistis placet. Asserit hic cognitionem hominis ab *Idea* pura, quæ cum Ra-

tione absoluta identificatur. Statuit deinde consentanee ad systema pantheisticum, rationem triplicem manifestationem habere: 1.º dum ratio spectatur et existit in statu indeterminationis omnimodæ, in quo est veluti cogitatio *pura*, id est, quæ nec ad subjectum cogitans, nec ad objectum aliquod refertur. Sed quoniam essentia et vita *Ideæ* in continuo motu et nisu ad conscientiam sui assequendam posita est, dum se evolvendo extra seipsam egreditur, quæ est secunda ejus manifestatio qua incipit seipsam determinare, naturam producit, vel seipsam ut naturam *ponit*. Ulterius vero se evolvendo, sui conscientiam tandem adipiscitur, ac ut spiritus ponitur: et hæc est tertia manifestatio *Ideæ*.

Hinc colligitur juxta Hegel, evolutionem *Ideæ* sive Rationis, tribus perfici momentis: in primo, omnia quidem continentur in ea, sed omnino indeterminate, ita ut *Idea* spectata in priori hoc momento sive statu, nec sui subjectum, nec objectum, nec universale, nec singulare, nec natura, nec spiritus, nec quidvis aliud determinationem quamlibet involvens. In secundo, seipsam cognoscit et *ponit*, ut naturam rerum extra animam existentium. At in tertio momento, se *ponit*, ut spiritum conscientiam sui adipiscendo, ac simul cognoscendo se continere omnia, vel quod in idem redit, omnia esse unum, sive idem cum *Ideæ*; quæ pantheistica conclusio seu affirmatio est ultimus terminus evolutionis rationis, ac perfectissima hominis scientia.

Tribus hisce momentis *Ideæ puræ*, sive rationis absolutæ, respondent tres functiones sive operationes, quas logici intellectui assignant; namque in primo momento spectata ratio, est *notio*, quamvis omnino indeterminata; in secundo, est *judicium*; in tertio vero, *ratiocinatio*, per quam et ex qua concluditur omnium absoluta unitas synthetica, id est, universalis et particularis, objecti et subjecti, naturæ et spiritus, entis demum et cogitationis, quæ cuncta in *Ideæ* continentur, ac cum ipsa identificantur.

L) *Jacobi et Lichtenfels*: Duos hosce scriptores ideo jungimus, quia ipsorum pronuntiata circa hominis mentem et cognitionem valde affinia, vel potius eadem sunt. Hominis cognitio tribus perficitur facultatibus, *sensu*, *ratione*, *intellectu*. Sensus percipit vel accipit immediate res sensibiles: ratio, quæ etiam *sensus interior*, et *instinctus rationalis* a

Jacobi nuncupatur, percipit immediate res insensibiles sive spirituales, ex. c. Dei existentiam, animæ immortalitatem, justum et injustum, vitam futuram cum aliis similibus. *Intellectus*, notiones objectivas, per sensum et rationem datas et acquisitas, invicem confert, dividit, jungit, super eas reflectitur, ratiocinatur, ad determinatum systema ea reducit. Sola igitur ratio objecta intelligibilia sive insensibilia, ut vere realia percipit; at intellectus, repræsentationes et notiones sibi datas elaborat, sed nihil nos docet circa realem existentiam objectorum.

Systema hocce in pluribus peccat: 1.º quia rationem ab intellectu secernit tanquam facultatem penitus diversam: 2.º quia ratiocinationes efficere, quod proprium est munus rationis, ut vox ipsa indicat, intellectui tribuit: 3.º quia maximi momenti veritates, ut Dei existentiam, principia moralia, animæ immortalitatem, vitam futuram, refert ad gratis fictam perceptionem immediatam rationis, atque ad cæcum instinctum rationalem: quinimo, cohærenter ad systema hocce, docent ejus adseclæ, nos per reflexionem et *demonstrationem*, quæ functiones sunt solius *intellectus*, minime conscios fieri posse objectivæ realitatis hujus generis veritatum; quoniam demonstratio, utpote functio mere subjectiva, rerum realitatem *scire* non facit. Atque ex his jam facile perspicitur, theoriam istam mentis ad scepticismum ac idealismum recto tramite ducere, quantumvis Jacobi illam adinventam sibi blanditus sit, ad præfatos errores radicitus convellendos et destruendos.

M) *Gioberti*: Duplex invenitur in homine ratio, *objectiva*, nimirum, et *subjectiva*. Objectiva est ipse Deus, sive ut ille ait, *Ideale Reale*, quod quidem menti humanæ sese intuentium offert, ac proinde dici vere potest, hominis mentem Deum ipsum ac omnia alia in Deo videre. *Ratio subjectiva*, nihil est aliud quam animæ facultas per quam Deum, sive intelligibile absolutum intuetur; ex quo consequi videtur, quod proprius et primarius actus rationis subjectivæ est intuitio quædam confusa, directa, ac spontanea intelligibilis absoluti, quod etiam a *Gioberti* nuncupatur *Ens quod creat existens*. At huic statui, in quo mens *Ens* hujusmodi intuetur intuitionem *directam* et *spontaneam*, succedit alter, in quo ratio verum intelligibile illud per intuitionem *directam*

apprehensum, apprehendit iterum per intuitionem *reflexam*, per quam gradatim et successive evolvit et distincte cognoscit quod in prima intuitionem continetur. Ratio hominis, quatenus intuitionem *directam* sive *spontaneam* et *immanentem* exerit, *intellectus* dici potest; quatenus per reflexionem, intuitionem illam propriam sibi reddit, distinctam efficit ac successive evolvit, *ratio* potest nuncupari. (1)

N) *Rosmini*: Hujus theoria sequentibus breviter comprehendendi potest:

1.º Objectum primarium intellectus, sive id quod primo a mente percipitur, est *ens ideale* sive *possibile*, quod est veluti forma primitiva et generalis intellectus hominis, qui nihil absque ea, et nisi per eam attingere valet: hanc porro ideam præbabet intellectus, utpote sibi innatam et congenitam.

2.º Hujusmodi ens, quatenus intellectum objective, fecundat, cunctas ejus manifestationes comitatur, et est id cujus ope activitas intellectualis evolvitur, *ratio objectiva*, atque etiam sub aliquo respectu impersonalis nuncupari potest.

3.º Dum intellectus ens istud ideale sive possibile applicat rebus extra animam positis, ac per sensus perceptis, res

(1) Alia quædam addit italus philosophus ad suam theoriam perficiendam et evolvendam, sed insolitis ac obscuris verbis utens, quibus sententiam suam hic, sicut in aliis, involvit et dubiam relinquit, ejus tamen accuratorem notitiam in historia philosophiæ trademus. Interim adnotare sufficiat, ipsius theoriam circa hominis mentem et cognitionem congruere, vel saltem valde affinem esse theoriæ malebranchianæ; ac præterea, pantheismo viam parare, tum dum semel constituto rationem hominis omnia intelligere per lumen rationis objectivæ, quæ, ut vidimus, est ipse Deus, addit et concludit «rationem hominis ex hac parte spectatam, esse revera ipsam rationem Dei» tum etiam dum docet, Deum sive *Ens* absolutum quod ratio intuetur, esse simul abstractum et concretum, individuale et universale.

«La raison de l'homme, inquit ille, sous ce rapport, est véritablement la raison de Dieu, et possède par conséquent une autorité sans appel.

L'Etre est donc abstrait et concret, general et particulier, individuel et universel tout à la fois.» *Introduct. à l'étud. de la Phil.* t. 2.º pægs. 175 et 179.

externas cognoscit, et sui conscientiam acquirit, id est, seipsam appercepit ut res percipientem.

4.^o Mens, quatenus percipit ens sub forma *idealitatis*, congruè dicitur *intellectus*: eadem mens, quatenus percipit ens sub forma *realitatis*, per applicationem, nimirum, ipsius sub priori forma ad sensitivas et conscientia perceptiones, non incongrue dicitur *ratio*, cujus proinde initium et fundamentum est intellectus.

5.^o Functiones, seu exercitationes rationis, si non tempore, saltem natura posteriores existunt functionibus intellectus.

Ex quibus pronum est colligere, theoriam Rosmini recedere quidem a doctrina D. Thomæ: 1.^o dum asserit primum objectum intellectus esse ens sub forma possibilitatis, cum potius a possibilitate et realitate præscindat: 2.^o conceptum sive ideam hujus entis possibilis, esse menti per naturam insitam, vel non acquisitam: 3.^o entia alia non cognosci ut realia, existentia et singularia, nisi per applicationem hujus formæ *idealitatis* seu *possibilitatis* entis, quod pronuntiatum idealismo præcudubio favet.

Accedit autem ad theoriam D. Thomæ, eique effinis reditur quoad alia plurima.

Et 1.^o quatenus docet ens esse primum cognitum ab intellectu, ac veluti formam generalem et primariam ipsius.

2.^o Quatenus supponit ideam entis comitari reliquas mentis perceptiones, ac esse basim, fundamentum et conditionem necessariam activitatis intellectualis, dum evolvitur et applicatur objectis et ideis particularibus sive determinatis.

3.^o Quatenus statuit ideam entis non solum involvi et veluti imbibitam reperiri in cunctis intellectus manifestationibus, sed etiam esse lumen mentis humanæ. Quod verum quidem est, si de lumine objectivo accipiatur; quo sensu ratio, *objectiva* cum Rosmini potest nuncupari; non vero si de lumine subjectivo, quæ denominatio potiori jure congruit intellectui *agenti*, quatenus objecta intelligibilia *actu* efficit, et cujus prima manifestatio est ipsa idea entis communis.

4.^o Quatenus docet cæteras ideas esse determinationes et veluti *concretiones* ideæ entis, sine cujus previa possessio-

ne et applicatione, rerum nec natura, nec existentia cognoscuntur.

5.^o Quatenus docet entis perceptiones ad intellectam, prout contra *rationem* dividitur, spectare; quandoquidem mens hominis, si quoad aliquid intelligentiæ Dei et Angelorum assimilatur, maxime id fit per simplicem, immediatam, et quasi spontaneam et intuitivam perceptionem entis. Fallitur tamen Rosmini, dum judicium non intellectui, sed rationi tribuit.

6.^o Quatenus ejus sententiâ, *intellectus* est initium et fundamentum *rationis*, quæ proprios actus non exerit, nisi præcesserint actus *intellectus* circa ens.

7.^o Tandem, quatenus docet, *intellectum* et *rationem*, non duas diversas facultates, sed ejusdem potentiæ functiones esse, simulque exercitium, sive actionem rationis, posteriorem naturaliter esse exercitio *intellectus*.

SCHOLIUM.

Singulas philosophorum et scholarum opiniones nunc expositas examini vel scientificæ discussioni subicere, nec tempus, nec operis elementarii ratio sinit. Quidnam veri vel falsi unaquæque sibi vendicet, colligi facile potest, quoad aliquas, ex ipsa expositione systematis; quoad alias, ex brevioribus observationibus a nobis prælati; quoad omnes, ex his quæ in posterum dicturi sumus, naturam intellectus, theoriam cognitionis humanæ et originem idearum evolventes. Nunc ad eos convertamur, qui intelligendi facultatem a sensitivis potentiis, vel nullo modo, vel non satis distinguunt et sejungunt.

ARTICULUS SECUNDUS.

De intellectu per comparisonem ad sensum.

THESIS.

Intellectus quoad aliquid sensui assimilatur: est tamen facultas ab ipso omnino distincta, atque a corporis organo in operatione propria non pendet.

Explicatur et prob. 1.^a pars, Sicut sensus est facultas cognoscendi animæ insita, qua objecta quædam percipit, ita etiam intellectus. Deinde, tam in sensitiva cognitione, quam in intellectuali, objectum seu res cognita, non immediate et per seipsam potentiæ cognoscenti jungitur, sed per species, ideas vel repræsentationes.

Tertio, potentia intellectiva, non secus ac sensitiva, quandoque est in potentia, quandoque vero in actu, id est, tam quoad sensum, quam quoad intellectum, prius natura est habere facultatem ad objectum aliquod cognoscendum, quam ipsum actualiter et de facto cognoscere. Ex quo ulterius consequitur, tum sensum, tum intellectum præ se ferre aliquid potentiæ passivæ, quatenus utraque facultas in se ipsa recipit actum, vel sentiendi, vel intelligendi.

Prob. 2.^a pars. Omnis facultas operativa ad suum actum et objectum dicitur, ac per ea specificatur et distinguitur; quandoquidem, facultates in seipsis non intuemur nec percipimus, sed in suis actibus: aliunde, per se notum est, eandem esse conditionem potentiæ et actus qui ab ea profuit, cum actus nihil aliud sit, quam diffusio, explicatio ac veluti evolutio, seu, ut Scholastici ajebant, *actualitas* potentiæ: atqui intellectus a sensu omnino differt, tam ex parte actus, quam ex parte objecti: ergo; Prob. min. Ex parte actus: nam actiones sensuum sive sensationes non existunt absque organis corporeis determinatis per quæ operantur, et a quibus omnino pendent, ita ut eisdem vitatis vel sublatis, tollatur etiam sensatio. Similiter, experientiâ et ratione testibus, sensatio includit et involvit impressionem materialem et physicam objecti in organum, cui impressioni respondet, et veluti commensuratur sensatio. At vero intellectus operari potest, non solum independenter ab organo determinato, sed etiam absque omni corpore, ut patet in anima post mortem hominis, quæ certe, si vivit et operatur, vita intellectus vivit et operatur. Ergo vel deneganda animæ humanæ immortalitas, vel concedendum ejusdem facultatem intelligendi actu operari absque corporeo organo. Similiter quoque experimur, nos per intellectum et voluntatem posse cogitare de hoc vel illo objecto, absque eo quod impressionem organicam ab ipso tunc recipiamus. Quid dum actum ipsum cogitandi, vel volendi per conscientiam, vel sensum intimum

intuemur ac immediate percipimus? Quodnam erit organum hujus actus, quo actum cogitandi vel volendi intuemur?

Ex parte objecti: objectum sensus est solum quid materiale, sensibile et singulare; nec enim quisquam sensuum quantumvis perfectus, et per exercitium bene educatus, objectum pure spirituale, puta, Deum, vel universalem naturam unquam percipit.

Contra, satis constat intellectum, et ad objecta pure spiritualia assurgere posse, et rerum naturas sub forma materialitatis percipere et cognoscere; quinimo, universale est proprium et specificum ipsius objectum: ergo intellectus est facultas a sensu omnino distincta, ipsoque superior. Et sane, ipsi communi hominum sensui repugnat asserere facultatem, quæ Deum, angelos, veritatem, justitiam, rationem boni, pulchri, communissimam rationem entis, ipsumque *esse* attingit, a sensibilitate, quæ homini cum belluis communis est, non distingui.

Tertia pars thesis ex nunc dictis sponte fluit. Nam si propria operatio hominis, quatenus homo, et prout belluis superior, est intelligere, pronum est inferre, intellectum cuius est intelligere, in eo, vel maxime a sensu discriminari, quod independenter, ab omni corporis organo queat operari. Ex quibus omnibus.

Colliges 1.^o Sensum merito appellari posse et revera esse facultatem organicam, intellectum vero facultatem inorganicam, quatenus, scilicet, sensus actum proprium non exerit absque concursu simultaneo organi corporei determinati: at intellectus actionem propriam exercet, vel absque quovis concursu organi, ut accidit post mortem, vel saltem absque eo quod ejus actio exerceatur vel eliciatur per organum proprium, quamvis in statu unionis cum corpore, præcedat et comitetur functio aliqua sensibilitatis ac proinde affectio organica.

Colliges 2.^o Sensationem seu functionem sensus, denominari posse corpoream et *materialem*, non quidem ex parte perceptionis sensitivæ quam involvit, nec quatenus sensatio est operatio quædam ab anima egrediens, et diffusio facultatis sensitivæ, sed solum quatenus necessario prærequirit et involvit impressionem objecti in organo materiali, et quatenus sensatio complete et adæquate sumpta, non elicitur abs-

que influxu et motu organi. Quo sensu excipere oportet veteres Scholasticos, si quando sensitivas potencias earumque functiones, *materiales* vocitent.

Colliges 3.^o Merito D. Thomam docere, facultates ordinis pure intellectuales, quæ sunt intellectus et voluntas, a facultatibus ordinis sensibilis, ex eo præsertim discriminari, quod priores non utantur *organo corporali*, secus ac sensitivæ, ita ut hæc sit veluti differentia quædam primitiva et essentialis inter sensum et intellectum.

ARTICULUS TERTIUS.

De Phrenologia.

§ I.

De recentiorum phrenologia.

Phrenologiæ nomine intelligi potest: *Systema quoddam dynamilogicum, quo adstruitur facultates omnes et vires rationalis animæ, sedem fixam in determinatis corporis organis habere, quibus organis ita ligantur, ut ex eorum magnitudine et evolutione (desarrollo) pendeat et mensuretur, facultatum, inclinationum et operationum intensitas.*

Notio quæ hic continetur, tanquam descriptio potius quam ut vera et accurata definitio est sumenda; exactæ namque definitionis phrenologia capax non est, cum phrenologi ipsi quoad hujus systematis principia inter se non conveniant. Quamobrem, simul brevitati ac perspicuitati consulentes, eorum præcipua ac magis universalia pronuntiata, hic subijcere opus est.

1.^m Omnes facultates hominis, sive intellectuales illæ sint, sive morales, sive sensitivæ *localizationi* subjacent, id est, ligantur certis corporis organis, atque singulæ ipsarum peculiari organo gaudent.

2.^m Inclinatio seu *propensio* ad operandum ipsaque actualis operatio, respondent magnitudini ac evolutioni (desarrollo) materiali organi, ita ut evolutio ista sit veluti mensura et ratio intensitatis inclinationis, ac positionis seu existentie actus.

3.^m Præcipua horum organorum sedes est cerebrum, ex cujus circumvolutionibus et evolutionibus internis, prout in externa superficie apparent et manifestantur, agnosci ac dimetiri potest intensitas uniuscujusque facultatis, ac energia operationum quæ eidem respondent.

4.^m Quæ quidem energica inclinatio seu conatus et propensio ad actum, evolutionem organi consequens, adeo intendi potest, ut homo actum illum ponat, quasi vi quadam coactus, cui resistere nequit.

5.^m Voluntas, non secus ac aliæ animæ vires et facultates, determinatum habet organum per quod operatur; quod si organum ejus magnum sit, et satis evolutum, seipsam et reliquas facultates, quarum organum nimis non sit evolutum, magis, vel minus poterit cohibere ac regere, liberaque proinde erit saltem quoad aliquos actus et determinationes. At si ejusdem organum parum evolutum inveniatur, ipsius energia insufficientis prorsus erit pro regendis, frænantis ac ordinandis reliquarum facultatum inclinationibus et actibus, veraque proinde ac reali libertate non gaudebit.

THESIS.

Phrenologia quam maxima pars phrenologorum nostris temporibus tuetur, adversatur, tum morali et religioni, tum rationi et experientie.

Prob. 1.^o pars: Illud profecto morali ac religioni adversatur, quod sensualismo viam aperit, ac animæ rationalis spiritualitatem et immortalitatem, vel tollit, vel saltem in periculum vertit: sed sic se habet phrenologicum systema, quod hodie nunc exponit, amplectitur ac tuetur maxima pars phrenologorum: ergo. Prob. min. Tollere e medio seu inficiari differentiam radicalem et essentialem inter facultates pure intellectuales, ac facultates sensitivas, est aperire viam sensistarum doctrinæ, ac animæ spiritualitatem immortalitatemque periculo subijcere; sed id secum ferre phrenologorum hodiernum systema, perspicue patet ex ipsorum pronuntiatis. Et re sane vera, evidenter sensualismo favent, dum affirmant, facultates pure intellectuales ac morales ordinis superioris, organis corporeis ligari ac subjici eodem modo ac facultates ordinis sensibilis. Quod quid est aliud

quam e medio tollere, saltem quoad nos, differentiam ac distinctionem essentialem inter sensum ac intellectum? Jam, si sensus et intellectus inter se non discriminantur essentialiter; si intellectus et voluntas non secus ac sensus determinatis organis alligantur, eisdemque conditionibus ac legibus materiæ et evolutionis organicæ subjacent, nihil nobis certi remanet quo possimus adstruere intellectum esse superiorem sensu ab eoque essentialiter distinctum; quinimo, cum nos animarum essentiam vel substantiam in seipsa non intueamur, sed ex actibus ipsarum naturam agnoscamus et dijudicemus, semel e medio sublata, vel in dubium revocata differentia essentiali inter facultates superiores intellectuales et morales, ac facultates inferiores sive sensibiles, nihil nobis remanet quo certo et evidenter possimus demonstrare hominis animam ab anima belluarum essentialiter distinguuntur: porro demonstratione hujus essentialis distinctionis, nutat quoque proculdubio spiritualitas omnimoda ac immortalitas animæ rationalis. Ergo cum moralis et religio christiana absque animæ immortalitate et spiritualitate consistere nequeant, phrenologicum systema, prout communiter exponitur, adversatur morali ac christianæ religioni.

Quod ad alteram thesisi partem attinet, probatione non indiget, nisi forte apud eos qui nihil unquam de hodierna phrenologia, vel audierint, vel legerint. Nam qui phrenologorum libros, vel tantisper evolverit, sciet profecto:

1.º Inter seipsos minime convenire quoad numerum naturam, situm facultatum et organorum. Gall, vigintiseptem facultates cum totidem organis homini assignat; triginta quinque numerat Spurzheim; alii alium numerum majorem, vel minorem admittunt.

2.º Ex accuratis experimentis Cabanis, Richerand, Flourens, aliorumque anatomiarum, medicinæ ac philosophiæ peritorum, compertum est, persæpe circumvolutiones ac partes determinatas cerebri lædi, quin idcirco tollantur, vel perturbentur facultates quæ ipsis juxta phrenologos respondent. Quinimo, Flourens testatur, se ex animalium cerebro sustulisse et amputasse non parvas ejus partes, tam antrorsum, quam retrorsum, quin tamen animal ullam ex facultatibus amitteret.

3.º Organum religionis et cultus Dei, sive teosophiæ, quod

Gall cum aliis phrenologis in cranio hominis detexit, in cranio quoque arietum postea fuit detectum.

4.º In cranio sapientissimi Laplace, phrenologi detexere organum *stupiditatis*; at vero quasi per compensationem, in cranio homicidæ Fieschi organum *destructivitatis* detegere non valuerunt, nec in cranio Lacenaire, organum furti, sed potius organa benevolentiae et teosophiæ inventa sunt in eo homine non solum latrocinio, sed homicidio ac atheismo tradito.

5.º Tandem, etiamsi vera essent ea quæ phrenologi autumant de circumvolutionibus ac organis cerebri atque de facultatibus eisdem respondentibus, nihil certi quoad praxim et judicium de facultatibus et operationibus, inde confici posset: quandoquidem, constat ex multis et accuratis experimentis, evolutionem ac prominentias exteriores cranii, non semper respondere circumvolutionibus nec prominentiis internis massæ cerebralis; nec desunt sane homines in quibus integritas intelligentiæ ac reliquarum facultatum observatur, quantumvis insolitum ac deforme cranium habeant.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.º Si cerebrum læditur vel destruitur, illico perturbantur operationes intellectus et voluntatis: ergo hujusmodi facultates, non secus ac sensitivæ, a corporeo organo pendent.

Resp. Disting. cons. Hujusmodi facultates pendent ab organo corporeo *præsuppositive* et quasi *indirecte*, conc. *directe* et in *seipsis*, neg. Verum quidem est, læso cerebro, perturbari functiones intellectus et voluntatis, ut videre licet in amentibus, ac delirio ex febre laborantibus. Sed id ideo accidit, quia intellectus pro hoc statu unionis, ut mox dicemus et experientia ipsa testatur, nihil actu intelligit nisi simul cum ipso operentur sensus interni, ac præsertim imaginatio, ex cujus phantasmatis seu repræsentationibus intellectus accipit objecta per abstractionem.

Obj. 2.º Cerebrum communiter et apud ipsos philosophos catholicos, habetur ac dicitur organum intelligentiæ; ejus etiam rei signum est, quod dum mentis aciem meditandis objectis vel speculationibus scientificis nimium defigimus, eisdem inhærendo, sensationem dolorosam in fronte experimur.

Ex quo inferunt quidam cum Debreyne, cerebrum esse quidem organum adequatum ac integrale intellectus et cogitationis, in eo tamen assignanda aut distinguenda non esse determinata organa pro determinatis facultatibus vel inclinationibus, sive intellectualibus, sive moralibus. Ergo nulla adest repugnantia in pronuntiatis phrenologorum circa existentiam organorum pro ipsis facultatibus pure intellectualibus.

Resp. Dist. ant. Cerebrum habetur ac dicitur organum proprium aut immediatum intelligentiæ, neg. organum mediatum et quasi indirecte, conc. Cerebrum itaque, si quando organum intellectus dicatur, non id sumendum est de organo proprio intellectus, ea ratione qua oculus ex. c. dicitur organum visus, sed quatenus in eo reperiuntur organa sensuum internorum, qui et materiam cognitionis intellectui præbent, ac simul cum ipso functiones proprias exercent circa objecta actu cogitata. Ex quo consequitur, massam cerebralem nuncupari posse, improprio saltem sensu, organum mediatum et indirectum intelligentiæ, quatenus, scilicet, hujus functiones cum functionibus sensibilitatis internæ nexum ac relationem habent. Cæterum, qui cerebrum organum intelligentiæ et instrumentum cogitationis esse autumant cum Debreyne, victas manus phrenologiæ tradunt; quondom quidem, admittunt hoc pacto, omnes hominis facultates etiam pure intellectuales, ut sunt intellectus et voluntas, in organis localizari, seu per organa operari, quæ est fundamentalis phrenologiæ affirmatio, ex qua graviora ejus pericula in moralem et religionem profluunt, ut diximus. Nec quidquam interest pro his periculis vitandis, asserere cerebrum esse organum unicum et integrale intelligentiæ: sive enim unicum sit, sive in plura distinguatur, semper manet factum capitale phrenologiæ, intellectum, scilicet, non secus ac sensum per organum corporeum operari. Præterea, si semel concedatur intellectum cerebro uti tanquam proprio organo, non video plane, quare voluntati assignanda non sit aliqua pars ejusdem ut proprium organum, cum volendi facultas ab intelligentia distinguatur.

§ II.

De possibilitate et conditionibus veræ phrenologiæ.

Ex his quæ in superiori paragrapho exposita sunt, colligere fas est, doctrinam phrenologicam veri aliquid intra se includere; quod si a vero recedit, idcirco recedit, quia experientiæ facta, quæ in seipsis vera sunt, et irrationabiliter applicat, et ad exaggerationem vertit.

Itaque peccat hodierna phrenologia, quia statuit et docet, 1.º omnes hominis facultates et vires determinatis organis ligari, atque etiam quatenus easdem facultates ac organa indefinite fere multiplicat et dividit; 2.º intensitatem et energiam cujuslibet facultatis ex magnitudine propria organi prorsus vel fere unice pendere, 3.º evolutionem organi, si nimia sit, atque ad certum pertingat gradum, secum ferre propensionem necessariam ad operationem determinatam; 4.º libertatem voluntatis ex evolutione et magnitudine proprii organi pendere, ita ut si voluntatis organum debile sit vel parum evolutum, hominis libertas penitus absit respectu quorundam actuum, et debilis sit ac remissa respectu omnium aliorum. Id, ut prætermittamus phrenologos eos, qui purum putumque materialismum aperte profitentur, docentes ex. c. cogitationem nihil esse aliud quam motum determinatum cerebri.

Jam ergo, si hujusmodi phrenologiæ pronuntiata denegetur vel corrigantur; si ab aliis ejusdem affirmationibus, exaggerationes et vitia tollantur; si phrenologiæ nomine intelligatur: *Cognitio probabilis et conjecturalis facultatum ac propensionum hominis, quatenus obtineri potest per inspectionem complexionis ac organorum, quæ in ejus corpore apparent*, possibilis est phrenologia quæ nec morali, nec religioni, nec experientiæ adversatur. Cæterum, phrenologia ista quæ ex sua ipsa natura exurgere ac constitui nequit in ratione systematis, nisi per plurima experimenta ac observationes accuratè expensa et inter se collata, si veritati, religioni ac rationi consentanea esse vult, præ oculis sequentia habebit:

1.º Radicalem et essentialem distinctionem statuere opus

est inter facultates sensitivas ex una parte, sive cognoscitivæ illæ sint, ut sensus, sive morales et affectivæ, ut passiones; ac purè intellectuales ex alia, ut sunt intellectus et voluntas: ac priores quidem *organicæ* appellari queunt, sed posteriores *inorganicæ* cum D. Thoma dicantur.

2.º Curandum est ne præfatæ facultates nimium ac veluti indefinitè multiplicentur, ut hodierni phrenologi in more habent, sed ad minorem ac magis determinatum numerum reducendæ sunt, quoad fieri possit; idque fiat præsertim attentis differentiis actum et objectorum.

3.º In ipsis facultatibus organicis, intensitas potentiæ et propensionis, non ex sola magnitudine sive evolutione extensiva organi, sed ex interna quoque dispositione ac ejusdem variis qualitibus, æstimanda est.

4.º Quinimò, etiam ex relatione seu collatione cum aliis organis; cum accidere fortasse possit, quod intensitas seu energia alicujus organicæ facultatis impedita ex parte (neutralizada) evadat ex evolutione organi alterius facultatis. Quod præterea etiam evenire potest, eo quod externa organi evolutio seu prominentia, non semper exactè respondet evolutioni interiori, saltem quoad organa cerebralia.

5.º Ex quibus omnibus simul collatis infertur, 1.º iudicium circa intensitatem ac vim facultatis cujuscunque, tanquam omnino certum et indubium unquam proferendum, sed solum ut probabile et veluti conjectando: 2.º iudicia phrenologica versari oportere solum circa facultatum et inclinationum energiam, quia extendatur ad operationes ipsas; quantumvis namque maxima appareat evolutio alicujus organi, fieri potest ut homo absteineat a ponendis actibus et operationibus, quæ eidem respondent.

6.º Sicut functiones actuales intellectus et voluntatis dependentiam ac relationem habent cum functionibus sensibilitatis, ita etiam organa hujus sensibilitatis influere aliquà ratione possunt in intellectum et voluntatem, ac proinde determinare intensitatem, aptitudines et inclinationes facultatum ordinis purè intellectualis. Itaque per complexionem physiologicam corporis, ac magis adhuc per condiciones organorum sensibilitatis, phrenologicè judicare possumus de facultatibus purè intellectualibus, ipsarumque variis aptitudinibus quoad artes et scientias.

7.º Quævis tandem sit energia facultatum, et propensionum, subduntur liberæ voluntati, quæ easdem dirigere, frænare, moderari, ac per exercitium augere potest, præsertim, si media quæ christiana Religio docet, in auxilium advocet. Unde refellitur et excluditur fatalismus ille, qui hodiernam phrenologiam deturpat, eamque Religioni ac societati ipsi infensam reddit. (1)

ARTICULUS QUARTUS.

De objecto intellectus.

Dictum est supra, atque ipsa quoque interna experientia testatur, rationem communem entis, esse id quod primum ac semper intellectus noster concipit in quolibet objecto et actu. Ex quo facilè consequitur, ens nuncupari posse objectum intellectus, quatenus ab intellectu attingi aliqua ratione potest, quidquid habet vel habere potest rationem entis. Quam ob rem non improprie ajebant Scholastici, ens esse in communi objectum *extensivum* intellectus humani, prout, scilicet, hujus actio et cognitio, vel perfecta vel imperfecta, ad omne id quod habet rationem entis extendi potest.

At vero, præter hujusmodi extensivum ac generale objectum quod respondet capacitati et amplitudini, quæ intellectui humano congruit ex sua ipsa immaterialitate, ac ex sua veluti assimilatione et analogia cum intellectu Angelorum et Dei, eidem assignare oportet objectum aliquod quod respondeat ipsi, quatenus est talis determinata natura intellectualis, sive quatenus determinatum gradum perfectionis et activitatis intellectualis sibi vindicat. Unde sit.

THESIS.

Objectum proprium, directum ac quasi proportionatum intellectus humani in hac vita, sunt res seu naturæ sensibiles, sub forma universalitatis.

(1) Vide *Estudios sobre la Filosofía cit. lib. 1.º, cap. 11, 15, 16.*

Dixi, 1.^o *in hac vita*, quia hic non est sermo de cognitione supernaturali alterius vitæ, nec de cognitione, quæ animæ potest congruere post separationem a corpore ex viribus et conditione naturæ.

Dixi 2.^o *sub forma universalitatis*, quia ut in confesso est apud omnes et experientia testatur, sensibilia in universali percipimus per intellectum, dum sensus eadem prout singularia tantum attingunt.

Prob. 1.^o Objectum proprium ac veluti proportionatum intellectus humani illud esse oportet, a quo cognitio intellectualis originem ducit, quod activitatem intellectus potissimum movet ac excitat, eique sese offert et sistit tanquam materia erga quam frequentius operatur, et per quam objectivè perficitur: atqui sic se habent res sensibiles quoad hominis intellectum: ergo Min. prob. Quacumque tandem ratione explicentur origo et natura cognitionis intellectualis, hæc proculdubio non exoritur, evolvitur aut perficitur nisi dependentè a sensibus sensibilibusque objectis, experientiâ ipsâ docente: adeo ut, si sensus aliquis penitus deficiat, deficit quoque intellectualis cognitio circa objectum illius sensus. Ergo intellectus noster eatenus incipit operari, et operando evolvitur ac perficitur, quatenus convertitur ad naturas sensibiles per sensus perceptas memoriâ et imaginatione contentas, et representatas. Ergo hujusmodi naturæ sunt id ad quod primò et directè fertur intellectus, ipsas attingendo et percipiendo, non quidem prout in sensibilitate existunt et representantur, sed prout congruit propriæ naturæ, id est, sub conditione et forma universali; quamvis, semel sic perceptis hujusmodi rebus sensibilibus, possit postea per ulteriorem abstractionem, per comparisonem, reflexionem, ratiocinationem aliasve operationes, ad rationes purè immateriales et insensibiles, ut ad veritatem, justitiam, relationem, existentiam etc. atque ad objecta omnino spiritualia, ut sunt Deus et Angeli, assurgere.

Prob. 2.^o Objectum proprium, directum ac veluti specificum cujuslibet intellectus respondere debet naturæ intelligendi ac modo existendi ipsius: sed naturæ sensibiles prout cognoscibiles in universali constituunt objectum quod respondet naturæ animæ rationalis, quatenus est substantia intellectu prædita, ac simul respondet modo ac conditioni-

bus quibus existit: ergo. Utraque præmissa probatur simul ac declaratur pereurrendo singula intellectuum genera. Intellectus divinus, quia est substantia intellectualis non solum ab omni materia separata, sed etiam infinita in esse intelligibili, habet etiam pro objecto proprio ac specifico suam essentiam, quæ non solum est quid purè immateriale et intelligibile, sed est quid infinitum in ratione objecti intelligibilis; quandoquidem in ea et per eam Deus omnia, sive materialia, sive spiritualia, sive possibilia, sive realia videt et intelligit, seu potius videndo intelligit. Ubi vides, infinitatem ac perfectionem objecti intelligibilis in Deo respondere admissim infinitati ac perfectioni naturæ intelligentis in eodem; ac proinde existere exactissimam proportionem inter objectum proprium ac veluti specificum intellectus divini, et naturam et modum essendi ipsius intellectus divini.

Similiter, objectum proprium ac specificum intellectus angelici, «est substantia intelligibilis a corpore separata,» ut ait D. Thomas, per quam et per species sive ideas sibi naturaliter inditas, res alias, ipsaque sensibilia et materialia cognoscit. Ubi etiam vides, proportionem esse inter objectum proprium, et naturam ac modum essendi angeli. Nimirum, quia est substantia vel natura intellectualis, ab omni corpore independens et separata, habet pro objecto proprio naturam a corpore penitus separatam, id est, substantias spirituales a corpore separatas: quia tamen simul est natura intellectualis finitæ perfectionis, nec omnes substantias spirituales, seu a corpore separatas, perfectè intelligit, nec omnia intelligit, sicut Deus, nec ipsa quæ intelligit, omnia immediate et per propriam substantiam, sed quædam mediatè seu per ideas intelligit. Jam ergo, quoniam rationalis anima, quamvis simplex et immaterialis substantia in seipsa sit, atque facultates quasdam habeat, quæ corporeo organo non utuntur, nec infinitæ perfectionis est, ut Deus, nec a corpore omninò separatur, sed potius ipsi unitur quoad esse substantiale; ejus objectum proprium sunt res sensibiles, prout a materiæ conditionibus abstractæ et universalitate indutæ; ut hæc ratione exacta evadat proportio inter objectum intelligibile et naturam intelligentem in homine, non secus ac in Deo et angelis. Quatenus intellectus humanus est, vis quæ inest substantiæ immateriale et intelligibili in seipsa, estque facultas quæ

non ulitur organo corporeo, ei respondet objectum quod participet conditiones immaterialitatis et universalitatis: quatenus est facultas quæ inest substantiæ naturaliter et intimè corpori seu materiæ conjunctæ, ei respondet objectum in materia existens.

Res eadem ostenditur ex factis conscientiæ, præter ea quæ in prima probatione allata sunt. Siquidem, ex sensu intimo habemus, nihil nos cogitare posse, quin simul exoriantur representationes sensibiles objectorum, quæ cogitationem intellectus comitantur, etiam dum circa res et rationes purè spirituales versantur. Undenam autem hoc psychologium ac constans phænomenum originem ducit, et quæ ejus ratio reddi potest, nisi quia intellectus noster ex ipsa conditione ac modo existendi, quem obtinet per unionem cum corpore, naturaliter et quasi sponte ad sensibilia convertitur? Unde et valdè philosophicè habet D. Thomas: (1) «Anima humana corpori unita, aspectum habet ex unione corporis ad inferiora directum.»

Corollaria.

1.^m Ergo doctrina qua adstruitur objectum proprium et directum intellectus humani pro statu præsentis vitæ esse res sensibiles, vera est, sive *a priori*, sive *a posteriori* spectetur; quandoquidem prima et tertia ratio, *a posteriori* procedunt; secunda vero, *a priori* dici potest, utpote ex ipsa natura et modo existendi intellectualis substantiæ educta.

2.^m Ergo verum, non secus ac ens, nuncupari potest objectum extensivum sive adæquatum intellectus humani. Etenim, cum verum transcendentale, de quo hic est sermo, convertatur seu identificetur cum ente, cui solam addit relationem rationis, consequitur plane, verum meritò dici posse objectum intellectus, eadem ratione et eodem sensu, ac ipsum ens.

3.^m Colligere etiam pronum est ex hucusque disputatis, immaterialitatem esse quasi radicem, rationem sufficientem et mensuram tam intelligibilitatis, quam intelligentiæ. Intelligibilitatis quidem; tum quia res materiales eadèntem intelligibiles et proportionatæ nostro intellectui redduntur, quate-

(1) QQ. Disp. De An. art. 17.

nus a conditionibus materiæ separantur per operationem abstractivam, et quatenus objectivè continentur in speciebus sive ideis immaterialibus; tum etiam quia quo objectum ali-quod est magis a materia remotum, ut Deus, ratio entis, bonitas, causa, etc. eò est magis intelligibile in se ipso et ex seipso. Intelligentiæ item; quoniam videmus gradum et vim intelligendi in qualibet substantia respondere gradibus et conditioni ipsius immaterialitatis. Sic Deus, qui, utpote purissimus actus, non solum materiam, sed potentialitatem, quæ cum materia quamdam habet affinitatem, a se penitus excludit, summam ac infinitam obtinet intelligentiam. Angelus, qui immaterialis substantia est ab omni materia quoad esse et operari independens et nulli corpori conjuncta, sed quæ tamen potentialitatem et imperfectionem continet, atque proinde affinitatem quamdam cum materia, intelligendi vim sibi vindicat infra Deum, sed supra hominem. Tandem rationalis anima, quæ immaterialis quidem est quoad substantiam, sed tamen corpori quoad esse conjungitur, ab eoque quadantenus pendet, intelligendi vim ac potentiam obtinet, quæ non parum proculdubio distat, non solum ab intelligentia divina, sed etiam angelorum. Scite ergo ac philosophicè locutus est D. Thomas, dum scripsit, quod immaterialitas alicujus rei est ratio, quod sit cognoscitiva; et secundum modum immaterialitatis est modus cognitionis. (1)

SCHOLIUM.

Atque hæc quidem doctrina, quam non semel, sed sæpius docet D. Thomas, majoris est momenti quam vulgo existimatur; ex ea namque pendet, ad ipsam refertur, atque nexum cum ea habet idealogia tota ferme, quanta est. Opinio quippe quam quisque amplectitur circa objectum proprium intellectus, determinat quoque ejus idealogicam theoriam. Sic ex. c. quia Plato assignavit pro objecto proprio intellectus ideas rerum a materia separatas ac per seipsas universales, pronum jam erat docere, ut docet quoad idealogiam, intellectum

(1) Sum. Theol. 1.^a P., q. 14, art. 4.^o

agentem non existere, ideas rerum naturaliter inditas esse homini, originem et naturam cognitionis intellectualis per simplicem reminiscentiam explicandas esse, cum aliis hujusmodi pronuntiatis, quorum plurima ipsius posteriores sectatores, Neoplatonici, Mallebranche, Gioberti cum aliis, amplexati sunt. Ipsemet quoque Leibnitz, quia semel objectum proprium intellectus in ipsa animæ substantia universum representante collocavit, Platonis ideologica placita partim amplecti coactus est, atque ad ejusdem reminiscentiam accessit per suam *apperceptionem*, ut originem et naturam cognitionis intellectualis exponeret.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.^o Docente ipso D. Thoma, «unumquodque cognoscibile est, in quantum est actu;» atqui res est actu per esse, ac proinde sub ratione entis quæ dicitur per ordinem ad esse: ergo res est cognoscibilis per intellectum in quantum est ens, quod proinde «est objectum proprium intellectus» ut ipsemet D. Thomas concludit.

Resp. Dist. maj. Unumquodque cognoscibile est in quantum est actu, *quatenus ratio communis entis est conditio sine qua non omnis cognitionis intellectus humani, conc. quatenus ens sit objectum proportionatum, directum ac connaturale præfati intellectus, neg.* Itaque res omnes, cujuscumque sint naturæ, intellectui objici possunt, eo ipso quod participant rationem entis, quæ est veluti forma generalis et primitiva intellectus; attamen ex hoc minime consequitur, res omnes equaliter ad intellectum hominis comparari seu referri, sed sunt quædam ex ipsis, ad quæ ex propria specifica natura, atque ex conditione præsentis status fertur spontaneo motu, quasi ad objectum connaturale et sibi proportionatum; suntque, ut diximus, res seu naturæ sensibiles. Cæterum, dum D. Thomas vocat ens objectum proprium intellectus, sumit proprium pro adæquato; nos vero sumimus in thesi pro proportionato sive connaturali.

Objic. 2.^o Objectum imaginationis est quid singulare; sed objectum intellectus in hæc vita est id quod continetur in imaginatione; quinimo D. Thomas ipse ait quod «objectum intellectus... offertur a virtute imaginativa:» ergo.

Resp. Dist. min. Continetur et offertur a virtute imaginativa, *quoad naturam ipsam quæ intelligitur, conc. quoad modum et conditionem sub qua intelligitur, neg.* Res igitur sensibilis in phantasmate sive representatione imaginationis continetur atque offertur intellectui; sed hic eam actu non percipit nisi prout subest formæ universalitatis. Quod ergo imaginatio intellectui offert, potius est materia objecti, quam objectum ipsum intellectus, unde ipsemet D. Thomas ait, quod «quasi materialiter administratur, vel offertur a virtute imaginativa.»

ARTICULUS QUINTUS.

De intellectu agente et possibili.

§ I.

Necessitas et notio intellectus agentis et possibili in genere.

«Homo autem, ut loquitur D. Thomas (1), est perfectissimus inter omnia inferiora moventia; ejus autem propria et naturalis operatio est intelligere, quæ non completur sine passione quadam, in quantum quilibet intellectus patitur ab intelligibili; nec etiam sine actione, in quantum intellectus facit intelligibilia in potentia, esse intelligibilia in actu. Oportet igitur in natura hominis esse utriusque proprium, scilicet, intellectum agentem, et possibilem; et neutrum secundum esse ab anima hominis separatum esse.»

«Naturæ rerum materialium, subdit alibi (2), quas nos intelligimus, non subsistunt extra animam immateriales et intelligibiles in actu, sed sunt solum intelligibiles in potentia extra animam existentes. Et ideo oportuit esse aliquam virtutem, quæ faceret illas naturas intelligibiles actu: et hæc virtus dicitur intellectus agens in nobis.»

«Cum mens nostra, addit (3), comparatur ad res sensibi-

(1) *Sum. cont. Gent. lib. 2.^o, cap. 76.*

(2) *Sum. Theol. 1.^o P., q. 54, art. 4.^o*

(3) *QQ. Disp. De Verit. q. 10.^o, art. 6.^o*

res, quæ sunt extra animam, invenitur se habere ad eas in duplici habitudine. Uno modo, ut actus ad potentiam, in quantum, scilicet, res quæ sunt extra animam, sunt intelligibiles in potentia...; et secundum hoc ponitur intellectus agens. Alio modo, ut potentia ad actum, prout, scilicet, in mente nostra formæ (naturæ) rerum determinatæ, sunt in potentia tantum, quæ in rebus extra animam sunt in actu; et secundum hoc ponitur in anima nostra intellectus possibilis, cujus est recipere formas (species vel ideas) a rebus sensibilibus abstractas. Quod quidem lumen intellectus agentis procedit, sicut a prima origine, a Deo. Et secundum hoc verum est, quod scientiam a sensibilibus mens nostra accipit. Nihilominus tamen, ipsa anima in se similitudines (ideas) rerum format, in quantum per lumen intellectus agentis efficiuntur formæ a sensibilibus abstractæ intelligibiles actu, ut in intellectu possibili recipi possint.»

«Duorum intellectuum, concludit tandem (1), scilicet, possibilis, et agentis, duæ sunt actiones. Nam intellectus possibilis, est recipere intelligibilia; actio autem intellectus agentis abstrahere intelligibilia. Nec tamen sequitur quod sit duplex intelligere in homine; quia ad unum intelligere, oportet quod utraq; istarum actionum concurrat.»

Ut quisque facile pervidet, verba hæc, quæ D. Thomas centies in suis operibus repetit atque evolvit, continent ejus veluti theoriam generalem circa intellectum agentem et possibilem, quæ proinde ad sequentia capita breviter potest revocari:

1.° Sensibiles res seu naturæ (*formæ* appellantur frequenter a D. Thoma) quæ, ut supra diximus, sunt veluti objectum proportionatum et connaturale nostri intellectus, quæque, ut plurimum, et frequentius ipsi nunc objiciuntur, ex seipsis et quatenus *entia* quædam sunt, *intelligibiles* sunt; et vicissim intellectus noster eas intelligere valet. At vero, quia ipsæ prout extra animam existunt, sub forma singularitatis existunt; et ex alia parte, intellectus noster easdem percipit ac cognoscit sub forma universalitatis, consequitur plane

(1) QQ. Disp., De Ani. art. 4.°, ad 8.

præfatas naturas, si spectentur prout in se et extra animam existunt, *potentiam* quidem habere ad hoc ut intelligantur, sed de facto et actu per intellectum percipi non posse, nisi formam universalitatis induant, qua fiunt *intelligibilia actu* per intellectum, cum antea solum essent *intelligibilia in potentia*, ut loquamur cum D. Thoma.

2.° Quod si hujusmodi res prout in se sunt, de facto et actu per intellectum non percipiuntur, nisi quatenus subsunt conditioni universalitatis; ergo agnoscere oportet necessario aliquod *agens*, cujus vi et actione res seu naturæ sensibiles ex singularitate ad universalitatem transeant, ex intelligibilitate in potentia ad intelligibilitatem actualem deducantur et perveniant.

3.° Jam vero, quoniam per se notum est, agentem causam, vel superioris, vel saltem æqualis naturæ cum effectu esse, evidens fit omnino, quod agens istud, actualem intelligibilitatem ac formam universalem objectis materialibus ac sensibilibus tribuens, nec virtus ulla seu causa materialis certe esse potest, nec etiam ulla virtus seu potentia sensitiva, quæ ad materialia tantum et singularia vim suam porrigit. Igitur *agens* istud aliud esse non potest, nisi *agens* ordinis intellectualis; ac proinde adserere oportet esse ipsum lumen intellectuale, seu intelligentiam hominis, nisi cum Averroë velimus dicere, *intellectum agentem* esse rem ab homine separatam, vel cum Cousin, esse *rationem impersonalem*, vel cum Mallebranche et Gioberti, esse ipsam *rationem Dei*.

4.° Itaque *intellectus agens*, nihil est aliud quam ipsemet intellectus humanus, quatenus superioritate et activitate supra sensus et sensibilia præditus existit ex ipsa sua natura. Facultas namque intelligendi quæ nobis inest, utpote participatio quædam luminis divini ejusque infinitæ activitatis; utpote impressio divinarum idearum; denique, utpote facultas pure spiritualis ac quasi divina, materialia omnia ac sensibilia transcendens; vim habet efformandi per abstractionem a representationibus imaginationis ideas intelligibiles, sive representationes intellectuales, (similitudines rerum apud D. Thom.) quibus objectum formam universalem induit ac intelligibile actu evadit.

5.° Quo semel facto, objectum utpote intelligibilitate proxima et actuali jam donatum, ac forma universali induit.

tum, menti seu potentiae intellectuali conjungitur, in ipsa recipitur; ac per eandem percipitur et cognoscitur. Atque per hoc et propter hoc intellectus *possibilis* nomen et rem sibi vendicat. Unde

6.° *Possibilis* denominatio tribuitur et congruit nostrae intelligentiae praesertim propter duo: 1.° quatenus nullam objectorum repraesentationem actu in se praehabens, omnes tamen *potest* in se recipere: 2.° quatenus res omnes, cujuscumque tandem sint generis, percipere aliqua ratione *potest*, eo ipso quod ejus adaequatum objectum est ens. Habet igitur *intellectus possibilis*, ex una parte activitatem universalem, quia omnia potest percipere; ex alia, quasi *receptivitatem* universalem, quia res cunctas secundum esse intentionale, repraesentativum et objectivum in se recipere potis est.

7.° Denique, hoc nomen *intellectio*, si accipiatur, ut vere communiter accipitur, pro actu quo intellectus percipit ac cognoscit objectum, congruit solum intellectui possibili; actus siquidem proprius et peculiaris intellectus agentis est abstrahere atque efformare ideas intellectuales, (*species intelligibiles, species impressas, similitudines rerum*) vel generatim, hujus actus est efficere objecta *intelligibilia actu* communicando ipsis formam universalitatis sub qua per intellectum nostrum cognoscuntur. Ast vero, si *intellectio* adaequate accipiatur, pro omni eo quod ex parte intellectus ad cognitionem objecti progignendam requiritur, tunc et actum intellectus agentis, et actum intellectus possibilis simul complectitur, quia, ut merito adnotavit D. Thomas, «ad unum intelligere, oportet quod utraque istarum actionum concurrat.»

§ II.

De existentia intellectus agentis.

Quamvis ex his quae in superiori paragrapho delibavi, satis superque constare videatur necessitas ac proinde existentia intellectus agentis, juvat hanc directe statuere, cum de re agatur, quae majoris est momenti quam vulgo existimetur, quaeque a philosophis hodiernis frequenter in dubium revocatur. Unde sit,

THESIS.

Existit in homine intellectus agens, qui intelligibilitatem actualem rebus sensibilibus communicat, quae intelligibilitas per abstractionem idearum perficitur.

Thesis duas complectitur partes juxta duplicem significationem, quae huic voci *intellectus agens*, attribui potest. Namque *intellectus agens*, lato sensu acceptus, nuncupari vere potest facultas seu vis illa, qua sensibilia et materialia objecta habilia redduntur ad hoc ut per intellectum nostrum modo sibi connaturali et proprio, id est, in universali percipiantur, sive ut aptissime D. Thomas habet, qua objecta intelligibilia tantum in potentia, actu intelligibilia redduntur, nihil determinando circa modum et rationem, quibus haec actualis intelligibilitas objectis communicatur, sive id fiat per abstractionem et formationem idearum, sive non.

At sensu magis stricto accipi potest *intellectus agens*, prouti accipiebant, ut plurimum, Scholastici; videlicet, pro quadam vi et facultate activa nostri intellectus, qua ad phantasmata imaginationis se convertens, ac eadem potentissima sua vi quasi transmutans, elicit ex iisdem ideas, quae objectum reale absque singularitatis conditionibus menti repraesentant atque objiciunt.

Dixi *rebus sensibilibus*; quia quamquam intellectus agens aliquatenus influat et determinat cognitiones intellectuales circa objecta pure spiritualia, puta Deum et angelos, ut mox dicemus, ejus tamen actio praecipue, frequentius et apertius circa sensibilia locum habet, circa quae etiam sensibilia, maxima pars nostrae cognitionis intellectualis versatur, atque ex ipsis eruitur. Siquidem, ipsemet conceptus universalissimi, ut notio veritatis, bonitatis, malitiae, justitiae, etc. ex actibus sensibilibus et singularibus, veris, bonis, malis, etc. eliciuntur per rationis abstractiones et praecisiones. Quibus praelibatis.

Prob. 1.°, pars. Ratione, sensu communi philosophorum omnium, ac demum experientia ipsa quotidiana, testibus, intellectus uoster dum res sensibiles percipit et cognoscit, eas sub forma universalitatis percipit ac cognoscit: ergo objectum intellectus eatenus actu percipitur ac cognoscitur

a nobis cognitione intellectuali, quatenus subest forma universalitatis. Subsumo: atqui hæc forma universalitatis, qua objectum singulare et sensibile habile reddit ut actu et de facto ab intellectu percipiatur, nonnisi per ipsam virtutem seu facultatem intellectualem hominis in objecto produci ac determinari potest: ergo existit in nostra intelligentia virtus et potestas ad id perficiendum. Atqui intellectus agens nihil aliud est in seipso, quam activitas quædam intellectualis, qua efficitur ut natura sensibilis singularitatem exuat et universalitatem induat ut hac ratione objectum actuale intellectus evadat: ergo quicumque admittit naturas seu res sensibiles sub ratione universali per intellectum percipi, admittere quoque omnino cogitur intellectum agentem priori sensu acceptum. Porro formam universalitatis, ac proinde actualiorem intelligibilitatem nonnisi per ipsum intellectum naturæ sensibili tribui posse, vel ex eo satis constat, quod universalitas ista, nec naturæ sensibili ex se congruit, cum ex seipsa et prout extra animam existit singularitatem et individuationem sibi vendicat; nec per ullam potentiam sensitivam communicari potest, cum quælibet sentiendi facultas singularia tantum representet ac percipiat, experientia ipsa teste.

Scio equidem Balmes, Cuevas cum aliis, hodiernæ philosophiæ auribus blandientes, intellectus agentis necessitatem et existentiam inficari, eo quod ideæ intellectuales sint ipsamet perceptio sive actio intellectus, qui, apud ipsos, sensibilia objecta in representationibus imaginationis immediate capit et percipit, vel in unitate conscientiæ *ego*, ut Balmes autumat. Ast, scio quoque, oppido et vehementer in re hæc illos falli, non solum quia, ut mox dicemus, probabilis est ideæ et conceptus intellectuales ab actione intellectus distinguui, sed etiam et maxime, quia præfata hypothesi data, semper verum erit, intellectum nostrum sensibile ac singulare objectum, sive in conscientia, sive in phantasia existens et præsens, actu non percipere vel cognoscere, nisi accipiendo ipsum ut universale, ac proinde nisi prius natura, quamvis simul tempore, spoliaret ipsum singularitate quacum in sensu existit et representatur.

Uno verbo: quoniam nihil actu intelligitur, nisi prius natura intelligibile actu sit per universalitatem; et quoniam hæc actualis intelligibilitas per universalitatem objectum,

nec habet ex seipso extra animam, nec eam a sensibilitate recipere potest, ipsi proculdubio communicatur ac in eo determinatur per actionem intellectus; atqui nihil aliud est intellectus agens generatim acceptus, quam vis communicandi et determinandi in objecto sensibili et singulari formam universalem, per quam capax fit et habile redditur ad hoc ut per intellectum percipiatur, et sub qua et propter quam cognitioni intellectuali subicitur: ergo nisi cum ontologis dicamus cognitionem intellectualem hominis per ideam innatas haberi, vel ex ratione et ideis divinis effluere immediate, cogimur penitus admittere, intellectum agentem; nec enim aliter ratio sufficiens reddi potest cognitionis humanæ, prout ex sensibilibus et sensibus originem ducit.

Prob. 2.^a pars 1.^o Ex ipso sensu intimo quo in nobis experimur, ex sensibilibus representationibus, nos eruere representationes rerum materialium absque singularitate, quarum ope hujusmodi objecta ut universalia menti sistimus, ac intellectu percipimus, obvolvimus et meditatur. Unde egregie et merito D. Thomas sermonem faciens de hac virtute activa, qua ideam, vel species universales ex phantasmatis abstrahimus, subdit: «Et hoc experimento cognoscimus (1), dum percipimus nos abstrahere formas universales a conditionibus particularibus, quod est facere actu intelligibilia.» Quicumque porro ad seipsum reversus rationem operandi nostræ mentis serio percipiat, animadvertet protinus, elaborationem quamdam idearum universalium ex sensibilibus in nobis adesse, ex qua et per quam in cognitionem intellectualem rerum materialium devenimus, «non enim aliter, inquit ipsemet D. Thomas, in notitiam harum actionum, (intellectus agentis et possibilis) venissemus, nisi eas in nobis experimemur (2).»

Præterea: in memoria sensitiva et imaginatione existunt et conservantur imagines seu phantasmata rerum corporaliū, quibus utimur dum volumus: ergo in intellectu, qui proculdubio virtus est superior ac nobilior imaginatione, admittendæ sunt ideæ sive species objecta intelligibilibus re-

(1) Sum. Theol., 1.^a S., q. 79, art. 4.^o

(2) Sum. cont. Gent. L. 2.^a c. 76.

presentantes, sicut in imaginatione sensibiliter tantum et singulariter representantur.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicies 1.^o Idem dicere oportet de sensu ac de intellectu, cum utraque facultas cognoscendi sit; sed non datur sensus agens: ergo.

Resp. Dist. maj. Idem dicere *servata proportione et habita ratione naturæ propriæ* utriusque, conc. *secus*, neg. Et neg. cons. et paritatem. Equidem sensus, utpote potentia, aliqua ratione materialis, et facultas utens organo corporeo, moveri et affici potest immediate ab ipsis objectis sensibilibus et materialibus: at intellectus, utpote vis pure spiritualis, inorganica ac fere divina, a conditione materiæ, sensibilitatis et individuationis nimis secernitur, ut ab eis affici immediate queat, aut eadem, in se immediate recipere objective, ut intelligantur. Unde indigent prius quasi *spiritualizari*, (venia sit verbo) et elevari ad ordinem pure intelligibilem per formam universalitatis, quæ est forma connaturalis cognitionis intellectualis in homine.

Instabis cum Balmes. Ideo juxta Scholasticos requiritur intellectus agens, quia sensibilia nequeunt immediate conjungi intellectui, qui est virtus pure spiritualis ac superioris naturæ et ordinis; atqui hæc ratio nulla est, cum intellectus agens etiam sit virtus pure spiritualis ac superioris ordinis: ergo.

Resp. omisa maj. neg. min. Intellectio namque, ut dixi, non per agentem, sed per possibilem intellectum perficitur et completur; atque intellectio hæc receptionem objecti percipiendi prærequirit, saltem prioritate naturæ; unde intellectus possibilis, qua talis et quatenus receptivitatem objecti intelligibilis includit, est potentia passiva; quo sensu docet etiam merito D. Thomas, quod *intelligere est quoddam pati*. Jam vero, quamvis detur repugnare ens superius recipere et pati ab inferiori, ac proinde intellectum, qua possibilem, a re sensibili, at minime repugnat ens superius *agere* in inferiori, ut videre licet in Deo ex. c. qui quamvis nihil a creaturis nec corporibus recipiat nec patiatur, at in ea proculdubio agere potest. Similiter ergo, licet intellectus humanus

ex ea parte qua passivus est sensibilibus representationibus immediate nequeat conjungi, bene tamen potest istis conjungi *agendo* et operando ad determinationem formæ universalis, qua constituitur objectum immediate recipiendum in intellectu, ac intellectuali cognitione cognoscendum.

Omissi majorem, quia non est hæc unica ratio necessitatis intellectus agentis, ut Balmes supponit. Atque, ut alia præteream, exigitur ut intelligibilitatem actualem objecto tribuat, simulque ut per species sive ideas universales in representando, possibilis intellectus determinetur objective ad proprium actum.

Obj. 2.^o Saltem intellectus agens, nequit esse facultas propria, vel inhærens animæ, sed Deus ipsemet, vel substantia aliqua separata: ergo. Prob. ant. Intellectus agens, ex dictis ex mox dicendis, est principium efficiens intellectualis cognitionis, quæ præsertim constituitur, et constat veritatibus necessariis; atqui facultas, qua hujusmodi veritates adsequimur, debet esse una et eadem in singulis hominibus, cum omnes consentiant in cognitione veritatum necessariarum; et similiter, eadem sunt in omnibus ideæ intellectuales quibus hujusmodi objecta et veritates percipimus: ergo intellectus agens per quem ad hujusmodi veritates pervenimus, ac ideas horum objectorum acquirimus, oportet quod sit aliquid extra animam existens, ac proinde, vel substantia separata Averroistarum, vel ratio impersonalis Cousin et ejus asseclarum.

Resp. Conc. ant. et maj. dist. min. Facultas etc. debet esse una et eadem *specie*, conc. *numero*, neg. Itaque ex eo quod veritates necessariae, immutabiles, et universales ab omnibus et singulis hominibus intelligantur, optime infertur facultatem intelligendi esse eandem specie in hominibus, sive facultas hæc accipiatur pro intellectu agente, sive pro possibili, sive pro utroque simul: siquidem facultas hæc, utpote participatio luminis increati ac impressio divinarum idearum, continet vim ad præfatas veritates capessendas, quæ vis similis quidem, at non eadem numero inest omnibus hominibus.

Obj. 3.^o Intellectus agens est principium, quod cognoscimus indeterminatum et universale: ergo nequit esse aliquid *personale*, seu proprium hominis. Prob. cons. Id quod

est determinatum et singulare, nequit esse principium cognitionis indeterminatæ et universalis; sed si intellectus agens est quid *personale*, sive vis formaliter inhærens animæ est aliquid singulare: ergo.

Resp. Neg. cons. Ad prob. dist. maj. Si sit determinatum et singulare tam quoad *esse*, quam quoad *potentiam*, conc. si sit determinatum et singulare quoad *esse*, non vero quoad *potentiam*, neg. Intellectus ergo noster non secus ac ipsa anima cujus perfectio est, in seipso, et quoad *esse* est aliquid singulare; quoad tamen nihil obstat quominus ipsius potentia et vis cognitrix intelligibilis ordinis, qui super omnia materialia et singularia sensibilia elevatur, non tantum universalis et quodammodo indeterminata, sed fere infinita sit, quippe quæ ad omne ens porrigitur.

Posset etiam dici, quod intellectus est potentia determinata et singularis, si spectetur *subjective*, et prout quædam vitalis facultas animæ; est vero indeterminata et universalis, si spectetur *objective*, et prout facultas intelligens seu intelligibilis ordinis.

Quæres 1.º ¿Quodnam sit munus proprium intellectus agentis?

Resp. Munus proprium intellectus agentis, generatim loquendo, est communicare intelligibilitatem actualem rebus sensibilibus et singularibus, eas reddendo, vel sistendo intellectui possibili sub forma universalitatis, ut per ipsum percipi queant. Sed tamen

Quæres 2.º ¿Quanam ratione id efficiat intellectus agens?

Resp. Per abstractionem specierum sive idearum intelligibilium, quæ naturam percipiendam, intellectui sistant vel representent absque singularitate. Hæc duo pronuntiata certa et indubia esse oportet, apud philosophum quemcumque, qui ideas innatas rejiciat, sicut certa et indubia sunt apud D. Thomam, qui constanter et perpetuo docet intellectum agentem efficere et reddere intelligibilia actu per abstractionem specierum sive idearum intelligibilium, sensibilia objecta, quæ ex seipsis et prout in sensu existunt, sunt intelligibilia tantum in potentia. Sed

Quæres 3.º ¿In quo consistat, sive quomodo perficiatur hujusmodi abstractio specierum?

Resp. Id nec facile explicari potest, nec inter se conve-

niunt quoad hoc ipsimet, qui necessitatem et existentiam intellectus agentis conceptis verbis agnoscunt et propugnant. Quod attinet ad D. Thomam, frequentius docet hanc abstractionem fieri quatenus intellectus agens, ex vi sibi insita, efformat species intelligibiles spirituales, atque a phantasmatis imaginationis penitus distinctas: non desunt tamen loca in quibus docere videtur hanc abstractionem fieri, quatenus intellectus agens in ipsa representatione imaginationis, facit apparere, et sistit intellectui possibili naturam ibi contentam vel representatam, absque eo quod appareant conditiones singularitatis. Docet etiam frequenter D. Thomas, phantasmata prædicta *illuminari* ab intellectu agente, quæ *illuminatio* videtur esse apud ipsum, quasi præparatio quædam ab abstractionem idearum; siquidem per illam redduntur «habilia ut ab eis intentiones intelligibiles abstrahantur.»

SCHOLIUM.

Docet Rosmini, illuminationem phantasmatum, de qua D. Thomas loquitur, in eo sitam esse quod intellectus agens ideam *entis possibili* sibi innatam applicat et accommodat representationibus illis imaginationis, ex quo universales et intelligibiles actu redduntur. Quæ Rosmini opinio ingeniosa quidem est proculdubio, sed tamen gratuita, cum tota innitatur hypothese ideæ innatæ entis possibili, quæ a D. Thoma rejicitur.

§ III.

De intellectu possibili.

Ut jam supra innuimus, hominis intellectus, quatenus vim obtinet recipiendi in se ideas intelligibiles sive representationem objecti, ut *universalis*, ipsumque per has ideas percipiendi, nuncupatur *intellectus possibilis*, cujus natura, attributa et actus, summam et compendio sic exponi queunt.

1.º Quoniam rationalis mens, ut postea demonstrabitur, nullas rerum ideas per naturam insitas actu et explicite habet, merito dici potest cum D. Thoma, *pura potentia in or-*

dine intelligibili; quæ potentialitas menti ratione intellectus possibilis congruit, non quidem eo quod iste nullam activitatem absolute sibi vendicat, sed quia caret activitate et vi ad acquirendas et producendas ideas, quæ objectum intelligibile actu reddunt per repræsentationem universalem (*species intelligibiles, species impressæ*), id enim spectat ad intellectum agentem.

2.° Nihilominus, semel in actu factus per hujusmodi ideas, et postquam per easdem objectum percipit et cognoscit ipsius notionem vel conceptum (*ideam expressam*) sibi efformando, jam potest per reflexionem, analysim, et comparisonem horum conceptuum, ideas alias sibi efformare et acquirere, quibus vel partem objecti antea cogniti vel ipsum sub majori, vel minori universalitate, sibi repræsentat et intelligit.

3.° Possibilis ergo intellectus est simul potentia passiva et activa. Est potentia passiva, 1.° quatenus ideas, vel potius objecta quæ intelligit, nec in seipso habet, nec ex seipso acquirit, sed a sensu per intellectum agentem: 2.° quatenus actio intelligendi, utpote immanens, in ipso recipitur. Est potentia activa, quatenus dicit actionem intelligendi objectum, quæ vera et vitalis est ipsius actio. Intellectualis namque cognitio objecti, sive per simplicem perceptionem, sive per judicium, sive per discursum et ratiocinationem peragatur, ad intellectum possibilem spectat.

4.° Ex quibus colligi facile potest, quare hujusmodi intellectus dicatur *possibilis*, atque etiam *pura potentia*. Dicitur *possibilis*, quia potest, et omnes ideas recipere, et omnia entia intelligere. Dicitur *pura potentia*, quia initialiter nullam ideam nullumve objectum intelligibile prout intelligibile in seipso possidet, sed nudam facultatem seu vim intelligendi. Dico prout *intelligibile*, quia quamvis ipsemet intellectus sibi ipsi præsens sit, at intelligibilis actu non evadit quoad nos, nisi dum actum elicit circa objectum aliquod ab intellectu ipso distinctum; quandoquidem potentiam intellectualem in actu et per actum intelligendi agnoscimus et inuenimus.

5.° Falluntur ergo vehementer, atque a D. Thomæ doctrina discedunt in re hac: 1.° qui intellectum *possibilem* cum intellectu *passivo* confundunt; hic namque apud Scholasti-

cos et D. Thomam, pro cogitativa communiter accipitur: 2.° qui *possibilem* intellectum nullam activitatem includere existimant, ipsumque habent tanquam puram *receptivitatem* idearum in anima: 3.° qui putant omnem abstractionem idearum pro objecti intellectione perfici per solum intellectum agentem; etenim, ut jam innui, intellectus possibilis potest objecta semel cognita, vel conjungere, vel dividere per comparisonem, analysim, reflexionem et præcisiones, ac proinde sibi ea sistere et repræsentare quasi sub nova forma novoque gradu universalitatis. (1)

CAPUT QUARTUM.

DE FACULTATÉ APPETITIVA.

Quotidianâ experienciâ compertum habemus, nos dum objectum aliquod percipimus, ad eum motu quodam interiori ferri, si ut bonum percipiatur; vel ipsum intus aversari, si ut malum apprehendatur. Facultas seu vis qua hosce actus elicimus, dicitur *appetitus*, denominatione sumpta ab actu quo bonum prosequimur; is namque ordine et naturâ cæteris præstat, simulque est quasi ratio sufficiens aversionis; siquidem malum eatenus fugimus et aversamus, quatenus et quia bonum ejus contrarium prosequimur et desideramus.

ARTICULUS PRIMUS.

De appetendi facultate generatim spectata.

Si universim et latiori sensu accipiatur appetendi facultas, definiiri potest cum D. Thoma: *Inclinatio rei et ardo ad aliquam rem sibi convenientem*, hoc est, ad bonum vel perfectionem propriæ naturæ consentaneam. Quæ definitio non solum congruit appetendi facultati propriè sumptæ, quæ ap-

(1) Circa intellectum agentem et possibilem vide *Estudios sobre la filosofia* etc., lib. 5.°, capp. 6.°, 7.°, 8.°, 9.°, 12.° et passim.

petitus elicitus nuncupatur, sed etiam appetitui qui simpliciter naturalis recte audit, nec aliud est quam propensio vel inclinatio, qua res quælibet, etiamsi cognitione destituatur, ad bonum sibi consentaneum, tanquam ad finem sponte tendit: enimvero, quamvis illæ bonum illud non cognoscant, at cognoscit naturæ auctor, Deus, qui easdem in bonum illud tanquam in proprium finem ordinat. Quod si de appetitu elicto hominis sive appetendi facultate, prout vis quædam animi existit, sermo sit, definiri potest: *Facultas vitalis qua homo bonum prosequitur et malum aversatur.*

Sed quoniam, ut innui, huiusmodi prosecutio et aversatio perceptionem objecti consequuntur, ex qua proinde dependent et cui commensurantur, duplicem distinguere oportet appetendi facultatem, juxta duplicem cognoscendi facultatem quæ in homine reperitur. Itaque appetendi vis, quæ sensus perceptionem consequitur, et cujus ope eliciuntur actus quibus homo prosequitur bonum vel aversatur malum prout sensu apprehenduntur, dicitur a philosophis *appetitus sensitivus*. Facultas vero seu vis, quæ intellectualem cognitionem consequitur, et in objectum fertur, quatenus intellectu apprehensum, merito dicitur appetitus *rationalis*, seu *intellectualis*, frequentius autem et proprio nomine *voluntas*. Porro, cum sensitivus appetitus consequatur sensuum perceptionem, quæ in brutis reperitur, ipsis quoque congruere necessum est.

Ex his inferitur, rem *bonam* seu bonitatem esse id, in quod fertur appetendi facultas; apprehensionem vero seu perceptionem *boni* esse conditionem necessariam appetitionis: unde effatum in Scholis tritum: *nihil volitum quin præcognitum*. Bonum in quod appetendi vis ferri potest, vel est *metaphysicum*, vel *physicum*, vel *morale*.

a) *Metaphysicum*, quod transcendentale quoque audit, est ipsa entitas rei quatenus convenientiam seu coaptationem dicit cum appetitu, vel aliter: est ipsum ens, prout capacitatem habet ut appetatur.

b) *Physicum*, est illud quo ens perficitur perfectione seu realitate aliqua naturali et physica. Sic sanitas, quæ homo bene valet, scientia medicinæ, ars pingendi, ejusdem perfectiones seu bona physica habentur.

c) *Morale*, est illud quod appeti potest, quatenus confor-

mitatem seu adæquationem habet cum recta ratione atque reliquis morum regulis, ut justitia, cultus Dei. Quod morale bonum non differt a primo membro alterius divisionis, qua bonum, in *honestum*, *utile*, et *delectabile* dividitur. Etenim, bonum

d) *Honestum*, est illud quod ex sui natura ita subjicitur regulis morum seu ordini morali, ut appetibile sit ex seipso per rectam rationem; vel, ut Cicero loquitur; «quod tale est, ut detracta omni utilitate, sine ullis præmiis fructibusque per seipsum possit jure laudari.»

e) *Utile* bonum, est illud quod appetitur ut medium ab bonum aliud adipiscendum, ut dum quis medicinam appetit propter sanitatem acquirendam.

f) *Delectabile* dicitur bonum, quod dum possidetur appetitum perfecte, aut imperfecte quietat, sui fruitionem ipsi ingerendo.

Corollaria.

1.^m *Ergo malum similiter dividi potest in metaphysicum, physicum et morale*. Nam si contrariorum contraria est ratio, cum malum nihil sit aliud quam privatio boni, hujus divisio priori a contrario sensu accommodari potest.

2.^m *Ergo ratio boni includit necessarium ordinem vel respectum ad existentiam*. Etenim, subjectum bonum aliquid appetens non quiescit in hac appetitione, sed potius ex vi appetitionis hujus, seipsum movet et applicat ad quærendam et adipiscendam realem et effectivam possessionem rei volitæ.

3.^m *Ergo sensibilia, præcisè ut possibilia, nequeunt esse objectum voluntatis nec subjici ejusdem appetitioni*. Quamdoquidem, possessio realis et effectiva, quam voluntas respicit, nec existere nec concipi potest, quin res possidenda vere existat.

4.^m *Ergo objectum intellectus universalius ac nobilius existit objecto voluntatis*. Siquidem non modò existentia cuncta, sed ipsa possibilia, qua pure possibilia, intellectui objici queunt, atque ipsius cognitioni subjiciuntur.

SCHOLIUM.

Quamvis appetendi facultas in homine appetitum sensiti-

vum et voluntatem complectatur, de priori solummodo hic agemus, quoniam de iis quæ ad voluntatem spectant, in Ethica opus erit disserere.

ARTICULUS SECUNDUS.

De appetitu sensitivo.

§ I.

Notio et divisio appetitus sensitivi.

Definiri potest appetitus sensitivus: *Facultas seu vis affectiva, qua bonum imaginatione apprehensum prosequimur et malum aversamur, cum quadam sensibili commotione.*

Dicitur *facultas affectiva*, ut secernatur a facultatibus cognoscendi, quas præsupponit quidem vis affectiva, sed quibus non constituitur. Dicitur *bonum imaginatione apprehensum*, non ut excludantur alii sensus, sed quia imaginationis perceptio est quæ motus vel manifestationes sensibilis appetitus vehementius ac frequentius excitat. Additur, *cum quadam commotione sensibili*, quia passiones, quæ sunt actus hujus appetitus, cum mutatione magis vel minus sensibili exeruntur et manifestantur: qua in re ab appetitu rationali seu voluntate differt, cujus actus ex se nullam mutationem sensibilem involvit, atque sine ea existere valet. Unde sicut sensus ab intellectu radicaliter et essentialiter discriminantur, quatenus hujus actio sine organo corporeo exercetur, ita similiter facultates affectivæ sensibilitatis a voluntate penitus secernuntur et differunt, quia actus non eliciunt sine corporeo organo vel instrumento.

Actus sive operationes appetitus sensitivi sunt passiones, quas alii affectus seu *affectiones*, Stoici et Cicero *perturbationes*, nuncupare consueverunt. De quibus antequam agamus.

Prænotandum est 1.º Passionis nomen, nos hic non accipere, ut quidam accipiunt, pro motu seu desiderio appetitus sensitivi, cui vehementia accessit ex asuetudine agendi, sed pro motu naturali et spontaneo appetitus sensitivi erga aliquod objectum sensibile, prout sensu et imaginatione apprehensum: vel aliter; agimus de passione in seipsa specta-

ta, non prout inordinationem includit ex prava agendi consuetudine.

Prænotandum 2.º Passiones hominis et bruti convenire quoad substantiam, quatenus, nempe, in utroque sunt motus appetitus sensitivi ad bonum sensibile et delectabile, sed differunt ex duplici capite: 1.º quia in homine, ex affinitate et quasi approximatione et conjunctione cum ratione et voluntate, superioritatem quamdam et perfectionem accidentalem sibi vendicant, ac capaces redduntur educationis moralis, quatenus rationi et voluntati subjiciuntur per quas dirigí ac moderari possunt. Verbo id expressit D. Thomas, dum ait, appetitum sensitivum in homine esse *rationalem per participationem*. 2.º Quia et quatenus in homine quædam passiones reperiuntur, quæ in brutis, vel non existunt, vel solum existunt in statu imperfecto, vel tanquam *rudimenta* quædam: prout contingit quoad ambitionem, avaritiam, tædium, (disgusto, displicencia) pœnitentiam, (pesar, arrepentimiento sensible) pudorem etc. Porro, quæ hic de passionibus nunc dicturi sumus, ad passiones prout in homine manifestantur, potius quam ad passiones brutorum spectant. Itaque,

Appetitus sensitivus dividi solet in *concupiscibilem* et *irascibilem*, quatenus duplicem habet fundamentalem manifestationem: quarum prima respicit bonum et malum sensibile, absolute et secundum se speciatum; altera, est qua fertur ad bonum et malum sub ratione *ardui*. Sex assignantur passiones appetitus concupiscibilis, videlicet, *amor et odium, desiderium et fuga, gaudium et tristitia*. At irascibili quinque: *spes et desperatio, audacia et timor, ira*.

§ II.

De passionibus concupiscibilis appetitus.

a) *Amor* proprie definiri aut verbis explicari nequit. Hæc namque, et reliquæ passiones, sensu intimo percipiuntur quidem perspicue, at verbo difficile exponuntur. Describi potest: *propensio affectiva ad bonum sensibile, vel delectabile complacentia appetitus in bono*. Bonum enim ad se trahit et rapit appetitum.

b) Amoris præcipuæ causæ sunt: 1.º *bonitas* objecti, quæ

semel apprehensa, ad se trahit appetitum quasi pondus quoddam ipsi immisum: 2.^o *similitudo*; nam *simile simili gaudet*. Quod si hæc similitudo sit actualis et perfecta, qualis habetur inter eos qui eandem perfectionem actu habent, ex. c., duo homines virtutem seu sanctitatem habentes, producit amorem *amicitiæ*; si autem imperfecta sit et veluti inadæquata, quatenus aliquis habet non ipsam perfectionem seu bonitatem quæ in alia re invenitur, sed quamdam coaptationem et propensionem ad ipsam, quæ est quædam inchoatio possessionis, tunc producit amorem *concupiscentiæ*: sic in eo, qui appetit et amat divitias vel gloriam, est similitudo potentialis et inchoata cum his rebus, quarum bonitatem actu non habet, sed ipsis quodammodo assimilatur ex parte coaptationis, tendentiæ et propensionis ad ipsas.

c) *Effectus* amoris sunt: 1.^o unio affectiva inter amantem et amatum: 2.^o *adhesio*, tum affectiva, qua amans suos affectus amato quasi immittit, et intus imprimit, unde exoritur mutua inter utramque intima communicatio, et quasi identitas affectionum et desideriorum; tum etiam cognoscitiva et objectiva, quatenus amata res alte defigitur in mente amantis: *hærent infæri pectore vultus*, ait Poeta de Didonis amore: 3.^o *zelus*; quia amor dum intensitatem acquirit, non solum in amatum fertur, illum prosequendo, sed simul in ejus contraria, acriter ipsa repellendo. Quod si sit *amicitiæ* amor, zelus repellit contraria ipsi bono amato; si vero sit amor *concupiscentiæ*, repellit contraria, quatenus impediunt singularem et exclusivam boni amati possessionem. Præter hos, aliis minus præcipui amoris effectus assignari possent: *liquefactio*, quæ quamdam animi blanditiem præ se fert; *languor*, dum bonum amatum absens nimis est; *servor*, seu ebullitio æstuantis animi ad præsentiam rei amatæ.

d) *Desiderium*, altera appetitus concupiscibilis passio prout bonum prosequitur; describi potest: *motus affectivus quo concupiscibilis appetitus tendit ad bonum sensibile absens*. Distinguitur ab amore, quatenus hic est mera complacentia in bono, sive illud præsens sit sive absens; at desiderium, quæ tale, bonum absens tantum respicit quasi quidam conatus et nisus ab illud ad se trahendum, sibi que conjungendum.

Atque hoc *desiderium-passio* minime confundendum est cum desiderio rationali seu voluntetis, quod est actus nulli

organo affixus, simplexque affectio, qua voluntas fertur ad bonum, vel pure intelligibile et spirituale, vel sensibile quidem, sed quatenus intellectu perceptum. Fortasse *desiderium-passio* melius diceretur *concupiscentia*, ad confusionem vitandam. Differ etiam a spe, quia hæc respicit absens bonum sub rationi *ardui*. Desiderium hoc quasi medium intercedit inter amorem et delectationem; ex amore namque boni apprehensi enascitur ejus desiderium, quod ad ejusdem boni possessionem delectantem tendit ac terminatur. Unde

e) *Causa* desiderii est *amor simul cum indigentia*: amor quidem, quia est principium desiderii, ut nunc dixi; *indigentia* vero, quia non desideramus vel concupiscimus quæ nobis insunt bona, sed ea quæ nondum habemus, vel quibus *indigemus*: quinimo, quo major apprehenditur indigentia, eo intensius desiderium exurgit.

f) *Effectus* desiderii enumerari inter alios possunt: *tædium* quoddam præsentium; nam dum aliquid intense saltem optamus, præsentia fastidimus; *suspiria*, quæ sunt et merito habentur connaturalis et spontanea manifestatio desiderii, suntque quasi jactus animi, seu jaculatio spiritus in rem amatam: *importunitas*, sive nimia et frequens sollicitatio boni quod desideratur: *anxietas*, (inquietud, desasosiego) quandoquidem animus aliquid intense concupiscens, continuo ab uno objecto ad aliud movetur, nec quiete vis potitur.

g) *Delectatio*, quæ etiam *gaudium, lætitia, voluptas*, etc. appellari solet, est *affectus appetitus sensitivi quiescentis in bono sensibili possessio*. Quæ notio delectationi congruit prout passio est; nam nomen delectationis, sicut et gaudii etc., affectibus seu actibus voluntatis puræ conveniunt quoque, et tribuuntur. Delectatio seu voluptas sensibilis, non secus ac desiderium, ex amore originem ducit; ex amore namque enascitur, quod, dum res amata præsens amanti fit per possessionem, appetitus in ea quiescat per tranquillam ejusdem complexionem et fruitionem.

h) *Causæ* delectationis assignari queunt: *operatio* vel actus; omnis quippe delectatio sensibilis aliquam actionem comitatur vel consequitur, ut videre licet in cibo, potu, veneris etc.: *similitudo*; videmus enim quod *simile simili gaudet*, atque *repræsentationes* rerum, sive per sculpturam, sive picturam, sive per gesta etc. delectationem animi producere:

varietas; nam experimur, sensus delectationem ex alteratione quadam oriri, cupimusque persæpe quod possidemus bonum abjicere et ejus contrario frui; unde proverbium: *placet varietas*. Inter delectationis causas annumerare quoque licet *memoriam*, idque non solum quoad bona, sed etiam quoad ipsa mala; gaudet namque animus dum mala quæ evasit, et pericula quæ fugit et superavit, sibi repræsentat: *admiratio*, quatenus ignoti notitiam affert et ulteriorem pollicetur; at hæc ac intelligibilem delectationem potius quam ad sensibilem spectat.

i) *Effectus* delectationis sunt: *dilatatio*, tum cordis, tum animi, ac spirituum animalium diffusio et motus; quæ si delectatio aut gaudium, et intensius, et subito adveniant, deliquium, mortemque ipsam producere valent: *impedire rationis usum*, si ea nimium intensa sit, totam videlicet, animi aciem et vim ad se rapiendo ac in oblectante operatione defigendo: *desiderium sui*, quatenus oblectantia objecta, dum semel habentur vel degustari incipiunt, amplius et intensius desiderantur. Nihilominus, effectus iste delectationi spirituali, tam ordinis naturalis quam supernaturalis, potiori ratione ac perfectius quam delectationi sensibili, congruit; siquidem, spiritualia, ut veritas, Dei cognitio infusa, ejus amor contemplativus, eo ardentius appetuntur, quo abundantius habentur; ast sensibilia, fastidium sui tandem ingerunt.

j) Ex his quæ de amore, desiderio et delectatione exposita manent, facile perspicitur natura *odii*, *fugæ* sive aversionis, qua animus a malo recedit, et *tristitiæ*, quæ ipsis adversantur. Quæ omnes passiones ex amore originem ducunt, etiam illæ quæ malum respiciunt; «ejusdem enim rationis est, ait D. Thomas, quod ametur aliquid, et odiatur ejus contrarium: et sic amor unius rei est causa quod ejus contrarium odiatur.» Omnes itaque passiones concupiscibilis appetitus, quasi quædam sunt transformationes amoris, quæ proinde tanquam passio fundamentalis ac præcipua sensibilitatis in ordine affectivo jure haberi potest.

k) Quinimo etiam, ex amore isto, quatenus in homine, ut diximus, superioritatem et elevationem quamdam obtinet ex conjunctione cum ratione et voluntate, passiones aliquæ efflorescunt, quæ in brutis non inveniuntur, ut *avaritia*, quæ est amor sive appetitus divitiarum; *ambitio*, qua amatur et

quæritur æstimatio aut honor; ex qua enascuntur *jactantia* vel ostentatio, si ipsi jungatur desiderium manifestandi præstantiam super alios; *arrogantia*, si id fiat cum contemptu aliorum quos præcellimus; *vanitas*, si id fiat propriarum perfectionum prædicatione et exaltatione, sed absque aliorum contemptu. Porro, motus harum, sicut et cæterarum passionum, quamvis ex seipsis naturales sint ac ex subjecti temperamento plurimum pendeant, per rationem et voluntatem intendi, remitti et moderari queunt; ac proinde ex se et quatenus ab appetitu sensitivo oriuntur, sunt indifferentes moraliter; moralitatem tamen induunt quatenus rationi et voluntati subjiciuntur.

§ I.

De passionibus irascibilis appetitus.

Passiones irascibilis appetitus, non secus ac concupiscibilis, bonum et malum sensu et imaginatione apprehensum, respiciunt; sed, ut dixi, sub ratione *ardui*, seu quatenus difficile adipisci vel vitari possunt. Sic

a) *Spes* quæ, ut a *spe* voluntatis secerneretur, fortasse melius *fiducia* diceretur, describi potest: *passio qua animus erigitur ad bonum futurum arduum adipiscendum*. Distinguitur, a desiderio, quia hoc bonum absens seu futurum non respicit præcise prout arduum et difficile assecutionis; a gaudio, quod non futurum, sed præsens bonum respicit: a desperatione, quæ altera est irascibilis passio, quia hæc refertur ab bonum apprehensum, non solum ut difficile, sed ut adeptu impossibile.

b) Præcipuæ spei seu *fiduciæ* causæ sunt: *experientia*, qua prænovimus tale bonum adipisci posse hac vel illa ratione, his aut illis mediis: *cordis calor* et vitalitas, quibus animus erigitur ad difficultates superandas: *conscientia virium*, sive internarum, ut prudentia, scientia; sive externarum, ut divitiæ, amici, etc.: *inconsideratio* etiam fiduciam fovet, quatenus pericula et difficultates non satis nec mature perpenduntur, ex quo originem ducit, quod senes, infirmi, melancholici, minorem præ se ferunt fiduciam in agendis; at e contra, juvenes, sani et ebrii, fiducialiter, ut plurimum, operantur.

c) *Effectus spei* annumerari possunt: *delectatio*, quatenus sperati boni possessionem prægustamus: *energia* in operando, nam difficultas ipsa objecti ejus æstimationem quoad nos auget, et attentionem altius defigit, dum media aut investigantur, aut ad praxim reducuntur pro bono arduo adipiscendo: *amor*, vel personarum, a quibus bonum expectamus, vel rerum, quæ nos ad ejusdem consecutionem ferre valent.

d) *Audacia*, quæ etiam *animositas* dici posset, est *passio qua animus ad malum grave et magnum superandum insurgit*. Dicitur *ad malum grave et magnum*, quia levia seu minora mala, prout talia, potius contemptum quam audaciam excitant.

e) Præcipua audaciæ causæ est spes seu fiducia; quandoquidem, eatenus quis in malum insurgit, quatenus fiduciam habet ipsum repellendi et superandi. Ex quo facile colligitur, omnia quæ spem erigunt et fovent, fovere simul audaciam, ejusque proinde causas appellari posse, ut amici, divitiæ, scientia, cordis calor, etc.

f) Tanquam audaciæ effectus haberi potest *tremor*, qui, ut plurimum, initio periculi et pugnae hominem afficit, quatenus spiritus animales et sanguis ad cor confugiunt, et quasi in se convolvuntur et densantur, ut vehementiori impetu erumpant.

g) *Audacia* opponitur timor, qui est *dejectio animi a malo terribili ac via evitabili causata*. Etenim, cum grave malum imminet, conflictus quidam exurgit inter animi vires et malum; atque si animus persentit vires suas malum superare posse, audacia efflorescit; ac si malum insuperabili existimat, ab illo obruitur, dejiciturque animus, eritque timor.

h) *Ira*, est *passio qua animus vindictam querit cum accensione sanguinis circa cor*. Namque, sicut audacia et timor respiciunt malum imminens, ita ira respicit malum jam incussum, estque quasi motus appetitus ad rependendum malum ei qui sibi nocumentum intulit.

i) *Causæ iræ* assignari queunt inter alias: 1.º *contemptus*, nihil enim adeo motus iracundos excitat et acuit sicut ea quæ contemptum præ se ferunt: 2.º *contradictio*, quatenus qui alteri se opponit, sive corpore, sive animo, in eo excitat appetitum rependendi ei idem vel simile malum: 3.º *defectus proprius*, siquidem, qui aliquem defectum habent, facile exis-

timant ab aliis propter illum despici, ex quo facilitas iræ enascitur.

j) Ex ira oriuntur tanquam effectus: *delectatio quædam*, qua iratus animus demulcet rependendo malum ei, qui sibi prius intulit: *fervor* exæstuans et amarulentus, et fluxu bilis simul cum motu sanguinis originem probabiliter ducens: *turbatio*, sive rationis, sive linguæ, sive vultus. Quibus si nimia sit ira, accedit etiam *tremor* membrorum, ex maxima perturbatione et motu sanguinis et bilis: *taciturnitas* quandoque, quandoque vero *loquacitas* ex ira enascuntur pro diversitate ejus intensitatis, ac præsertim pro diversitate conditionis et temperamenti personæ, quæ ira afficitur.

ARTICULUS SECUNDUS.

De temperamentis.

Quoniam, ut non semel inuimus, passionum natura, motus et vehementia ex subjecti naturali *complexione*, vel temperamento, non parum pendent, horum naturam et diversitatem breviter attingere placet. Itaque,

Quadruplex distingui solet temperamentum; juxta prædominantem in corpore humorem: quamvis enim quatuor præcipui humores semper permixti in homine reperiantur, at ex ipsis aliquis prædominium quoddam supra cæteros sibi vindicat; quo ex prædominio fundamentum desumit distinctio temperamenti in *phlegmaticum*, *melancholicum*, *sanguineum* et *cholericum* seu biliosum.

A) *Phlegmaticum*, illud dicitur in quo systema lymphaticum prædominium obtinet. Qui huic subijcitur temperamento, impressiones nec vivide recipit, nec tenaciter retinet, nec in eas fortiter reagit; unde indifferentiam, otium et voluptatem mensæ maxime diligit. Imaginatio fere nulla, vel frigida in eis viget: laborem abhorrent; virium et ingenii exercitium intensum et perseverans fugiunt; energiâ denique fere omni destituuntur, atque omnimodam quietem, tum corporis, tum animi, super omnia quærunt et diligunt.

a) *Characteres externi*: dignoscuntur, ut plurimum, ex corporis proceritate et plenitudine simul cum membrorum, præsertim vultus, quadam rotunditate; ex motus tarditate;

ex vultus colore subalbo, et cæruleis oculis; denique ex eo quod vividitate (espresion), tum quoad oculos, tum quoad reliquas vultus partes, penitus fere privantur.

b) *Characteres morales*: Phlegmatici propensionem naturalem sortiuntur ad pigritiam, otiositatem, gulam, luxuriam. Horum ergo educatio et instructio eo maxime tendere debet, ut hæ passiones et propensiones minuantur et moderentur, vitiaque ex eisdem emanantia convellantur et odio habeantur.

B) *Melancholicum*, ex prædominio systematis venosi et jecoris efflorescit. Qui huic temperamento subjiciuntur, ad exteriora et sensibilia indifferentes sese ostendunt, sed multum in eis vigent et interna sensibilitas, et activitas intellectualis: in mundo interiori ac secum ipsis vivunt, cogitationibus propriis hærent atque in eis defixi, objecta undequaque et usque ad intima perscrutantur; unde nimium ideis et cogitationibus propriis adhærescentes, non raro absurda animo complectuntur et peregrinas operationes prædiligunt. Vehementiores passiones experiuntur: at eas intus quasi inclusas servant: in agendis prudenter et caute se habent.

a) *Characteres externi*: Corpus obtinent ut plurimum, procerum, sed debile et siccum: vultus color pallidus ad fulvum vertens: facies prælonga et angulosa: oculorum acies inquieta et profunda, ipsorumque color nigricans: venas habent plenas et tumefactas: gressum lentum, tardum et ordinatum, nec raro curvato corpore incedunt.

b) *Characteres morales*: Qui huic temperamento subest, ad tristitiam quasi natus, terribilia, insolita, et omnis generis pericula imaginatione versat: amat solitudinem; tumultus externos, societatem aliorum, et oblectamenta abhorret. Profunda odia non raro concipit, quæ perseveranti, obstinata ac quasi frigida voluntate intus alit ac exequitur: facilis est ad suspicionem, ad invidiam et zelum, ad obstinationem, ad perfidiam, et præsertim ad vindictam præmeditatam.

C) *Sanguineum*. Ex prædominante systemate arteriarum et pulmonum nomen accipit. Magna in homine hujus temperamenti viget facilitas ad impressiones recipiendas; unde ad fletum et risum, ad mærorem et lætitiã, facilem se præbet, et absque labore et conatu ab uno ad aliud ex prædictis transit. Gaudet tumultu, societate amicorum, poesi, musica,

et oblectamento luxuriæ et mensæ: fiducialiter agit, audaciam ostendit, quia imaginatione potius quam ratione et reflexione in agendo utens, pericula et difficultates non satis perpendit: plurima vult simul peragere, sed nihil fere constanter et ex integro.

a) *Characteres externi*: Hujus temperamenti homo, pulchro potitur corpore, pulchraque facie; membra habet bene disposita, nec nimis plena, nec debilioris habitus: vultus colorem rubicundum, oculos vivos et significatione (espresion) vigentes, sicut et universam figuram, quæ vivacitate quadam pollet: motus tandem habet veloces et liberos, cum membrorum quadam agilitate et flexibilitate.

b) *Characteres morales*: Propensionem habent sanguinei ad benevolentiam, amorem, abnegationem sui propter proximum et Deum, commiserationem et liberalitatem: sed simul facile cedunt inconstantia, iracundia, gula, at præsertim luxuriæ et vanitati, quæ postremæ passiones constituunt quasi characterem peculiarem hujus temperamenti quoad moralem ordinem.

D) *Cholericum seu biliosum*. Ex prædominio bilis ac fluidi nervi exurgit temperamentum hocce; unde et nerveum seu potius *nerveo-biliosum* nuncupari posset. Vigent in eo non solum receptivitas impressionum, sed et interna reactio in eas. Unde ad magna et difficilia fertur animus cholericus, vehementiores affectus in seipso fovens et ad objecta applicans. Ingenio pollet, in scientiis præcellit, alta et metaphysica libentius speculatur: meditationibus et mentis acie acriter objectis defigitur: a proposito semel arrepto non facile discedit: constantiam in agendis diligit, ac operatur voluntate forti, vehementi et firma.

a) *Characteres externi*: Corpus habet, nec magnum, nec crassum, sed potius parvum, tenue et gracile; at ossa, venæ et muscula, multum se produnt ac vigent: vultus color pallidus et subfuscus, oculi fulgidi et micantes, capilli nigri coloris; ac demum præ nimia sensibilitate, membrorum motus rapidi, continui, ac quandoque convulsivi hominibus hujus temperamenti insunt.

b) *Characteres morales*: Cholericus seu biliosus, magna et præcellentia in omnibus quærit et ambiunt: si naturali propensioni cedant, dominandi cupiditate facile abripiuntur:

fama, apparatu luxus, honoribus et dignitatibus gaudent, eaque voluntate constantissima, dominatrice ac inflexibili quærunt et sibi parant. Unde non immerito dici potest, hocce temperamentum ambitione insigniri, sicut sanguineum amore; estque quasi heroum et celeberrimorum hominum proprium: nam si præcellentiam in scientiis et artibus quærat, sapiens evadet; si in bello, magnus dux; si in politicis, magnus rex et facile tyrannus.

Præ oculis tamen habere oportet, hujusmodi temperamenta ac proinde ipsorum characteres, aut nunquam, aut raro *pura* in homine inveniri, sed alia aliis ad infinitos ferme gradus permixta et complicata, adeo ut de eisdem, non sicut ac de hominum figura et vultu, dici possit, impossibile esse inter hominum millena et centena millia, duos reperire, qui idem omnino temperamentum sortiantur.

Observandum similiter, ea quæ de temperamentis, sive puris sive mixtis dicuntur, quoad characteres præsertim morales, accipienda esse quatenus eis insunt inclinationes, vel propensiones ad hanc, vel illam rem; quæ tamen inclinationes, per educationem, per remedia quæ religio christiana exhibet, per voluntatem liberam, et per habitus contrarios, non solum moderari possunt ac impediri ne actibus sese exerant, sed minui etiam, atque in contraria verti.

Quinimo etiam scire oportet, non solum morales causas, ut nunc dixi, sed physicas quoque in temperamenta influere. Videmus etenim, ex variatione cibi et potus, ex progressu ætatis, ex diversa consuetudine vivendi cum multis aliis circumstantiis, maxime vero ex variatione loci et climatis, temperamenta plurimum modificari ac transformationes subire. Corollaria.

Primum: *Ergo passiones utilitatem homini afferunt si per rationem moderentur ac dirigantur.* Siquidem, quamvis ex seipsis moralitatem non includant, sed solum quatenus rationi et voluntati subduntur, at vires et energiam hujus fovent et augent, sicut et rationis, cujus attentionem et vehementiam defigunt et juvant. Ex passionibus enim quasi stimulis quibusdam homo incitatur ad agendum, quæ si absent homo iners permaneret, ned quidquam magni et ardui suscipere auderet.

Secundum: *Ergo hominis operationes dijudicandæ non sunt*

ex phrenologiae phænomenis. Nam si propensiones, ex indole vel temperamento emanantes, penitus impediri queunt quoad exercitium; immo inclinationes moderari, imminui ac transmutari possunt, rationi simul ac religioni plane adversatur, qui hominis actus morales ex phrenologicis indicis præjudicat.

SCHOLIUM.

D. Thomas eam videtur amplecti sententiam, corpoream passionum sedem, vel saltem præcipuum earundem organum esse cor; at si ea quæ de temperamentis diximus, conferantur cum his quæ de re hac phrenologia et physiologia docent, probabilius videtur passionum sedem seu organa non in solo corde, sed in jecore etiam, medulla spinali, cerebello, pulmonibus, aliisque visceribus reponenda esse.

SECTIO SECUNDA.

Psychologia rationalis.

Rationalem psychologiam quæ de essentia seu substantia ipsa, quæ principium existit operationum et affectionum earum quas supra retulimus, disserit, quatuor absolvemus capitibus, in quorum primo sermo instituetur circa naturam animæ; in altero, circa ejus unionem cum corpore; in tertio, circa ipsius originem; in quarto, de statu unionis et separationis.

CAPUT PRIMUM.

DE NATURA RATIONALIS ANIMÆ.

ARTICULUS PRIMUS.

De immaterialitate et simplicitate animæ.

§ I.

Definitiones et notiones præviæ.

Ut breviter simul ac dilucide res peragatur, præmittere libet quasdam definitiones ac quasi generales notiones, quæ non tantum huic articulo, sed universæ psychologiæ rationali viam sternunt ac lumen effundunt.

1.^o Nomine rationalis animæ, seu mentis humanæ, cuncti homines intelligunt, naturam seu rem illam quæ in nobis est principium sentiendi, imaginandi, percipiendi tam res corporeas quam spirituales, judicandi, ratiocinandi, bonum prosequendi, et malum aversandi per volitiones et nolitiones liberas. Nam cum ex sensu intimo perspicuum sit et indubium, hæc omnia in nobis et a nobis perfici, idemque esse subjectum in quo recipiuntur, et quod prædictarum omnium affectio n um et operationum conscium est, animam rationa-

lem dicimus rem quæ prædictorum et principium et subjectum existit, quæcumque tandem ejus natura sit.

2.^o Quod attinet ad existentiam rationalis hujus animæ, probatione non indiget; quandoquidem, si nihilum nihil agere potest, si in nobis existunt præfatæ operationes, *aliquid* reale existat opus est, quod sit earundem principium et sufficiens ratio. Quo sensu verum est Cartesii effatum: *cogito ergo sum*, quatenus, nempe, conscientia cogitationis, secum fer necessario conscientiam seu cognitionem animæ quoad existentiam. (1)

3.^o *Cogitatio*, si strictius et proprie accipiatur, significat perceptiones ac actus omnes seu modos cognoscendi intellectus, prout facultas est a voluntate, sensibus et imaginatione distincta: quo sensu in sequentibus hoc nomen accipiemus, nisi aliter ex adjunctis innuatur. Apud recentiores frequenter hæc vox usurpatur pro affectionibus et actionibus quibuscunque, quarum conscientiam mens habet; unde non solum intellectus actus et modos cognoscendi complectitur, ut perceptionem, judicium, reflexionem, etc., sed volitiones ac nolitiones voluntatis, sensationes tum internas, tum externas, uno verbo phænomena cuncta quæ conscientiæ subjiciuntur.

4.^o *Materia vel corpus*, quæ hic tanquam synonyma usur-

(1) D. Thomas, non solum id docuit ante Cartesium, sed scite notavit, hujusmodi nolitionem existentiam animæ per actum cogitandi seu intelligendi, esse *particularem* seu singularem, ac proinde non proprie scientificam, qua naturam mentis humanæ in universali vestigamus ac noscimus. En ejus verba: «Non ergo per essentiam suam, sed per actum suum se cognoscit intellectus noster; et hoc dupliciter: Uno quidem modo, particulariter, secundum quod Sortes vel Plato percipit se habere animam intellectivam ex hoc quod percipit se intelligere. Alio modo, in universali, secundum quod naturam humanæ mentis ex actu intellectus consideramus.... Est autem differentia inter has duas cognitiones: nam ad primam cognitionem de mente habendam, sufficit ipsa mentis præsentia, quæ est principium actus ex quo mens percipit seipsam, et ideo dicitur se cognoscere per suam præsentiam. Sed ad secundam cognitionem de mente habendam, non sufficit ejus præsentia; sed requiritur diligens et subtilis inquisitio. Unde et multi naturam animæ ignorant, et multi etiam circa naturam animæ erraverunt.» *Sum. Theol.* 1.^o P., quæst. 87, art. 1.^o

pamus, est substantia extensa, ex partibus coagmentata et composita, divisibilis, ac figurabilis. (1) Spiritus vero nomine intelligere oportet, substantiam inextensam, simplicem, indivisibilem, nullâ figurâ insignitam, facultate intelligendi, ac voluntate libera præditam.

5.^o Ut res *subsistens* dicatur, duæ requiruntur conditiones: 1.^o quod sit *res per se existens*, id est, quæ alteri non indigeat inhærere vel uniri, ut existat: 2.^o quod *seipsam possideat quoad esse et operari*, ita ut res subsistens sit principium et ratio operationum quæ ei competunt. Defectu prioris conditionis, animæ brutorum, partes substantiæ, ut cor, vel oculus et accidentia, subsistentiam non obtinent, quia ut sint et operentur indigent alteri substantiæ, vel totali, vel partiali uniri et inesse. Defectu posterioris, anima rationalis a corpore separata veram quidem subsistentiam sibi vendicat, sed non *completam*, tum quia ut naturam completam et speciem humanam constituat indiget corpori uniri, tum etiam quia in eo statu separationis seipsam non plene possidet quoad operari; quandoquidem elicere nequit non solum vegetativæ vitæ functiones, sed neque sensitivæ operationes, quæ sine cerebro et corporeis organis exerceri non possunt. Ex quo ultro colligitur rationalem animam a corpore separata, imperfectam tantum subsistentiam obtinere.

6.^o Res aliqua corrumpi potest: 1.^o *per se*, quod tum accidit, quando rei advenit forma contraria, vel incompatibilis cum ea quæ prius subjecto inerat; puta, si lignum recipiat formam ignis, in hypothesi generationis substantialis, vel si ex cera statua hominis conficiatur et postea figuram vasis vel circuli accipiat, subit corruptionem *per se*, ex introductione formæ cum priori incompatibilis. 2.^o *Per accidens*, si absque mutatione ulla formæ, destruat vel pereat subjectum sine

(1) Inter materiæ seu corporis attributa non annoveramus *inertiam*, adversus id quod omnes fere philosophi post Cartesium in more habent; tum quia, ut in Cosmologia ostendemus, corpora plurima vera gaudent vi agendi; tum quia periculosum est ac rationi minime consentaneum, differentiam inter corpus et spiritum, ac proinde spiritualitatem animæ rationalis velle demonstrare ex attributo, cujus existentiam in materia quamplurimi nobilioresque philosophi non agnoscunt nec tuentur.

quo existere nequit; ut in allato exemplo, si cera ipsa destruat vel desinat esse, peribit quoque necessario figura statuæ, vel circuli quam habebat. Ex quo colligere licet, corruptionem *per se*, locum non habere nisi quatenus forma separatur a materia, vel saltem una pars rei ab altera sejungitur. Quibus prænotatis sit:

§ II.

THESIS 1.^a

Anima rationalis simplex omnino existit.

Prob. Quod intelligit et vult, est omnino et essentialiter simplex; sed anima rationalis intelligit et vult, ut constat ex sensu intimo: ergo.

Prob. maj. Si rationalis anima quæ intelligit et vult, esset composita ex partibus realiter distinctis, vel una pars vellet et altera cognosceret, vel utraque pars et vellet et cognosceret: sed quodvis horum absurdum involvit: ergo.

Prob. min. quoad 1.^{am} partem. Tum quia pars quæ vult, necessario etiam debet cognoscere seu cogitare, nam ratione et sensu intimo testibus, nihil volitum quin præcognitum; tum quia si una animæ pars, v. gr. A, tantum vellet, et altera seu B solum intelligeret, A conscientiam haberet solarum volitionum, et similiter B solarum cogitationum: sed ex sensu intimo habemus unum idemque esse principium et subjectum volitionum et intellectionum; quod ex eo præterea ostenditur, quod inter volitiones et intellectiones discernimus, quod sane fieri non posset nisi utraque in una et eadem conscientia conjunctæ et intime unitæ reperirentur: ergo dici nequit quod una pars animæ vult et altera cognoscit seu intelligit.

Quoad 2.^{am} partem. Si utraque animæ pars et vult et intelligit, jam non una sed duæ erunt in nobis animæ; nihil enim aliud est anima quam principium quod in nobis intelligit et vult: ergo non unam sed duas etiam conscientias habebimus. Præterea, si pars A et cognoscit et vult, superflua est pars B, quæ idem perficiat. Præterquam quod, si pars A et vult et intelligit, et simul aliis partibus non constat, jam

habemus rem simplicem quæ principium existit operationum animæ, ipsaque proinde erit rationalis anima simplex de qua loquitur thesis.

Corollarium.

Ergo anima hominis ab humano corpore cui unitur penitus differt, sicut et a reliquis omnibus corporibus. Corpora namque, sive humanum, sive cætera quæ nostræ subsunt vestigationi, partibus constant, extensa ac divisibilia existunt; quod quidem animæ penitus repugnat, ut nunc vidimus.

ALERE FLAMMAM
VERITATIS
THESIS 2.^a

Hominis anima est etiam substantia omnino immaterialis et pure spiritualis.

Quod sit substantia, aperte constat ex sensu intimo, qui testatur principium in nobis cogitans, unum idemque perseverare sub diversis modificationibus quas experitur ac in se recipit. Siquidem, testatur sensus intimus eandem ab initio ad finem usque perseverare in nobis rem eam, quæ nunc hanc cogitationem elicit, heri aliam distinctam, nunc volitionem, postea nolitionem exerit. Porro, res quæ eadem quoad suum esse permanens, diversos actus elicit, diversisque, immo contrariis subjicitur modificationibus, proculdubio substantiæ rationem obtinet. (1)

(1) Ad rem Balmes: «Si en nosotros no hubiese algo permanente en medio de tanta variedad, la conciencia del yo sería imposible. Entonces no habría en nosotros mas que una sucesion de fenómenos inconexos, y por lo tanto serian imposibles la memoria y la combinacion. El pensamiento es un absurdo, si no hay algo que piense, permaneciendo idéntico bajo la variedad de las formas del pensar. En nosotros, pues, hay un sujeto simple que todo lo enlaza, en el cual se verifican esas mudanzas; hay pues una substancia... Si no admitimos que el alma es sustancia, la proposicion yo pienso, carece de sentido. Entonces la filosofia pierde su punto de apoyo; todo cuanto experimentamos en nuestro interior, es una série de fenómenos inconexos, incapaz de ser observada y de estar sometida á ninguna regla. Mi pensamiento de ahora no es individualmente mi pensamiento de ayer; como mi pensamiento de mañana, no será mi pensamiento de hoy; estos pensamientos considerados en sí con precision de un sujeto en el cual se hallen, no tienen nada que

Dico in thesi omnino immaterialis et pure spiritualis, quia ad veram spiritualitatem animæ demonstrandam et materialistarum commenta refellenda, non sufficit ostendere animam esse substantiam simplicem seu non compositam ex partibus; id namque etiam congruit elementis primigeniis materiæ seu corporum, prout placet non ignobilibus philosophis; sed opus est demonstrare, rationalem animam universum corporum seu materiæ ordinem transcendere et superare. Itaque,

Prob. 1.^o Illud dicendum est omnino immateriale et pure spirituale, cui conveniunt attributa et operationes quæ materiæ seu corpori repugnant; atqui in anima rationali existunt attributa et operationes quæ cum materia omni pugnant: ergo. Maj. patet, quia animæ naturam seu essentiam, sicut et cæterarum fere omnium rerum, ex attributis, effectibus et operationibus colligimus et dignoscimus, cum ipsas rerum essentias, vel intimam substantiam directe et immediate inveni non possimus, experientia quotidiana teste.

Prob. min.

a) Animæ rationalis attributum est intellectus seu facultas intelligendi et ratiocinandi, ut sensus intimus aperte testatur: atqui corpori nulli sive composito, sive simplici congruit intellectus, ut constat, tum ex communi hominum sensu, substantiam intelligentem ab omni corporea substantia separantium; tum experientia, cum nullum intellectus vestigium in materia appareat; tum etiam quia sibruta ipsa, quæ proculdubio nobiliora sunt entia quam elementa materiæ, quantumvis simplicissima, intellectu non gaudent, a fortiori ipso privantur corpora omnia et illa elementa. Bruta porro intellectu evidenter privantur: nam si intellectu gauderent, abstractas notiones generum et specierum efformare possent, simulque percipere universalia et prima scientiarum principia; possent vocabulis arbitrato institutis uti ad significan-

ver el uno con el otro: quizás versan sobre objetos sin ninguna relacion, quizás son contradictorios; quizás el pensamiento de hoy es negacion del de ayer..... Para decir yo, es necesario suponer una realidad permanente: realidad, porque lo que no es real es nada; permanente, porque lo que pasa desaparece, deja de ser y no puede servir de punto para unir nada.» *Filos. fund.*, l. 9.^o, C. 6.^o et 7.

das internas affectiones et rerum notitiam, vel saltem non naturaliter et eodem modo interna significare; possent denique artes suas et effectus perficere, variare, ac nova etiam adinvenire: et tamen nihil horum facere compertissima res est.

b) Alterum attributum rationalis animæ est libertas, ut ex sensu intimo aperte constat. Quisque namque sibi intime conscius est, se pro suo arbitrio agere vel non agere, atque seipsum pro libitu determinare ad agendum intensius vel remissius, statim vel postea, sic vel aliter: atqui hujusmodi libertatis attributum, non solum materiæ non congruit, sed cum ejus attributis et legibus prorsus pugnat; nemo quippe sanæ mentis dixerit, corpus liberum esse ac dominum suorum actuum et motuum, ita ut pro nutu suo motum sibi dare possit, vel datum sistere, vel augere et minuere, vel aliò eundem detorquere. Atqui hoc eadem ratione congruit materiæ ex partibus coagmentatæ ac elementis simplicibus ejusdem, si dentur; leges namque mechanicæ quibus corpora subjiciuntur quoad existentiam et communicationem motus, non minus congruunt compositis quam simplicibus; quini- mo, compositis corporibus, in eorum hypothesi qui elementa simplicia admittunt, competunt illæ leges ratione elementorum ex quibus coalescunt: ergo rationalis anima, quæ libertate perfecta gaudet per quam domina est suorum actuum, supra materiam omnem, sive compositam, sive simplicem elevatur, ac corporum, quæ legibus necessariis in suo motu subjiciuntur, universum ordinem transcendit.

Prob. thesis 2.^a Propria ac præcipua animæ rationalis operatio, est *intelligere*, id est, res cognoscere per notiones universales et abstractas, ac per judicia universalis et ratiocinia, rerum naturam et attributa vestigare ac detegere; atqui hujusmodi operatio pure spiritualis est, proindeque materiæ penitus repugnat: ergo etiam anima rationalis hujus operationis principium, res est pure spiritualis nihil commune habens cum materia: siquidem, ut scite habet D. Thomas (1), «operatio rei demonstrat substantiam et esse ipsius,

(1) *Sum. C. Gent.*, lib. 2.^o, C. 55.^o

quia unumquodque operatur secundum quod est ens, et propria operatio rei sequitur ejus naturam.» Jam vero, quod intelligere sit operatio pure spiritualis et materiam omnem transcendens, constat: 1.^o, quia hæc operatio ex sua natura ab omni corporeo organo est independens, (1) ut apparet in angelis et in Deo: 2.^o quia impressiones organice et perceptiones ab eis determinatæ, singularia tantum complectuntur, ut videre licet non solum in externis sensibus, sed in ipsa quoque imaginatione, quæ quamvis illos longe superet, tamen singularia tantum percipit, quia organo corporeo alligatur: 3.^o quia per intelligere, homo attingit ac cognoscit non solum omnia corporea, sed res pure spirituales et rationes ab omni materia abstractas et sejunctas, ut rationes universales lapidis, corporis, numeri, beneficii, injuriæ, veritatis, entis, boni, infiniti, Dei etc. Quis porro sibi persuadeat, operationem istam *intelligendi*, qua altissima hæc objecta, altissimâ attinguntur ratione, profluere et elici a materia quacumque, sive composita, sive simplici? (2)

Corollarium.

Ergo merito docet D. Thomas animam hominis esse totam in toto corpore et totam in qualibet ejus parte. Anima namque, utpote hominis corpus substantialiter informans, in qua-

(1) Apposite ad rem P. Raulica: «El raciocinio aun cuando es aplicado á los cuerpos, se hace *sin* el cuerpo y sin el menor concurso del cuerpo. Porque raciocinar sobre los cuerpos es comparar las ideas que el entendimiento se ha formado respecto á la naturaleza y propiedades de los cuerpos; es procurar *entender* los cuerpos, es decir, conocerlos por lo que tienen de mas incorporeal. El raciocinio sobre el cuerpo es, pues, una operacion del exclusivo resorte del espíritu, y los cuerpos representan el papel de objetos, no de cooperadores, aun en la operacion que se refiere á ellos.

Con mayor razon, no entra para nada el cuerpo en los raciocinios relativos á las cosas puramente espirituales. En efecto; cuando raciocinamos sobre la naturaleza de Dios, de los ángeles... sobre los principios, las doctrinas, los fines, la Religion, la moral, la filosofia, las leyes y los deberes, ¿pedimos, recibimos el menor auxilio de nuestro cuerpo? ¿No debemos esforzarnos, por el contrario, por abstraernos de cuanto es sensible y corporal?» *Filos. Crist.* T. 3.^o, C. 14, §. 133.

(2) Vid. *Estudios sobre la filos.*, etc., lib. 4.^o C. 3.^o, 4.^o et passim.

libet ejus parte existit, secus enim his partibus non tribueret esse humanum; ideo enim brachium ex. gr. Petri, est brachium humanum, et non leoninum, quia vitaliter et substantialiter ipsi adest anima humana. Ex alia parte, si anima hæc purè spiritualis existit, omnimodaque gaudet simplicitate, loco circumscribi nequit: id enim corporibus tantum congruit quæ extensione et partibus constant, ex quibus resultat occupatio certi loci, et coaptatio vel commensuratio corporis contenti cum loco continente.

Itaque, rationalis anima est in toto corpore humano quatenus ejus existentia et operatio extra hoc corpus sese non porrigunt, sed ipso continentur et definiuntur: quapropter ajebant Scholastici, animam sicut et angelos esse in loco *definitive*: at in eo non est *circumscriptive*, ut illi ajebant, id est, occupando determinatum locum per commensurationem contenti et continentis, quatenus extensio et partes rei contentæ respondent extensioni et partibus loci continentis.

Ast vero, intelligere id oportet de anima rationali quoad essentiam seu substantiam spectatam: quandoquidem, si ea spectetur quoad virtutem, id est, quoad vires et facultates agendi quas complectitur, dici vere potest eam partialiter existere in determinata corporis parte. (1) Sic ex. gr. quoad vim videndi existit in oculis, quoad vim imaginandi in cerebro.

(1) Præclare D. Thomas. « Relinquitur ergo quod secundum totalitatem essentia, simpliciter enuntiarî possit esse totam (animam) in qualibet corporis parte; non autem secundum totalitatem virtutis, quia partes (corporis) difformiter perficiuntur ab ipsa ad diversas operationes; et aliqua operatio est ejus, scilicet, intelligere, quam per nullam partem corporis exequitur. Unde sic accepta totalitate animæ secundum virtutem, (vires seu facultates agendi) non solum non est tota in qualibet parte, sed nec est tota in toto, quia virtus animæ (scilicet, vis intelligendi) capacitatem corporis excedit, ut supra dictum est » QQ. Disp.ª De spir. creat., q. 1.ª, art. 4.ª

Hinc colligere licet, opiniones tum veterum, tum recentiorum philosophorum de animæ sede, rejiciendas esse, vel potius sensu carere, nisi ad sensum expositum accipiantur, nimirum, quatenus ex parte facultatis agendi et operationis, « una pars corporis perficitur ab anima principaliter et perfectius altera; » ut habet D. Thomas. *ibid.* ad 8.ª

SCHOLIUM.

Præter allatas demonstrationes ad spiritualitatem animæ stabilendam, quarum maxima pars, saltem quoad vim et sensum, apud D. Thomam reperiuntur, alias idem affert ex effectibus et operationibus mentis humanæ desumptas, ut ex vi supra se et suos actus redeundi, ex potentia et efficacia fere infinita ad intelligenda quæcumque objecta etc. In qua re, Angelicus Doctor prudentius sane se gessit quam plurimi philosophi moderni, etiam catholice scholæ, quidam hanc quæstionem versant, toti sunt in demonstranda animæ simplicitate ac distinctione a corpore ex partibus coagmentato, nihil aut parum proferentes pro ejusdem spiritualitate seu distinctione et independentia ab omni materia, sive composita, sive simplici, et inextensa, constabilienda. Sic, ut alia minoris notæ omittam, si conferas P. Cuevas, videbis ipsum in Psychologia demonstrare quidem animam rationalem distingui a corpore humano, atque proinde a cæteris corporibus ex partibus coagmentatis; at minime demonstrare, eam distingui a materia simplici et inextensa: et tamen idem ipse est qui in Cosmologia probabile habet Boschovichii systema, qui demonstrare aggreditur, elementa ex quibus constat extensum corpus esse simplicia et inextensa. Ergo postquam ille demonstravit rationalem animam a corpore humano et quovis alio composito distingui, ac proinde simplicem esse, poterit materialista philosophus ipsi replicare, non esse quidem corpus compositum, esse tamen corpus simplex, seu elementum simplex et inextensum. Eodem vitio laborare videtur Balmes, qui in *Philosophia fundamentali*, ex una parte admittit materiam seu corpora constare elementis simplicibus, et simul ex alia parte, dum de anima agit, ejus spiritualitatem nec directe attingit, nec demonstrat, sed demonstranda ejus simplicitati totus incumbit. Quid de Cartesio dicam, qui animæ distinctionem a corpore ex eo unice demonstrare conatur, quod cogitatio pugnat cum extensione, in qua essentia corporis seu substantiæ materialis sita est? Ergo cum postrema hæc ejus sententia de essentia corporis, ab omnibus fere philosophis merito rejiciatur, et præterea probabile sit apud multos, elementa materialia primigenia esse

simplicia et inextensa, corrui proculdubio tota firmitas et vis hujus demonstrationis, quæ aut nihil omnino concludit, aut mera probabilitate nititur.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. adversus 1.^{am} thesim. Attributum seu proprietas simplex inesse potest rei ex partibus compositæ: ergo ex simplicitate cogitationis non necessario colligitur simplicitas rationalis animæ. Prob. ant. Corporibus extensis et compositis congruunt gravitas, affinitas, attractio, vis motrix etc.: atqui hujusmodi proprietates simplices sunt: ergo.

Resp. neg. ant. Ad prob. dist. min. Gravitas, etc. sunt proprietates simplices, si in abstracto et in ordine ideali spectentur, trans. si prout in rebus existunt et concrete, neg. Fortasse quidem concedi potest gravitatem, affinitatem, consimilesque corporum modificationes, simplices appellari posse dum in seipsis concipiuntur, vel dum mens de ipsis cogitat in universali, eas mere accipiendo tanquam corporum proprietates. Ast vero, quidquid de hoc sit, proculdubio certum est ipsas, prout in rebus existunt, vere simplices ad indivisibiles minime esse; quandoquidem ad divisionem materiæ dividuntur: sic ex gr. gravitas corporis, dividitur vel minuitur ad divisionem corporis, quippe quæ, ut ajunt physici, est in ratione directa quantitatis materiæ, ac respondet proinde massæ corporis. Quod idem, proportionem servata, reliquis proprietatibus congruit.

Inst. cum Locke. Demonstrari nequit vim cogitandi intrinsece repugnare materiæ: ergo. Prob. ant. Repugnancia intrinseca et absoluta inter cogitationem et materiam demonstrari nequit, nisi hujus essentiam perfecte cognoscamus; atqui hanc essentiam imperfectè tantum cognoscimus: ergo, etc.

Resp. Neg. ant. Ad prob. neg. maj. Namque si de materia ex partibus coagmentata sive organizata, de qua Locke objicit, sermo sit, tantum abest, ut ad præfatam repugnantiam ostendendam opus sit materiæ essentiam plene cognoscere, ut potius sufficiat demonstrare cogitationem simplicitate necessario gaudere; simplicitas siquidem et compositio ex par-

tibus realiter distinctis, utpote attributa contraria, eidem subjecto inesse nequeunt, nisi evertere quis velit principium contradictionis. Sed

Obj. 1.^o adversus 2.^{am} thesim. Quod subjicitur mutationibus corporis ab ipso non distinguitur; sed anima subjicitur mutationibus corporis humani; nam cum eo adolescit et senescit, si corpus langueat, languet et ipsa, si illud vigeat, viget et ipsa, ut experientia quotidiana constat: ergo.

Resp. 1.^o Neg. cons. Effectus omnes et phænomena quæ in objectionem tanguntur, nihil aliud ostendunt, quam arctissimam existere conjunctionem inter corpus et rationalem animam. Ex objectionem optime consequitur animam rationalem substantialiter seu tanquam formam substantialem corpori uniri, quod ultro et libenter fatemur et postea propugnandum; qua unione intima et substantiali semel posita, simulque constituto ex hujusmodi unione exurgere et confici unam naturam humanam, et unam personam humanam, difficile non est et admittere et concipere corporis modificationes in animam quasi redundare, præsertim quoad opera quæ corporis concursus postulant, eadem perseverante anima quoad substantiam, spiritualitatem et independentiam a corpore. Quod si quis ad dialecticæ leges objectionem vellit solvere, ex abundantiori.

Resp. 2.^o Dist. ant. Quod subjicitur quoad substantiam propriam et esse mutationibus corporis, etc. conc. quoad operari, subdist. si subjicitur directè et quoad omnes operationes, conc. si indirectè et quoad aliquas tantum operationes, neg. Anima, utpote simplex, omnino immaterialis et spiritualis, ac a Deo immediatè originem trahens per creationem, quoad suam substantiam et existentiam una, eadem, ac immutabilis existit et perseverat ab initio usque ad finem unionis cum corpore: at si consideretur quoad facultates seu vires agendi, vel si magis, quoad evolutionem et exercitium hujusmodi virium, eadem non perseverat, sed successive et per gradus et modos pene infinitos evoluitur et perficitur. Itaque, ex objectionem id unum evidenter inferitur, animam rationalem manere eandem quoad substantiam, et simul mutari, evolvi, perfici quoad facultates; ex quo inferre licet hæc facultates ab ipsa animæ substantia realiter distingui, quod non tantum adver-

sarii, sed non pauci ex spiritualismi propugnatoribus immerito proinde inficiantur.

Inst. Maximum intercedit discrimen inter intellectus hominum: quis namque dicere audeat eandem intelligentiam inesse Aristoteli, vel Origeni, ac vulgari homini, vel idiota? atqui hujus discriminis congrua ratio assignari nequit, nisi supponatur intelligendi vim esse effectum organizationis materiae: ergo.

Resp. neg. min. Cum enim materia organizata essentialiter extensa sit et composita, sufficit id ut invictissime demonstraretur ipsi repugnare cogitationem, quae, sive perfecta sit, sive imperfecta, omnimodam simplicitatem sibi vindicat. Itaque, sive intelligentiae inaequalitas ex inaequalitate animae, sive ex organis et viribus sensitivis oriatur, de quo postea, nihil adversus animae spiritualitatem inferre licet.

Obj. 2.^o Substantia cujus affectiones et operationes sunt corporeae, et ipsa corporea existit: atqui sensationes quae animae rationali congruunt, sunt affectiones et operationes materiales: ergo.

Resp. Dist. min. Sensationes sunt materiales quoad aliquid, cont. in seipsis et prout se tenent ex parte animae, neg. Sensatio itaque, corporea et materialis nuncupari potest, tum ex parte impressionis organicae quae ad eam praerequiritur, tum quatenus exerceri nequit absque corporeo et determinato organo. Immaterialis vero et simplex existit, si spectetur in se ipsa, vel ut perceptio objecti quod in organum imprimit, quo sensu nihil est aliud quam applicatio activitatis seu vis animae ad objectum singulare, prout hoc, vel illud organum percipit. Sic, ex. gr. visio, corporea et materialis existit quatenus externum objectum agit in oculum, ipsum immutando, et etiam quatenus existere nequit nisi ex concursu oculi et per oculum: at eadem visio, immaterialis est et simplex, si ipsa vis videndi, cujus effectus est visio, spectetur in se ipsa et prout est quedam facultas seu vis agendi animae (1).

(1) Atque hanc ipsam esse veram D. Thomae doctrinam et mentem ex eo apertissime colligitur, quod ipse docet virtutes seu vires animae etiam sensitivas, in seipsis, vel prout animae insunt, non de-

Sed urgebis: Ergo rationalis anima non distinguitur essentialiter ab anima brutorum. Prob. cons. Ex allata solutione colligitur animam brutorum immaterialem et simplicem esse, quandoquidem sensationibus viget immaterialibus et simplicibus: ergo.

Resp. Neg. cons. Ad prob. neg. similiter cons. Siquidem, etiam dato brutorum animam nec materia, nec partibus constare, nihilominus toto caelo differt a rationali; tum quia solum in corpore et cum corpore existere potest, proindeque propriam subsistentiam non obtinet; tum quia intellectu et libera voluntate non gaudet, quae tamen sunt quasi proprii substantiae spiritualis characteres et notae. Porro ex intelligentia et libera voluntate, rationalis anima in infinitum pene distat ab anima brutorum (1); siquidem, horum cunctae operationes a corpore et organis ejus pendent, dum e converso operationes intellectus et voluntatis per corporea organa non exercentur, atque corporeum ordinem praetergrediuntur et superant, uti constat non solum ex his quae in probatione

bilitari, ac preinde nec mutationi, vel divisibilitati obnoxias esse nisi per accidens, vel ex parte organi, quatenus, scilicet, laesio, vel debilitatio organi impedit integrum ac congruum exercitium facultatis quae eo utitur. «Si autem aliqua virtus animae debilitetur, debilitato corpore, hoc non est nisi per accidens: in quantum, scilicet, virtus animae indiget organo corporali; sicut visus debilitatur, debilitato organo, per accidens tamen; quod ex hoc patet: si enim ipsi virtuti per se accideret aliqua debilitas, nunquam restauraretur organo reparato. Videmus autem quod quantumcumque visiva vis videatur debilitata, si organum reparatur, vis visiva restauratur: unde dicit Aristoteles, quod si senis accipiat oculum juvenis, videbit utique sicut juvenis.» *Sum. C. Gent., lib. 2.^o, C. 79.*

(1) Ipsemet Virey, qui certe nimii spiritualismi insulari nequit, haec scribit: «La diferencia entre el instinto y la inteligencia está bien marcada. El instinto puro obra siempre sin raciocinar: es movido, impulsado por la necesidad... las pasiones y por toda especie de incitación interior é involuntaria... En los animales no existe aprendizaje alguno, ninguna perfección, ninguna variedad en la práctica, ninguna invención aumentada, modificada ó añadida.» Apud Debreyne, *Pensam. de un croy. catól.* pag. 428. Vid etiam Bonald, *Recherches Phil. sur les prem. objets des connoiss. mor.* cap. 13. Buffon, *Hist. Nat. T. 3.^o*, ed. 8.^o Raulica, *Filos. Crist. T. 3.^o, C. 10 et 11.* Debreyne, *Pens. Cit. C. 8.^o, 9.^o, 10 et 11.*

thesis adduximus, sed ex aliis quæ brevitatis gratia omittere coacti sumus; ut ex vi reflexionis qua intellectus gaudet, ex dominio voluntatis ad cohibendas passiones et regendas vires inferiores, non secus ac ad disponendum de suis actibus, quinimmo et de ipsa vita, quod ut merito adnotavit Bonald, non leve indicium est essentialis distinctionis et superioritatis hominis respectu brutorum (1): sicut etiam operationes

(1) Innumera pene sunt loca et argumenta ex quibus D. Thomas superioritatem essentialem intellectus et voluntatis, tam respectu omnis corporis, quam respectu sensuum, demonstrat, quæque proinde in elementari opere adduci minime possunt. Sufficiat quædam citare et loca et verba. Quoad primum: *Sum. Con. Gent.* 1. 2.º C. 49, 65, 66, 78, 79, 82, 83, 86 et 87. *De Ani.* l. 3.º lect. 7 et 9. *QQ. Disp. De Ani.* Art. 44. *Sum. Theol.* 1.º P. q. 75, art. 4.º et seqs.

Quoad secundum: docet scæpe, objectum intellectus esse ens et ea quæ sunt per se entis, ac proinde tam corporalia quam spiritalia. Docet: «intelligere, est universalium et incorruptibilium, et per hanc operationem differt (homo) a brutis.» Docet: «si intellectus sit corpus, actio ejus ordinem corporum non excedit; non igitur intelligit nisi corpora. Hoc autem patet esse falsum; intelligimus enim nulla quæ non sunt corpora.» Docet: «potentia autem intellectus est quodammodo infinita in intelligendo; in infinitum enim intelligit, species numerorum augendo... cognoscit etiam universale,» quorum sane neutrum corpori, vel materiæ congruit. Docet: «nullius corporis actio reflectitur super agentem... intellectus autem supra seipsum agendo reflectitur; intelligit enim se ipsum... Sicut intelligit rem, ita intelligit se intelligere; et sic in infinitum.» Docet: «imaginatio non est nisi corporalium et singularium...; intellectus autem universalium et incorporeum est.» Docet: «in animabus brutorum non est invenire aliquam operationem superiorem operationibus sensitivæ partis; non enim intelligunt nec ratiocinantur. Quod ex hoc apparet, quia omnia animalia ejusdem speciei similiter operantur, quasi a natura mota et non ex arte operantia; omnis enim hirundo similiter facit nidum... nulla igitur operatio est animæ bruti quæ possit sine corpore esse.» Quorum quidem verborum quasi commentarium haberi possunt quæ habent Buffon, Bossuet et Bonald.

Horum primus hæc scribit: «La prevision de las hormigas era un fanatismo que se las habia concedido observándolas, pero que se les ha retirado observándolas mejor... sus provisiones no son sino montones supérfluos, acumulados sin idea ni conocimiento del porvenir... Por igual razon recogen las abejas mucha mas miel y cera de la que necesitan; y nosotros nos aprovechamos, no tanto del producto de su inteligencia, como de los efectos de su estupidez.»

intellectus et voluntatis liberæ, in infinitum distant a sensatione et instinctu brutorum, sine illæ inter se conferantur quoad dependentiam a corpore, sive quoad modum operandi, sive quoad objecta quæ attingere valent.

Objic. 3.º Corpus nequit agere nisi in corpoream substantiam; sed corpus agit in animam, ut experientia constat: ergo.

Resp. Dist. min. Agit in animam per concomitantiam, conc. per contactum physicum, neg. Quia anima et corpus in unam naturam specificam et completam, ac in unam personam perfectam coalescunt substantialiter, nihil mirum si modificationes et affectiones corporis animam simul attingant, sicut et hujus operationes in illud redundant. At hæc mutua, vel potius communis actio, contactum corporeum non exigit, nec supponit, sed tantum animam veram esse formam substantialem corporis ipsique substantialiter et intime uniri.

ARTICULUS SECUNDUS.

De immortalitate animæ.

Prænotandum 1.º substantiam aliquam dici posse immortalem, vel essentialiter, vel naturaliter. Res dicitur immortalis immortalitate essentiali, si a se excludat quodcum-

En verba Bossuet: «Aun quando se concedan sensaciones á los animales, no por eso se les habrá concedido nada espiritual... porque aunque el alma de las bestias sea distinta del cuerpo, no hay apariencia que pueda conservarse separadamente, porque no tiene operacion que no esté totalmente absorbida por el cuerpo y por la materia.»

Bonald: «La facultad interior que conduce á los animales y da impulso á sus movimientos, está limitada en cada especie por su organizacion particular... La facultad interior que anima al hombre, gobierna y dirige sus acciones, no está limitada por su organizacion, pues que el hombre inventa todos los dias nuevos medios de estender la fuerza de sus órganos ó de suplir á su debilidad... Hay, pues, lo infinito entre el hombre y el bruto respecto de la inteligencia. Los animales tienen una facultad de recibir imágenes y no inteligencia de las ideas; sensaciones y no sentimientos, hábitos y no reflexiones; hacen movimientos exigidos por un instinto ó por un impulso; y no acciones dirigidas por una voluntad.»

que principium possibile corruptionis vel destructionis, tam internum quam externum. Quo sensu solus Deus immortalis existit, quoniam solius Dei existentia est absolute, essentialiter necessaria et indefectibilis. Ad immortalitatem *naturalem*, sufficit quod rei nullum adsit internum principium corruptionis, nec per se, nec per accidens.

Prænotandum 2.^o rem dici immortalem ab *intrinseco* quatenus nec ullum dissolutionis principium in se continet, nec ulla est creata causa quæ eam possit destruere. Si vero, quamvis absolute per infinitam causam destrui possit, de facto tamen minimè unquam destruitur, tunc dicitur immortalis etiam ab *extrinseco*, immortalitate naturali. Ergo plena animi humani immortalitas, constat et immortalitate *naturali*, et immortalitate facti ab *extrinseco*. Sit itaque

THESIS 1.^a

Rationalis anima est immortalis naturaliter.

Prob. 1.^o Illud dicitur naturaliter seu ex natura sua immortale, quod nec ullum corruptionis seu dissolutionis principium in se continet, nec per ullam creatam causam destrui potest; atqui sic se habet rationalis anima; ergo.

Probatur min. Quod est omnino simplex: 1.^o nullum corruptionis principium intra se habere potest, repugnat enim aliquid sibi ipsi esse contrarium, aliter idem secundum idem esset destruens et corrumpens seipsum: 2.^o nec per creatam causam destrui potest; nam hæc eatenus substantiam aliquam corrumpere potest quatenus ejus partes sejungere valet; hæc enim ratione et non alia creatas substantias corrumpi videmus et concipimus; ergo agere nequit ad corruptionem substantiæ quæ nullas habeat partes ab invicem separabiles. Subsumo: atqui rationalis anima est substantia omnino simplex, ut supra demonstravimus; ergo nullas habet partes ab invicem separabiles: ergo nullum habet in se corruptionis principium, nec extra se, inter causas naturales seu creatas.

His adde, substantiam simplicem non nisi per annihilationem deficere posse, ut apud omnes notum est: annihilationem autem nullius creatæ et finitæ causæ, sed solius Dei propria operatio existit. Ex quo ulterius colliges, quid sibi velit

D. Thomas dum ait, quod esse *per se* convenit rationali animæ, quia, nempe, existentia ita essentialiter et inseparabiliter comitatur substantiam simplicem animæ, ut ab ipsa nisi per omnipotentiam Dei separari nequeat, quod tamen absolutam seu essentialem contingentiam hujus minime excludit.

Probatur 2.^o Anima rationalis corrumpi naturaliter nequit, nec per se, nec per accidens: ergo est naturaliter incorruptibilis. Prob. ant. Quoad primam partem constat; quia illud dicitur obnoxium per se corruptioni, cujus partes ab invicem separari possunt, seu quod desinit esse id quod erat propter dissolutionem et separationem partium, ut dum forma separatur a materia, in hypothesi generationis substantialis rerum ex Aristotele, vel etiam, extra hanc hypothesim, dum, vel anima brutorum a corpore cui conjungitur, vel partes cujuslibet corporis separantur; tunc enim et corpus hoc, et illud brutum deficient et corrumpuntur. Quoad secundam partem, similiter constat; quoniam hic corruptionis modus accidentibus tantum congruit, quæ desinunt esse, destructo subjecto vel substantia cui inhaerent. Ergo quia anima rationalis simplex existit, nec ullis constat partibus, corruptione *per se* non est obnoxia; quia vero est substantia ac proinde subjectum accidentium seu modificationum, et non modificatio, non est obnoxia corruptioni *per accidens*. (1)

(1) Vid. Estudios cit. 1. 4.^o C. 3.^o Aug. Nicolas, Estudios filos., etc., lib. 4.^o Cap. 3.^o et lib. 2.^o, p. 2.^o C. 6.^o

D. Thomas plurima affert ad immortalitatem animæ demonstrandam, præsertim *Sum. C. Gent.* lib. 2.^o C. 55 et 79, ubi inter alia hæc profunde philosophica habet: «Nulla res corrumpitur ex eo in quo consistit sua perfectio; hæc enim mutationes sunt contrariæ, scilicet, ad perfectionem et ad corruptionem. Perfectio autem animæ humanæ consistit in abstractione quadam a corpore; perficitur enim anima scientia et virtute. Secundum scientiam autem tantò magis perficitur, quanto magis immaterialia considerat: virtutis autem perfectio consistit in hoc quod homo corporis passiones non sequatur, sed eas secundum rationem temperet et refrenet: non ergo corruptio animæ consistit in hoc quod a corpore separetur... Si igitur anima secundum operationem suam perficitur in relinquendo corpus et corporea, substantia sua in esse suo non deficiet per hoc quod a corpore separatur.

Ergo immortalitas naturalis et ab intrinseco rationalis animæ, consecutione absolute necessaria ex ejusdem omnimoda simplicitate et spiritualitate profluit et colligitur. (1)

THESIS 2.^a

Naturalis animæ immortalitas, ejus conservationem post separationem a corpore, quoad vitam etiam includit.

Prob. Intellectualis vita ex intellectione exurgit ac consequitur, sicut et libera volitio, quæ intelligendi actum similiter consequitur; atqui intellectio remanet in anima a corpore separata: ergo. Prob. min. Quidquid sit de sensibus, imaginatione, vel aliis sensitivæ partis viribus, certum est

Item: proprium perfectivum hominis secundum animam est aliquid incorruptibile; propria enim operatio hominis in quantum hujusmodi est intelligere, per hanc enim differt a brutis, et plantis, et inanimatis; intelligere est universalium et incorruptibilium in quantum hujusmodi; perfectiones autem oportet esse perfectibilibus proportionatas: ergo anima humana est incorruptibilis. Ubi vides, D. Thomam ex ipsa perfectione et elevatione operationis intellectualis supra materialia omnia, atque simul etiam ex characteribus propriis objecti intellectus, qui sunt necessitas et universalitas, incorruptibilitatem subjecti intelligentis seu animæ profundissima ratione colligere et demonstrare. Nam, ut ipsemet subdit, (Cap. 55) «intelligibile est propria perfectio intellectus... unde quod convenit intelligibili in quantum est intelligibile, oportet convenire intellectui... quia perfectio et perfectibile sunt unius generis: intelligibile autem, in quantum est intelligibile, est necessarium et incorruptibile, necessaria enim perfecte sunt intellectu cognoscibilia, contingentia vero in quantum hujusmodi, non nisi deficienter... Unde et corruptibilem, (rerum) intellectus scientiam habet... in quantum sunt universalia.»

(1) Unde merito Aug. Nicolas loc. cit. «Lo que llamamos muerte, no es pues un aniquilamiento, es una des-composicion, una di-solucion, una corrupcion, palabras que indican solamente una separacion de partes. Hé aquí lo que entendemos por muerte. Por consiguiente, cuando decimos que el alma carece de partes, decimos que no está sujeta á muerte. Y sabemos que carece de partes, porque la llamamos espiritual y simple... La muerte no es mas que una descomposicion; y siendo el alma simple, no puede ser mortal. Su esencia y sus operaciones son de tal manera distintas de las del cuerpo, que la separacion de sus destinos se concibe aun mejor que la de su asociacion.»

ac indubium animæ a corpore sejunctæ nihil deesse eorum quæ ad intellectionem requiruntur. Enimvero.

1.^o Habet vim seu facultatem intelligendi; intellectus siquidem propria facultas existit ejusdem utpote substantiæ spiritualis, in ea sola tanquam in proprio subjecto recipitur, nec per corporeum organum ejus actus perficiuntur.

2.^o Animæ non deest objectum quod intelligat, non solum quia ideas quas in præsentí vita acquisivit, servat, etiam si ad res corporeas ordinem dicant, sed quia objecta pure spiritualia, ut Deum, veritatem, omnipotentiam, creationem, etc. percipere potis est. Quod si per impossibile hæc objecta ipsi deficerent, saltem habet seipsam sibi intime præsentem quoad substantiam, et quoad actus et affectiones. Nec objicias, animam nihil sine phantasmate percipere; id namque verum est pro hoc statu unionis ad corpus, ut sic, scilicet, modus operandi respondeat modo essendi.

Præterea: dependentia intellectus a phantasmate in præsentí statu minime tollit distinctionem essentialem inter utrumque; aliud est siquidem phantasma imaginationis, aliud prorsus diversum actus intellectus, ut apud omnes constat philosophos. Quinimo, si doctores mysticos audias, in hac quoque vita, eliciuntur quandoque ab homine actus intellectus absque ullo sensuum phantasmate. (1)

THESIS 3.^a

Rationalis anima est etiam immortalis ab extrinseco, quatenus Deus, ejus existentiam et vitam perpetuo servat.

Prob. 1.^o Anima, ex supra demonstratis, est immortalis ex sua natura, nec perire potest nisi quatenus Deus ipsam in nihilum redigeret; atqui Deus eam in nihilum nequaquam

(1) *Visio intellectualis*, nuncupatur hic actus in mystica Theologia. Vid. Obr. de Sant. Ter. T. 1.^o, pag. 81, 475 et 482 edic. de La Fuente. Scaramelli, *Directorio Mist.* Trat. 1.^o, C. 8.^o et 41, ubi sic scribit: «En esta vision no hay mezcla alguna de fantasmas, ni concurso alguno de la fantasia; antes ni lo puede haber, porque tiene una vista especialísima y sublimísima de Dios, á quien son totalmente desproporcionados nuestros sentidos materiales y bajos.»

redigit, tum quia Deus, utpote conservator et non destructor naturæ, nullam substantiam in nihilum revocat, sed omnia regit, administrat, et servat, juxta id quod unaquæque res ex propria natura postulat; tum quia si anima per annihilationem periret, peioris esset conditionis quam corpus humanum, quod post mortem manet; immo deterioris esset conditionis quam cætera corpora et inferiores substantiæ, ut brutum, arbor, lapis, etc., hæc enim omnia dum mortem oppetunt vel corrumpuntur, permanent quoad materiam, et quoad partes et atomos ex quibus præfata corpora, conflantur, ut experientia et ratione constat: ergo anima immortalis est ab extrinseco, seu perpetuam existentiam post separationem a corpore servabit.

2.^o Homo ad summum bonum, summamque beatitudinem est destinatus ab ipsa sua natura, vel potius a naturæ Auctore Deo, ut aperte constat ex innato appetitu et desiderio quo ad summam felicitatem tanquam ad ultimum ipsius finem indesinenter et necessario fertur: atqui hujusmodi naturale desiderium esset frustra et illusorium, si anima corpori superstes non esset, aut perpetuo non viveret: ergo aut dicendum Deum illudere homini, quod ejus infinitæ veritati et sanctitati repugnat, aut concedendum animam a corpore separatam in æternum vivere. Prob. min. Certum est, et nimium experientia compertum, perfectam felicitatem in hac vita obtineri non posse: certum similiter, hominis felicitatem, nec summam, nec veram esse posse nisi in æternum duret; nam quod aliquando amitti potest summam felicitatem constituere nequit, nec hominem vere beatum reddere: ergo hominis ordinatio ad ultimum finem, atque a natura insitum desiderium summæ beatitudinis frustra et fallaciter homini a natura et naturæ Creatore inseruntur, si anima aliquando peribit, vel vivere desinet post corporis dissolutionem. (1)

(1) Utamque hanc demonstrationem breviter, pro more, attingit D. Thomas, *Sum. Cont. Gent.*, lib. 2.^o C. 55 et 79 his verbis: «Substantiæ intellectuales non potuerunt incipere esse nisi per potentiam Primi Agentis, non enim sunt ex materia quæ potuerit præfuisse (id est, non incipiunt esse, nec coagmentantur ex præexistente materia, ut accidit in substantiis corporeis, planta, lapide, etc. quæ

3.^o Certo certius est, Deum, et justum esse, et huic mundo quem ex nihilo condidit congrue providere; atqui Deus, nec esset justus, nec providus, si animæ vitam post separationem a corpore non conservaret: ergo. Prob. min. Dei justitia et providentia in eo maxime elucescunt et positæ sunt, quod virtuti congruum præmium, sicut et vitio pœna digna rependantur; atqui si altera non superest animæ vita post mortem, nec virtuti dignum præmium, nec vitio debita pœna rependantur. Equidem, non raro observamus viros probos religionem et virtutem colentes, paupertate, calumnia, ærumnis et doloribus angere et primi; dum simul celesti et perditii homines, virtutem, probitatem, justitiam, ipsumque Deum contemnentes, honoribus, divitiis, omnique prosperitatum genere abundant. Ergo, vel neganda Dei justitia et providentia, ac proinde negandum Deum existere, quan-

ex materia præexistente efformantur): igitur, nec est aliqua potentia ad non esse earum nisi in Primo Agente, secundum quod potest non influere eis esse. Sed ex hac sola potentia nihil potest dici corruptibile; tum quia res dicuntur necessariae et contingentes secundum potentiam quæ est in eis, et non secundum potentiam Dei; tum etiam quia Deus, qui est institutor naturæ, non subtrahit rebus quod est proprium naturæ earum. Ostensum est autem, quod proprium naturis intellectualibus est quod sint perpetuæ; unde hoc eis a Deo non subtrahitur. Sunt igitur substantiæ intellectuales ex omni parte incorruptibiles.

Impossibile est appetitum naturalem esse frustra: sed homo naturaliter appetit perpetuo manere; quod patet ex hoc quod esse est quod ab omnibus appetitur, homo autem per intellectum apprehendit esse non solum ut nunc, sicut bruta animalia, sed simpliciter (absolute et in universali): consequitur ergo homo perpetuitatem secundum animam, qua esse simpliciter et secundum omne tempus apprehendit. »

Ex his et aliis, quæ supra attulimus et citavimus, conjicere fas est, Antonium Arnauld, vel nescisse quid loqueretur, vel egregie mentitum fuisse, dum affirmavit neminem ante suum Cartesium animæ immortalitatem solide demonstrasse. Quid ergo, ut de Platone, Cicerone, Seneca et aliis veteribus sciamus; ut non solum D. Thomam, sed D. Bonaventuram, Albertum Magnum, cum aliis primi nominis Scholasticis silentio prætermittamus, nunquid animæ immortalitatem solide non constituerunt Chrysostomus, Augustinus et plurimi alii ex Ecclesiæ Patribus? Vide Ritter, *Histoire de la Phil. chrétien.* Trad. J. Trullard, L. 3.^o, C. 3.^o L. 6.^o, C. 5.^o et passim.

doquidem Deus non erit si justus et providus non sit; vel asserenda altera vita in qua bonis et malis justitia ad æqualitatem et æquilibrium rependatur. (1)

Addenda hic forent argumenta alia, præsertim ea quæ ex omnium gentium et hominum consensione, tum etiam ex philosophorum et scriptorum omnis ferme ætatis, si atheos excipias, testimonio et sententia desumuntur; sed omittimus, ne operis elementarii terminos et conditionem prætergradiamur. (2).

(1) Apposite atque eleganter pro more suo, in rem hanc Chrysostomus, *Hom. 4.º De Provid.* «Nam si is qui Deum rite colunt, injuriis affecti migrant, impii contra, injusta felicitate potiti; non ergo justitia in Deo est, si suos non potest honoribus præmiisque donare. Quod si Deo, aut potentiam, aut justitiam, aut oculos ad cernendum tollis, Dei vocabulum inane fit. Omni namque ratione concluditur, ut si nullo præmio afficit eos qui inquirunt illum, nec Deus quidem ullo modo sit, nisi Deum, aut cæcum, aut imbecillum, aut iniquum habeamus: cæcum, qui suos non videat: imbecillum, qui dare præmia non possit: iniquum qui nolit.»

(2) «Maximum vero argumentum est, ajebat Cicero, naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam judicare, quod omnibus curæ sunt, maxime quidem, quæ post mortem futura sunt... Quid ipsa sepulchrorum monumenta, quid elogia significant, nisi nos futura cogitare?... Inhæret in mentibus quasi sæculorum quoddam augurium futurorum: idque in maximis ingenii altissimisque animis, et existit maxime, et apparet facillime... Quod si omnium consensus naturæ vox est, omnesque qui ubique sunt, consentiunt, esse aliquid quod ad eos pertineat qui e vita cesserunt, nobis quoque idem existimandum est.» *Tusc. lib. 1.º, cap. 13.*

Nihilominus tamen circa philosophorum et reliquorum gentilium scriptorum consensum et sententiam de animorum immortalitate, præ oculis habere oportet:

1.º Ipsos quandoque, dum privatam tantum rationem consulunt a communi naturæ sensu et traditionali philosophia oculos avertentes, ancipites et quasi vacillatione agitados se præbere, quod plane ostendit veritatem istam, quamvis revera per rationem naturalem demonstrari certo possit, plurimum tamen lucis et claritatis ipsi affundi ex divina revelatione. Et quidem, Cicero ipse, quem paulo ante de animorum immortalitate egregie disserentem, ex communi hominum et naturæ sensu vidimus, in eodem libro sic de anima loquitur: «Harum sententiarum quæ vera sit, Deus aliquis viderit, quæ verisimilis, magna quæstio est. Similiter Tacitus in vita Agricolæ: «Si quis piorum manibus locus; si, ut sapientibus placet, non cum

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.º Quod a corpore pendet ut existat, interire debet simul cum corpore; atqui anima rationalis pendet a corpore ut existat: ergo. Prob. min. Anima non existit ante corpus: ergo a corpore pendet ut existat.

Resp. Dist. min. Pendet a corpore tanquam a re ad quam perficiendam et informandam destinatur, conc. tanquam a re sine qua existere nequeat, neg. Eo namque ipso quod anima est corporis forma, consequitur ipsam non incipere esse nisi cum corpore quod informare et perficere debet, ad quod perficiendum et informandum habitudinem habet. Unde ex argumento id unum colligitur, animam rationalem esse veram et substantialem corporis formam, quod nos ultro fatemur; minime vero, eam a corpore pendere quoad existentiam conservandam.

Contra: Sed forma dependet a materia etiam quoad existentiam conservandam: ergo si anima est forma corporis, ab eo pendet quoad conservationem.

corpore extinguuntur magnæ animæ, placide quiescas.» Atque Aristoteles quoque non satis clare animæ immortalitatem tuitus est; quandoquidem extiterunt quidam auctores, qui ipsi oppositam tribuerunt sententiam, quamvis, ut mihi probabilius videtur, injuria et absque sufficienti fundamento. De qua re confert Suarez, *De oper. sex. dier. tract. 3.º, C. 11.*

2.º Eosdem veteres, ad conceptionem perfectam immaterialis et spiritualis omnino animæ, aut nunquam, aut summo labore elevari. Eorum siquidem maxima pars, ipsis platonice non exceptis, qui ad spiritualismum in re hæc præ cæteris accesserunt, hominum animas imaginabantur subtilissimo corpore, vel ex æthere purissimo, vel ex aere et vaporibus conflato, quasi vehiculo et indumento delatas et stipatas, etiam postquam a corpore per mortem separantur. Atque exinde poetarum et historicorum commenta de mortuorum umbris, circa sepulchra volitantibus: exinde etiam doctrina Manium, qua voce animam hominis prout animæ sensitivæ et subtilissimo præfati corpori conjunctam, plurimi nuncupasse videntur: atque exinde demum animarum descensus ad infernum, in quo, ratione præfati corporis sibi indivulse adhærentis supplicia et pœnas luere et pati poterant. Fortasse et Tertullianus hanc veterum doctrinam reminiseebatur, dum animam corpoream dicebat.

Resp. Dist. min. *Si sit forma accidentalis, vel substantialis non subsistens, conc. si forma substantialis subsistentiam habeat, neg.* Rationalis itaque anima cum et substantia sit, et subjectum modificationum, et principium eliciens operationes quæ ab ipsa sola procedunt, et in ipsa sola recipiuntur, quæque per corporeum organum non perficiuntur, seipsam possidet quoad esse et operationem intellectualem, ac proinde subsistentiam propriam habet. Quapropter absolum est instituere comparationem, non solum cum formis accidentalibus, quæ sunt merae subjecti modificationes, sed cum formis etiam substantialibus, quæ subsistentiam propriam non habent, ut sunt animæ brutorum, quæ quamvis inextensæ et indivisibiles sint, prouti docet D. Thomas, existere tamen nequeunt absque consortio corporis, eo quod ab ipso pendeant in omnibus suis operationibus et motibus: porro, dependentia quoad operationem infert dependentiam quoad existentiam: operari enim sequitur esse, et juxta modum operandi est modus essendi.

Objic. 2.^o Remoto fine, removetur id quod est ad finem illum; atqui finis rationalis animæ est constituere integram naturam et personam per unionem cum corpore: ergo cum per mortem deficiat hujusmodi integritas, deficere quoque debet rationalis anima.

Resp. Dist. maj. Remoto fine *totali et adæquato, conc. inadæquato et partiali, neg.* Integritas naturæ quæ ex unione resultat, finis quidem inadæquatus animæ nuncupari potest, quatenus omne incompletum ad completum et perfectum naturaliter ordinatur. Ast vero, proprius ac magis præcipuus animæ finis, est Dei possessio per cognitionem et amorem, quem quidem finem etiam a corpore separata adsequi potest, et quidem perfectiori ratione quam corpori juncta. Anima, nempe, eo ipso quod est substantia, est propter se et suam propriam operationem.

Objic. 3.^o Argumentum pro animæ immortalitate desumptum ex virtutis præmio et peccati supplicio in futura vita, nullius est roboris: ergo. Prob. ant. Virtus sufficiens præmium obtinet per internam tranquillitatem, bonæ conscientie testimonium, justorum approbationem, etc.; vitium vero supplicium condignum per prædictorum opposita, ac maxime per conscientie prævæ angorem et remorsus: ergo opus

non est alteram vitam expectare pro virtutis præmio et peccati pœna.

Resp. Neg. utrumque antec. *Quis enim sibi persuadeat ærumnas, labores, persecutiones, injurias per longum tempus, ac fortasse etiam per totam vitam ad mortem usque tolerata, satis præmii accipere ex bonis in argumento citatis, præsertim cum ipsa animi et conscientie tranquillitas atque testimonium, originem ducant ex spe et fiducia future et sempiternæ felicitatis, dum justus recollit, quod non sunt condignæ passionibus hujus temporis ad futuram gloriam que revelabitur in nobis?* *Quis etiam sibi persuadeat, Tiberium ex. gr. aut Neronem, satis propter scelera maxima punitos, ab irrequieta conscientia, vel animi timore, quem omni honorum, delectationum ac deliciarum genere, si non penitus delere, at certe consopire poterant, ut in scelestis quibusdam hominibus etiamnum videmus? Misera proculdubio esset justi conditio, si ejus animus simul cum corpore extinguendus esset; namque, ut merito ajebat D. Paulus: si in hac tantum vita in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus... Manducemus et bibamus, cras enim moriemur.*

CATUT SECUNDUM.

ET UNIONE ANIME ET CORPORIS.

ARTICULUS PRIMUS.

De natura unionis inter rationalem animam et humanum corpus.

Prænotanda.

1.^o Philosophorum sententiæ de natura unionis inter rationalem animam et corpus, a tota retro antiquitate ad nostra usque tempora, ad duas revocari possunt. Quidam cum Platone docent animam corpori uniri, simili ratione qua motor mobili, nauta navi, eques equo cui insidet, agens vel artifex instrumento quo utitur, conjunguntur. Hanc Platonis theoriam adoptarunt non solum Cartesius, Mallebranche cum reliquis ferme omnibus cartesianis, sed et maxima recentiorum

pars, si non expressis verbis, at certe sensu et doctrina. (1)

2.^o Alii vero, inter rationalem animam et corpus, *substantialem* unionem existere docent, vel, quod in idem redit, animam non merum motorem, ut Plato ejusque adsectæ autumant, sed formam substantialem esse corporis humani. Ne autem in æquivoco laboremus, atque ne quis existimet, monstrum aliquod latere sub denominatione *formæ substantialis*, eam perspicue, quantum fas erit, definiemus, simul cum unione substantiali, quæ ejusdem est proprius et formalis effectus.

3.^o Itaque, tunc aliquid alteri conjungitur per modum *formæ substantialis*, tuncque proinde existit *substantialis unio*, quando *duæ substantiæ incomplete*, ita inter se conjunguntur, ut ex ipsis exurgat et coalescat una natura completa, et unum suppositum, vel persona completa, in qua et per quam existant et explicantur omnes operationes, vel affectiones, quarum utraque incompleta substantia est capax, sive ex seipsa, sive ex consortio alterius; quæ præfata unio talis esse debet, ut neutra illarum substantiarum in altera existat tanquam in sustentante, nec tanquam pars in toto.

4.^o Ex hac notione facile colligitur, unionem substantialem toto cælo discriminari ab ea, quam Plato, Cartesius et eorum discipuli commenti sunt animam inter et corpus. In eo namque systemate, nec substantiæ conjunctæ sunt incomplete, nec proinde ex eis unum suppositum exurgere potest, sicut eques et equus cui insidet et quem regit et movet, non unum, sed duo completa sunt supposita; nec affectiones sensibiles doloris, ex. gr. voluptatis, etc., aut sensationes, a corpore pendent, sed ab anima sola; ac proinde, vel in ea

(1) Quod ideo dico, quia vix unum aut alterum reperies, qui non asserat, vel saltem non supponat, *ego* sive personalitatem hominis, per solam animam constitui; nihil enim apud ipsos adeo frequens quam dicere: «el yo es una sustantia simple:» «el yo es immaterial é indivisible;» «la unidad de conciencia del yo constituye la personalidad humana,» etc. Ubi, ut vides, persona humana, quæ significatur per *ego*, aperte tribuitur animæ, cui soli congruat simplicitas, indivisibilitas, immaterialitas, per exclusionem corporis et compositi ex anima et corpore, cui vere et proprie congruit ratio personæ humanæ.

post separationem remanebunt, vel cum Platone opus erit admittere, præter rationalem, sensibilem aliam animam in homine, quæ ratio sufficiens sit ac principium prædictarum affectionum et sensationum; nec denique unio animæ et corporis ex conditione et natura ipsa animæ procedit, sed accidentaliter tantum fit, cum aliis bene multis placitis sensui hominum communi adversantibus, quæ hujus systematis propugnatores admittere coguntur. (1)

THESIS.

Rationalis anima est forma substantialis hominis, cujus corpori proinde substantialiter unitur.

Prob. 1.^o Anima est forma substantialis hominis substantialiterque humano corpori conjungitur, si eas includit conditiones quæ ad rationem formæ et unionis substantialis

(1) Hinc profluit proculdubio altum silentium quod hodierni philosophi, ut plurimum, servant, circa naturam et conditiones unionis inter animam et corpus. Ex una namque parte perspicunt, unionem illam accidentalem Platonis, vel Cartesii, absurdis sceleret et communi sensui repugnare: ex altera parte, formæ substantialis nomen abhorrent, et significationem ignorant, nec fortasse sciunt in quo sita sit *unio substantialis*, vel quæ conditiones ad ipsam requirantur. Cæterum, qui scire velit quo tandem deveniat systema hocce platonico-cartesianum, audiat auctorem *Institutionum Lugdunensium*, quæ, ut omnes norunt, philosophiæ cartesianæ spiritum et medullam planè continent, asserentem quod «in es consistit mentis (inimæ rationalis) et corporis nostri conjunctio, quod occasione mutuum corporis, in mente nascantur cogitationes, et occasione cogitationum mentis, excitentur motus in corpore.» Mirabile inventum mehercule! Itaque, si supponas unum horologium in altero inclusum, simulque imagineris determinatis motibus unius respondere determinatos motus in altero, absque ullo tamen influxu reali unius in alterum, et absque eo quod unum ab altero quidquam recipiat, nec quoad naturam, nec quod esse, nec quoad operationem, nec quoad unitatem, ut vere res se habet; nam unum horologium nihil horum ab altero recipit, nec aliam relationem cum incluso habet quam ipsum intra se continere; si hæc, inquam, supponas, habebis exemplar unionis quæ intercedit inter rationalem animam et corpus humanum, ad sensum Cartesii et cartesianorum. Quod tamen nihil obstat quominus Cartesius quotidie nobis offeratur tanquam veræ psychologiæ parens et auctor.

requiruntur; atqui revera ipsi conveniunt assignatæ conditiones, quatenus nempe: 1.° anima et corpus sunt substantiæ incompletæ: 2.° ita invicem conjunguntur, ut *unam* naturam perfectam, et *unum* suppositum seu personam constituent: 3.° quælibet earum ab altera pendet, ut plene sit et operetur: 4.° neutra earum in altera existit tanquam in subjecto sustentante, nec tanquam pars in toto: ergo. Prob. min. quoad singulas partes.

Quoad primam. Illa substantia dicitur completa, quæ ita in se et per se existit, ut non indigeat alteri uniri vel communicari ad constituendam essentiam specificam, nec ad exercendas et explicandas affectiones et operationes omnes quarum est capax: atqui nec corpus, nec anima habent hunc modum subsistendi, vel existendi dum seorum accipiuntur, ac multo minus explicare possunt omnes affectiones et operationes quarum capacia redduntur, dum inter se coalescunt. Etenim, ipso communi hominum sensu teste, nec corpus solum, nec anima sola, naturam humanam seu hominem constituunt. Deinde, corpus nec vivit, nec vegetat, nec se loco movet, nec alias vitales functiones et affectiones exerit, absque consortio animæ; et vicissim anima, non solum has vires et operationes, sed nec ipsas sensationes, quæ per corporea organa exeruntur, explicare valet aut evolvere, absque consortio corporis humani. Ergo nec corpus, nec anima, seipsa perfecte possident quoad esse et operari, dum separata accipiuntur et existunt. Ergo sunt substantiæ incompletæ.

Quoad secundam. Ex dictis et ex sensu communi naturæ, *homo*, est una essentia specifica, seu quædam species perfecta in genere substantiæ: similiter, singularis substantia hujus speciei, ex. gr. *Petrus*, est una persona humana: atqui ex ipso communi hominum sensu, nec *homo*, nec *Petrus*, constituuntur, aut per solam animam, aut per solum corpus, sed utrumque simul includunt et significant: ergo anima et corpus ita inter se uniantur, ut *unam* naturam et *unum* suppositum constituent.

Quæ res evidenter quoque patescit ex eo quod communis naturæ et hominum sensus, tam corporis quam animæ actiones, passionis, et affectiones, homini tanquam *uni* substantiæ tribuit. Quamvis namque ex. gr. sapientia et justitia

immediate ad animam spectent et ab ea procedant: quamvis similiter, sanitas et pulchritudo corpus immediate afficiant, non dicimus tamen corpus esse sanum vel pulchrum; non dicimus animam esse sapientem vel justam, sed dicimus *hominem esse sanum, pulchrum, sapientem, justum*. His adde, quasdam esse affectiones et operationes, quæ nec corpori, nec animæ seorsim sumptis, tribui queunt, sed composito ex utroque, ut affabilem esse, videre, audire, que, ut aptissime D. Thomas ait, sunt *totius conjuncti*.

Quoad tertiam. Hæc pars ex præcedentibus sequitur et constat. Nam 1.° si neque anima omnes operationes et affectiones quarum est capax, ut sensationes, tristitiam sensibilem, iram, locomotiones, etc., exercere postet sine consortio corporis, ut vidimus et experientia patescit, consequitur profecto, ipsam se non plene et perfecte possidere quoad operari, dum sine corpore existit. Quod idem potiori ratione in corpore apparet. 2.° Dum homo deficit per mortem, et anima seperatur a corpore, utraque substantia certe aliquid perfectionis amittit, quia corpus vita et motu privatur, et anima functiones vegetativæ vitæ, animalis et sensibilis non exerit. Ergo neutra ab altera est independens quoad operari. Ergo etiam quoad esse una earum ab altera pendet; res enim subsistentiam completam non obtinet, nec substantia perfecta est, nisi quatenus plene seipsam possidet quoad operari.

Quoad quartam partem; ex terminis constat. Nam cum anima et substantia, alteri non hæret tanquam subjecto, quod est proprium accidentium; et cum simul sit immaterialis, simplex et spiritualis, ut demonstratum est, repugnat eam esse corporis partem, vel corpus partem animæ.

Prob. 2.° Forma substantialis rei est illud quod est ei principium formale essendi; atqui rationalis anima est principium formale essendi respectu hominis: ergo. Prob. min. Quod dat essentiam homini, ipsumque constituit in propria specie, formale principium essendi merito dicitur; atqui ex rationali anima habet homo quod sit *homo*, et quod constituat naturam et speciem substantiæ a cane, leone, arbore, cæterisque speciebus substantiarum essentialiter distinctam: ergo rationalis anima est principium formale essendi, ac proinde *essentiale* hominis. Quinimo, ipsum corpus, esse

humanum recipit ab anima; eatenus enim corpus Petri est corpus *humanum*, quatenus informatur, animatur et vivificatur substantialiter per rationalem animam, vel aliis verbis, quatenus ex unione et per unionem cum ipsa, unam substantiam completam, unam naturam specificam, et unam personam constituit; cui personæ, ratione *unitatis substantialis*, quæ ex unione exurgit, tribuuntur affectiones et operationes, sive hæ ratione corporis, sive animæ in natura humana, vel persona efflorescant, prout naturæ communis sensus et totius generis humani fert consuetudo. (1) Atque hinc est etiam, quod corpus non vere dicitur *humanum*, antequam ipsi rationalis anima infundatur.

(1) Ad rem apposite, P. Raulica: «El lenguaje del género humano no es otra cosa que la razón humana hablada... Magnífico reflejo de la razón divina, esta razón universal humana, así como el lenguaje que es su expresión, es el precioso depósito de todas las ideas, de todas las verdades naturales, y por consiguiente de la verdadera filosofía... Pues en el lenguaje común de los hombres, no se dice: «El espíritu de Pedro razona, la lengua de Pedro habla: los pies de Pedro andan, el cuerpo de Pedro está bueno, ó está malo;» sino que se dice: «Pedro razona: Pedro habla: Pedro anda: Pedro escribe: Pedro está bueno ó está enfermo.»

Tampoco se dice de un perro: Que su alma ama á su amo: sus dientes roen bien los huesos: sus pies alcanzan la caza; sino que se dice: «Este perro ama á su amo: este perro roe bien los huesos; alcanza la caza.»

Así, pues, en su modo de expresarse respecto á las operaciones de todo compuesto viviente, el género humano siempre y en todas partes las atribuyó á su principio sustancial, y no á sus órganos; á todo el compuesto, y no á sus partes. Por último, es uno mismo y único individuo-hombre el que realiza al mismo tiempo los tres actos de toda forma natural, las tres generaciones de la vida vegetativa, las tres funciones de la vida sensitiva, y que además despliega con la mayor independencia las tres facultades de la vida intelectual. De suerte que el gran principio de la filosofía cristiana: que las acciones de todo compuesto viviente, no pertenecen al alma sola ni al cuerpo solo, sino al alma unida con el cuerpo, al individuo, al conjunto, *actiones sunt conjuncti*, no es el fondo más que una de las ideas, una de las concepciones generales del espíritu humano, de la razón humana; una de las creencias prácticas de la humanidad entera, y por consiguiente esta es una verdad profunda é incontestable.

Y reconocer que las acciones del compuesto viviente no deben atribuirse sino al conjunto y no á sus dos sustancias tomadas sepa-

ARTICULUS SECUNDUS.

De unitate animæ in homine.

§ I.

Prænotiones et opiniones philosophorum.

1.º Triplex genus vitalium operationum in homine observantur; quorum primum continetur motibus et operationibus illis, quæ ex libera voluntate non pendent, ut nutritio, circulatio sanguinis, motus cordis, etc. Hæ operationes, quæ *naturales* audiunt quatenus voluntati non subjiciuntur, operationes vitæ vegetativæ, secundum quam plantis assimilatur homo, ut plurimum, nuncupantur: at a recentioribus quibusdam, *organicæ* consueverunt appellari. Secundum genus continet operationes *sensiles* seu vitæ sensitive, ut sunt videre, dolore aut voluptate affici, imaginari, irasci, timere, etc. Tertium tandem, operationes vitæ pure intellectualis, ut sunt actus intellectus et voluntatis, completitur.

2.º Duplex quoque generatim existit systema ad explicandam originem prædictarum omnium affectionum et operationum, *Animismus*, nempe, et *Vitalismus*: quorum primus docet, phænomena omnia vitalia, vegetativa, sensitiva et intellectualia, ab anima rationali tanquam ab unico vitali et substantiali principio originem ducere. Doctrina hæc ab

radamente la una de la otra, es reconocer que en todo compuesto viviente, el alma y el cuerpo no son más que uno (melius diceret, un ser, una naturaleza, una sustancia) con una unidad, no accidental sino sustancial: es reconocer que en todo compuesto viviente, las dos sustancias, ó las dos partes no tienen más que un mismo y único ser sustancial... Luego si el género humano no reconoce en todo compuesto viviente, más que un solo ser sustancial, propio del alma y del cual participa el cuerpo, es evidente que admite que toda alma solo es forma sustancial, y que solo como forma sustancial se halla unida al cuerpo.»

Aristotele fortasse primum tradita; deinde, a D. Agustino (1) eum reliquis fere omnibus Ecclesie Patribus; (2) postea vero magis explicitè ac scientificè a D. Thoma et reliquis primi nominis Scholasticis evoluta, tandem in lucem de novo edita fuit elapso sæculo a Sthal germanico medico; unde et *Sthalianismus* quandoque audit. Vitalismus vere e contra, prædicta vitalia phænomena, non ad unicum, sed ad diversa principia vitalia refer. Quoniam tamen id non omnes una ratione exponunt, plures vitalismi species distinguendæ sunt. Nimirum,

a) *Vitalismus platonicus*, qui triplicem animam homini tribuit, *rationalem*, nempe, *sensitivam* et *vegetativam*. «Plato posuit, ait D. Thomas, (3) diversas animas esse in corpore uno, etiam secundum organa distinctas, quibus diversa opera vitæ attribuebat dicens: vim nutritivam esse in hepate; concupiscibilem in corde; cognoscitivam in cerebro.»

b) *Vitalismus moderatus*, seu cujus propugnatores docent functiones et operationes sensibiles et intellectuales originem ducere ab anima rationali, at eas, quæ dicuntur vegetativæ sive organice, oriri a quodam *principio vitali*, ut vocant, cujus naturam negative tantum definire solent, dicentes ipsum, nec esse materiam seu corpus, nec animam rationa-

(1) «Nec duas animas, inquit, esse in homine dicimus, unam animalem, qua animetur corpus et immixta sit sanguini; alteram spirituales, quæ rationem ministret: sed dicimus unam esse et eandem animam in corpore, quæ corpus sua societate vivificet; et semet ipsam sua ratione disponat.» *De Eccles. Dogm.*, cap. 15.

(2) Dico fere omnibus, qui non desunt qui existiment, quosdam priorum sæculorum Patres, platonice doctrinis imbutos, trichotomiam (compositionem hominis ex corpore, anima et spiritu, sive ex corpore, et duabus animabus) docuisse. Attamen, ut recte ait Worter, præfata trichotomia, accipienda est in sensu allegorico et morali, quatenus, scilicet, rationalis mens; dum corpori cui unitur quasi immergitur, passionibus indulgendo, *carnalis anima evadit et existit; dum e contra, non concupiscentiis, carnis serviunt, (homines) sed rationabiliter conversantur in omnibus, et pignus spiritus habent, dicitur anima, spiritus.* Itaque, trichotomia veterum Patrum, est tantum trichotomia moralis, quæ facile in dichotomiam physicam et naturalem resolvitur. Vid. Goschler, *Diction. Encyc. de la Theol. Cath.*, art. *Ame.*

(3) 1.º P., q. 76, art. 3.º

lem. (1) Ex quo colligere pronum est, moderatum vitalismum, si sibi ipsi constare velit, tribuere homini veram animam vegetativam, præter rationalem: *animæ* namque nomine nihil aliud significamus, quam principium substantiale phænomenorum vel functionum vitalium; quæ notio proculvubio congruit *principio vitali*, quod certe non solum accidens non est, sed nec materia, nec vis physica, aut chimica, ut dynamismi hujus fautores fatentur. Systema hocce *duplicis dynamismi*, plurimum invaluit in scholis Medicinæ; non desunt tamen inter ipsos medicos, qui animismum non solum Sthal, sed ad sensum D. Thomæ tueantur. (2)

(1) De origine et natura hujus vitalismi hæc scribit Raulica, *Filos. Crist.*, t. 3.º, cap. 7.º

«El doctor Bartz fue quien, no participando de esta opinion, (que el alma racional es forma sustancial del cuerpo humano) inauguró bajo el nombre de *principio vital* el *doble dinamismo* en la escuela de Montpellier á fines del pasado siglo; pero, fiel á sus instintos escépticos, se guardó bien de definirlo francamente, y pensó menos aun en hacer de él un tercer sér que entrase sustancialmente en la composicion del hombre. Estaba reservado al mas atrevido de sus discipulos, al profesor Lordat, el afirmar... que el *principio vital* es una entidad positiva, una realidad sustancial, un motor de segunda magestad, un alma orgánica...»

El honorable doctor Pecholier, profesor agregado á la escuela de Medicina de Montpellier, eco fiel de las aberraciones de Mr. Lordat, su maestro, se expresa en estos términos:

«Observo todos los fenómenos vitales, tanto los de la salud como los de la enfermedad. Estoy sorprendido al verlos contribuir á un objeto comun; admiro la unidad que los coordina, y me creo por consiguiente obligado á atribuirlos á una causa única. Esta causa no puede ser la *materia*, ni las fuerzas físicas y químicas: es una fuerza propia de los seres vivos. Pero la induccion no puede demostrarme que esta fuerza sea el alma; hasta liende á demostrarme lo contrario. Me atengo pues á la nocion de una fuerza vital que rige los fenómenos vitales.»

Evidenter hic perspicitur, Pecholier, sicut et reliquos *duplicis dynamismi* assecutas, inficiari phænomena vegetativa et organica in homine procedere ab anima rationali, ea solum ratione, quia, nempe, eorum conscientiam non habemus. prout habemus sensationum et intellectionum, vel quia, ut ipsemet ait, *la induccion no puede demostrarme que esta fuerza sea el alma.* Quam tamen rationem ut unicum dynamismi fundamentum prorsus nutare, postea ostendemus.

(2) Id videre licet in ephemeride litteraria cui titulus: *Revue Médicale*, ex qua subjecta verba Miahle ex gallico ad hispanum idioma

c) *Vitalismus sensibilis*, quo nomine designare libet claritatis gratia, systema vel theoriam vitalem eorum, qui *sensibilitatem* substituunt *principio vitali* supra exposito. Nimirum, sicut Barthez cum suis asseclis, functiones sensiles et intellectuales rationali animæ tribuit, vegetativas vero et organicas *principio vitali* ab eadem distincto, ita hujus vitalismi propugnatores, solas operationes intellectuales rationali animæ tribuunt, functiones vero, sive vegetativas, sive sensiles, a *sensibilitate* seu anima sensibili oriri autumant. Docent tamen, animam sensitivam seu animale, aliquatenus perfici et elevari ex simultanea presentia in homine animæ rationalis. (1) Hujus vitalismi præcipuus auctor et parens, haberi potest Bordeu, (2) ex schola montepesulana medicus, quem Lamure, Fouquet cum aliis secuti sunt.

d) *Vitalismus Averrois*, affinis quodammodo existit sensibili vitalismo nunc exposito. Docuit namque olim cordubensis ille philosophus, duplicem existere in homine animam; alteram, nempe, intellectivam, quæ eadem numero erat communisque cunctis hominibus præteritis, presentibus et futuris, quibus influebat intelligentiam seu cognitionem intellectualem rerum; alteram sensitivam, cuique homini pro-

versa, desumimus: «En cuanto á mi toca, opino que existe en el hombre una causa primera, *spiritus, mens*, espíritu, inteligencia, *arquea, alma*. Os dejo investigar, si así lo quereis, cuáles son los lazos que unen una sustancia inmaterial con un cuerpo material. Esta primera causa se manifiesta por medio de operaciones intelectuales y de actos orgánicos. No reside en el cerebro, ni en el corazón, ni en el hígado, ni en el centro epigástrico, etc. Tiene el sistema nervioso por instrumento de los actos intelectuales, voluntarios y sensitivos; y las diferentes vísceras por instrumentos de los actos materiales propios para la conservación del cuerpo. Así es como sin ser en ninguna parte órgano, preside á todas las funciones, ya intelectuales, ya orgánicas, cuyo conjunto constituye el fenómeno de la vida.» *Revue cit.*, 15. Mai, 1858.

(1) «Lamure y Venel saben, inquit Bordeu, que nuestra sensibilidad y movilidad, *inherentes al elemento de la animalidad*, y perfeccionadas y enriquecidas en el hombre por la presencia del alma espiritual é inmortal, etc.» *Oeuvres compl.*, p. 972.

(2) «Bordeu veut donc que le *principe vital*, c'est-à-dire, le *principe*, la *force de la vie*, la *vie*, car il ne faut pas s'attacher au mot, ne soit que la *sensibilité*.» Flourens, *De la Vie et de l'Intelligence*, pag. 214.

priam et singularem, a qua oriebantur reliqua vitalia phænomena, quæ ab homine exercentur, præter intellectualia. Unde vitalismus Bordeu, in eo tantum differt a vitalismo Averrois, quod singulis hominibus tribuat animam intellectivam, quam Cordubensis, unam et communem omnibus ponebat. Hunc Averrois vitalismum sæpe sæpius et vehementer oppugnat D. Thomas, eo quod pantheismum involval, ac simul notiones religionis, moralis et vitæ futuræ funditus evertat.

e) *Vitalismus modernus*. Hoc nomine designatur systema illud, quod vitalia omnia phænomena explicare nititur per vires quasdam multiplices ex materiæ organizatione emanantes; ita ut singulis visceribus ac organis insideat determinata et specialis vis, quæ origo existit et ratio sufficiens functionum sive operationum quæ per organa aut viscera illa exercentur. Qua ratione non solum vitæ vegetativæ phænomena seu organicas functiones explicans, sed sensationes quoque ac ipsas intellectus et voluntatis operationes. Unde hujusmodi vitalismus, ut in confesso est apud omnes, et aperte colligitur ex doctrina eorum qui systema hocce tuentur, ad purum putumque vergit materialismum (1), a quo satis certe non discedit Bichat, qui huic vitalismo quasi originem et præcipuum nomen dedit (2).

(1) Ut alios prætermittam, norunt salis omnes, Cabanis et Broussais qui huic vitalismo adhærent, adhærere quoque materialismo. Atque primus quidem in variis ex suis operibus, præsertim vero in eo cui titulus: *Traité des rapports du physique et du moral de l'homme*, ubi aperte ideas intellectuales et perceptiones, operationibus quibusdam organis proprias attribuit. Quod ad Broussais spectat, sufficit in memoriam revocare doctrinam quam tradit in tractatu *De Irritatione et Amentia*, de quo hæc habet Archambault: «La partie capitale du livre de Broussais, c'est la partie philosophique. Elle est d'ailleurs, la deduction la plus logique et la plus avancée de l'école de Locke et Condillac. Cette école, du reste, pour être conséquente, devait être amené à conclure au matérialisme pur... J'ai montré comment Broussais, par le fait de ses principes, avait été conduit à ne voir dans la pensée, dans la conscience, qu'un mode de l'excitation du cerveau.»

(2) De eo sic loquitur præfatus Archambault: «Au lieu de retenir les phénomènes vitaux à une cause générale, dont la seule ca-

f) *Vitalismus theologico-mysticus*. Hoc nomine significo doctrinam eujusdam Michaelis Vintras, qui docet quod ad præsentem materiam spectat: 1.º hominem triplici constare substantia, corpore, nempe, anima et spiritu: 2.º spiritum seu rationalem hominis animum, esse unum ex angelis qui in peccatum prolapsi sunt: 3.º hunc spiritum hypostatice corpori animato uniri ad expiationem peccati et veniæ consecutionem.

Jam age, prætermisso postremo hocce systemate, utpote cum Religione simul ac communi hominum sensu pugnan- te (1), ostendere nunc oportet unicam in homine existere animam, ac proinde omnia vitalia phænomena, quæ in homine manifestantur, a rationali anima originem ducere: ex quo semel constituto, falsitatis convincuntur *vitalismi* can-

raetere connu etait de n' avoir aucun rapport avec les forces de la matiere inerte, à un *principe vital*, ainsi que l' avait fait encore Barthez, Bichat chercha, dans les propriétés de la matiere organisée la raison de ses actes.» *Encyclop. du XIX siècle. art. Vitalisme*. Doctrinæ Bichat prælasit quodammodo scoticus medicus Brown, qui etiam per excitationem seu *incitationem*, ut ipse ait, organo- rum, phænomena vitalia explicare conatur.

Circa *vitalismum modernum*, sicut et circa reliquos jam exposi- tos vid. *Encyc. cit. arts. Bichat, Vitalisme, Ame, Broussais, etc. Es- tudios sobre la filos. de Sto. Tom. T. 2.º, c. 19 et 20. Flourens, De la Vie et de l' Intelligence, 2.º p. passim.*

Notare hic libet quod Bordeu, qui, ut supra diximus, *vitalismi sensibilis* assecla haberi debet, inter propugnatores *vitalismi mo- derni* connumerari partim potest, quatenus non unam, sed plures sensibilitates organis affixas adstruere videtur.

(1) Vid. Raulica, *Filos. Crist. l. 3.º c. 7.º* ubi præcipuos hujus sectæ errores adversus catholicam doctrinam innuit, atque inter alia, Incarnationis mysterium pessumdare, merito adfirmat his verbis: «Para ser lógica, la teología de Tully, pretende que entre el hombre y Jesucristo hay semejanza y no homogeneidad; lo cual es negar el misterio de la Encarnación; porque la ausencia de la homogeneidad es la ausencia de identidad de naturaleza. Si el Divino Salvador, pues, no es homogéneo con el hombre, no tiene la naturaleza de hombre, no es verdadero hombre; su humanidad es metafórica, ficticia, aparente; y por consiguiente hémos aquí de lleno en el error de los maniqueos, de los marcionitas y de todos los herejes antiguos y modernos llamados *fantásticos*, según los cuales el hijo de Dios solo habría tomado una humanidad fantástica.»

cta genera nuper exposita, quæ aliam animam et vitale prin- cipium in homine admittunt, a rationali essentialiter dis- tincta. Itaque sit

§ II.

De existentia unitatis animæ in homine.

THESIS.

Rationalis anima est principium unicum et sufficiens mo- tum omnium et operationum vitalium hominis.

Prob. thesis 1.º Nulla existit in homine anima, vel sen- sitiva, vel vegetativa, a rationali realiter et substantialiter distincta: ergo ab hac rationali anima originem ducunt vita- lia cuncta phænomena et opera quæ in homine cernuntur et producuntur. Patet cons. Quia si præfata phænomena non procedunt, nec ab anima sensitiva, nec vegetativa, a ratio- nali distinctis quoad substantiam, restat ut procedant a vi- ribus materiæ organizationem consequentibus, ad sensum *vitalismi moderni*, quem ipsi adversarii rejiciunt, rejicien- dusque est ab omni sanæ mentis philosopho, utpote mate- rialismo infectus.

Prob. ant. 1.º *a priori*. Si in homine præter rationalem, esset aliqua anima, vel sensitiva, vel vegetativa, homo non esset, nec una natura specifica, nec unum suppositum: atqui hoc adversatur et communi hominum sensui, apud quem proculdubio homo habetur tanquam una natura specifica et Petrus ex. gr. est unum suppositum et non duo; et etiam ra- tionem, quæ certe nobis persuadet non minorem unitatem na- turæ et suppositi convenire homini, quam plantæ, ex. gr. vel leoni: ergo. Prob. ant. Si in homine præter animam ra- tionalem existit alia sensitiva vel vegetativa ab ea substan- tialiter distincta, in homine præter naturam humanam exi- stit natura specifica animalis vel plantæ, animal enim con- stituitur et constat ex corpore et anima sensitiva: ergo si in homine existit anima sensitiva, ex hac anima et corpore cui unitor, constituitur *animal* seu species animalis, atque proin- de duplex specifica natura in eo invenietur, nimirum, natura animalis, et natura hominis. Idem, servata proportione, di- ci potest de anima vegetativa.

Similiter etiam, *unitas* suppositi seu personæ humanæ consistere nequit, si admittatur in homine anima sensitiva, vel vegetativa a rationali distincta. Nam ex anima sensitiva et corpore organico, ex. gr. ex anima sensitiva leonis et ejus corpore, exurgit unum suppositum perfectum, quod seipsum possidet quoad esse et operationes: ergo ex anima sensitiva, quæ in Petro ex. gr. supponitur atque ejus corpore, exurgit similiter unum suppositum perfectum, quod seipsum possidet quoad esse et operationes animalis. Ergo in Petro erunt duo supposita; primum, quod constituetur ex corpore et anima sensitiva, quodque est *hoc animal*; aliud, quod ex corpore et rationali anima, sive ex anima sola, prout sibi placuerit, constituetur; præsertim cum hi contra quos agimus, personalitatem humanam soli animæ tribuant. Ergo vel concedendum in homine non *unam* sed duplicem specificam et completam naturam existere, non *unum* sed duo supposita esse, vel concedendum nullam in eodem existere animam præter rationalem, a qua proinde originem ducere opus est vitalia omnia phænomena cujuscumque tandem sint generis.

Prob. 2.^o ant. a posteriori. Et 1.^o quoad animam sensitivam. Nam experimur ex sensu intimo, unam, eandem et indivisam esse conscientiam in qua existunt et a qua percipiuntur *sensationes*, intellectiones, et volitiones: ergo ex ipso sensu intimo, in homine principium sentiendi non est distinctum a principio intelligendi. Quandoquidem, ut aptissime habet D. Thomas, «ipse idem homo est qui percipit se intelligere et sentire.» Ex quo,

2.^o Probari potest quoad animam vegetativam. Sicut enim quamvis anima sensitiva brutorum a rationali essentialiter et substantialiter distinguatur, nec in eis sit principium operationum intellectualium, in homine tamen, et cum rationali quoad substantiam identificatur, et simul est principium operationum sensibilium, idem per analogiam colligere licet quoad vegetativam, nempe, in homine vegetativæ vitæ opera et functiones, a rationali anima originem ducere, sicut originem ducant functiones vitæ sensitivæ.

3.^o Prob. unum et idem esse principium operum vegetativæ vitæ et intellectualis ex mutua connexionione et dependentia, quæ inter ea existit. Siquidem, experientia quotidiana

na teste, quo vitæ vegetativæ opera et functiones intensius exercentur, remissius et difficilius perficiuntur opera vitæ intellectualis. Sic, ex. gr. qui nimis speculationibus scientificis et meditationibus inhærent, digestivas et similes organicas seu vegetativas functiones difficilius ac remissius peragunt; sicut e converso, qui dapibus et poculis nimium et frequentius indulgent, scientificis speculationibus intense tradere seipsos nequeunt. Cujus phænomeni sufficiens ratio nulla profecto rationabilior assignari potest, nisi communis præfatarum functionum origo ab uno et eodem principio vitali substantiali, communis earumdem radicatio in simplici substantia animæ rationalis (1).

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Fbjc. 1.^o Operationes vitales, quæ sensui intimo non subjacent, nequeunt procedere ab eodem vitali substantiali principio, a quo procedunt operationes perceptioni sensus intimi subjectæ; atqui quædam existunt in homine operationes, ut digestio, transpiratio, sanguinis circulatio etc. quæ non subjacent perceptioni conscientiæ: ergo nequeunt pro-

(1) Adde his, 1.^o quod si vegetativa aliqua anima præter rationalem in homine existeret, contingere posset aliquando, quod homo post separationem rationalis animæ ederet signa et opera vitæ vegetativæ, maxime si præ oculis habeatur, vitale principium plantarum minus perfectam organizationem exigere quam sit ea quæ pro operibus vitæ intellectualis, et ipsius etiam sensitivæ brutorum requiritur. Quod argumentum maximam vim obtinet dum homo subito mortem oppetit.

2.^o Si duæ vel plures animæ inter se realiter et substantialiter distinctæ in homine considerantur, nihil rationabiliter assignare licet quod eas contineat, atque ad unionem non jam substantialem, qualis ad unitatem veram speciei et suppositi requiritur, sed nec accidentalem quidem unitatem reducat; siquidem, ut merito observat D. Thomas, hæc unio aut unitas per corpus ipsis nequit advenire, «quia magis anima continet corpus et facit ipsum esse unum, quam e converso;» «anima enim, subdit alibi, est in corpore ut continens, et non ut contenta.» Cujus rei signum est, quod «dum anima in morte separatur, unio et continuïtas partium, ex quibus constatur corpus, statim incipit dissolvi» ut scite monet Albertus Magnus. Vid. ejus op. t. 3.^o, lib. 1.^o, tract. 2.^o, cap. 15.

cedere a rationali anima, quæ est principium operationum intellectualium, atque etiam sensibilium.

Resp. 1.^o Neg. maj. Equidem operationes seu phænomena vitalia, quorum conscientia non habetur, a rationali anima originem ducere non posse, asserunt quidem vitalistæ, sed minime probant. Ast vero, falso id et gratis affirmari, ostenditur aperte: 1.^o ex probationibus thesis, quibus persuadetur nullam in homine existere posse animam, sive sensitivam, sive vegetativam, quæ substantialiter a rationali distinguatur; quæ probationes sufficerent ad assertionem vitalistarum evertendam, etiamsi penitus nobis esset ignotum *qua ratione* præfata phænomena a rationali anima procedere possint. Quod tamen a vero longe abest, si præ oculis habeatur solidissima et vere philosophica D. Thomæ doctrina non minus rationi quam experientiæ consentanea, circa relativam perfectionem et ordinem (gradacion, escala de la seres) entium. Sicut enim videmus speciem superiorem in se continere quiddam perfectionis existit in inferiori, simulque majorem perfectionem, quin unitatem specificam et naturalem amittat; ita similiter superior anima, una et eadem in se manens, virtualiter et quasi eminenter in se continere potest quiddam perfectionis est in anima inferiori, ei simul aliquid addendo, vel potius eam superando quoad aliquem novum essendi gradum. Gratuitam porro esse illam assertionem apparet.

2.^o Ex eo quod apud ipsos *duplicis dynamismi* pronuntiatores, qui hæc obijciunt, sensationes, ex. gr. visio, a rationali anima originem ducunt; et tamen maximum intercedit discrimen inter visionem et intellectionem, quoniam hæc postrema, absque organo perlici potest et revera perficitur, saltem in anima a corpore separata, nisi alteram vitam inficiari velimus; at vero visio, absque corporeo organo perfici nequit. Ergo sicut sensatio et intellectio pura, quamvis earum altera ab organo pendeat, altera vero minime, ac proinde in infinitum fere inter se distent et discriminantur, ab eadem rationali anima originem ducunt, ita similiter, quantumvis vitæ vegetativæ phænomena perceptioni sensus intimi non subjaceant, nec legitime, nec necessario exinde inferre licet, ipsa non posse procedere ab eodem principio a quo procedunt opera conscientiæ subjecta.

3.^o Vitalistarum præfata affirmationem, falsam et omnino gratuitam esse, ex o demum constat, quod non pauca in nobis adsunt phænomena vitæ, tam sensitivæ, quam intellectualis, quorum conscientiam non habemus; et tamen nemo idcirco audebit inficiari a rationali anima ipsa procedere. Et quidem, præterquam quod nemo affirmare potest se conscientiam habuisse, nec primæ sensationis, nec primi actus intellectus vel voluntatis; circa naturam et causam sensationum, circa earum influxum in cognitionem intellectualem, circa perceptionem intellectualem ejusque distinctionem ab idea, circa harum naturam, originem et conservationem, circa sexcenta denique alia vitæ sensitivæ et intellectualis phænomena et operationes, inter se digladiantur et pugnant philosophi: quæ sane opinionum diversitas et pugna, nec existere quidem posset, si præfata phænomena sensui intimo subjicerentur. (1).

Resp. 2.^o Etiamsi gratis concedatur major argumenti, nihil indubii et certi inferre licet ex eo pro vitalismo. Verum enim vero, probabile est phænomena organica seu vegetativa, conscientiæ subjacere aliquatenus in homine. Quod si dum ad adultam devenimus ætatem, ejusmodi conscientiam non persentiscimus, hujus rei vero similes rationes assignari possunt: 1.^o quia quorundam phænomenorum conscientia, utpote minus vivida, facilius et sensim evanescit: 2.^o quia aliorum conscientia in habitum vehementissimum quasi transmutatur et convertitur, tum ex eo quod præfata vitæ opera, ut digestionem, sanguinis circulationem, etc. ab ipso vitæ initio, et non post septem aut plures annos, ut opera intellectualia, exercemus; tum maxime ex eo quod hæc opera non quotidie tantum, sed singulis horis, minutis et instantibus exercemus, idque absque speciali conatu: ex quibus omnibus exurgit vehementissimus et valde viger habitus, quo naturaliter, spontaneo motu, et quasi ex instinctu operamur: (2) siquidem, notum satis est, nos, dum ex

(1) Vid. *Estudios etc.*, lib. 4.^o, c. 19.
 (2) Vid. *Estudios, etc.* loc. cit. ubi argumentum hocce fusiuse evoluitur.

habitu vehementius et intensius vigente operamur, cum minori conscientia rei seu sensus intimi *apperceptione* operari.

Objic. 2.^o et simul inst. Intelligi certe nequit, qua ratione opera vitæ organicæ seu vegetativæ a substantia simplicissima et prorsus spirituali, qualis existit rationalis anima, procedant; præsertim, cum præfata phænomena admodum materialia sint et a visceribus multum dependeant: ergo.

Resp. Dist. ant. Intelligi nequit etc. *si immediate ab anima rationali procedant et eliciantur, conc. si ab eadem procedant et eliciantur mediis potentiis seu viribus a substantia animæ realiter distinctis, neg.* Itaque ex objectione id tantum colligitur, rejiciendam esse opinionem eorum, qui realem omnem distinctionem inter essentiam animæ et ejus potentias vel facultates tollunt et inficiantur. Anima ergo, quia est anima et quia est substantia spiritualis, habet activitatem primitivam et vim agendi fundamentalem; sed hæc activitas seu vis fundamentalis et primitiva, sese exerit atque explicatur per multiplices et diversas vires, quæ ab essentia animæ quasi derivantur. Si ergo quærat utrum principium vitalium operationum quæ in homine apparent, sit unum vel plura, respondere oportet, vitale principium *primum et substantiale*, esse unum et idem, nempe, animam rationalem: sed vitale principium *secundarium, accidentale et proximum*, non esse unum, sed plura, nempe, potentias seu vires intelligendi, sentiendi, nutriendi, generandi etc. quæ a substantia animæ derivantur, ipsique necessario et inseparabiliter inhærent. (1)

(1) Hanc doctrinam, à qua recentiores, ut plurimum, abhorrent et, quod magis mirari licet, illi ipsi qui nobiscum fatentur vitalia omnia phænomena in homine a rationali anima originem ducere, ut P. Cuevas cum aliis, amplexatus est ipse Leibnitz, qui docet nobiscum, facultates seu vires animæ esse attributa quædam seu accidentia et modos penitus distincta ab ipsa substantia animæ, cui congruit vis primitiva: quinimo etiam docet, hujusmodi attributa vel qualitates quæ ab anima derivantur, non tantum realiter distinguí ab ipsa, sed separari posse, quia in re longius nobis procedit. En ejus verba: «La faculté n'est qu'un attribut ou bien un mode quel-quefois;... La force qui n'est point primitive mais derivative, est une qualité, qui es distincte et separable de la substance. J'ai montré

De consecrariis unionis, sive de commercio animæ et corporis.

Prænotanda:

1.^o Nisi quis præjudiciis nimium et ad amentiam usque indulserit, fateri cogitur ordinem et nexum aliquem intercedere inter modificationes et affectiones animæ et corporis cui conjungitur. Si anima vult, brachium movetur: si motibus iræ aut metus subito afficiatur, quadam sanguinis commotione, vultus pallore, vel similibus modificationibus corpus ipsum afficitur. Atque ut hujus commercii naturam exponerent, quadruplex systema excogitarent philosophi. Nimirum,

A) *Systema causarum occasionalium*, quod a Cartesio primum delibatum, a Mallebranche cum reliquis cartesianis, illustratum ac evolutum postea fuit. Docet Mallebranche, 1.^o voluntatem spiritus, ac proinde nostram, nullam habere vim ad corpus vel minimum movendum; ex quo infert, nullam connexionem necessario existere, inter volitionem hominis et motum brachii eam consequentem.

2.^o Volitiones et cogitationes meræ sunt occasiones, quibus positis, Deus quosdam motus in corpore efficit; et similiter, corporis motus tot sunt occasiones ex quibus Deus appetitiones, cogitationes, et sensationes in animo procreat, ut loquitur Lugdunensis philosophia, quæ hocce systema pro aris et focis tuetur.

3.^o Itaque, nec corpus in animam, nec anima in corpus quidpiam vere agit; quinimo, si audiatur Mallebranche, «qui existimant, quam habemus, movendi brachium, esse veram potentiam, debent fateri, Deum posse etiam communicare cum mentibus potentiam creandi, annihilandi, faciendi om-

aussi, comment on peut concevoir que l'ame est une force primitive, qui est modifié et varié par les forces derivatives ou qualités, et exercée dans les actions.» *Essais de Theod.*: 1.^o p. num. 87. Circa totum hunc art. vid. *Estudios etc.* lib. 4.^o c. 9.^o, 10, 11, 12, 17, 18, 19 et 20.

nia possible, uno verbo: Deum posse illas reddere omnipotentem.

THESIS.

Absurdum est ac prorsus rejiciendum systema causarum occasionalium.

Prob. Systema hocce: 1.º falsissimi innitur fundamento, videlicet, quod nulla vera activitas seu vis agendi rebus creatis inesse possit, quæ ex Mallebranche, eis repugnat non secus ac potentia seu vis creandi, ac «non modo corpora non possunt esse vere causæ illius rei, mentes etiam nobilissimæ in eadem versantur impotentia:» ex quibus plane consequitur, hominem seu animam vere non *agere* dum cogitationes elicit, aut dum rem aliquam vult et eligit; quod humanam libertatem, ac cum ea leges, societatem et religionem pessumdat.

2.º Adversatur sensui communi. Profecto enimvero, si unum Mallebranche excipias, nullum sanæ mentis hominem reperies, cui persuadere possis, motum brachii, (ut a Mallebranche exemplo non recedamus) quem ponit dum vult eum movere, a propria voluntate non procedere, sed solum Deum esse qui ejus brachium movet.

B) *Systema harmoniæ præstitutæ.* Excogitatum illud fuit a Leibnitz, ejusque summa hisce continetur:

1.º Deus ab æterno præscivit, singulare hoc corpus, ex. gr. Petri, quod est unum ex infinitis possibilibus, tales motus editurum esse, qui adamussim respondent perceptionibus et volitionibus *hujus* animæ, quæ una ex possibilibus existit: proinde, si illud corpus cum hac anima jungatur, perfecta exurgit *harmonia* inter utriusque actus, ita tamen ut nec corpus vel minimum influat in animæ perceptiones et volitiones, nec animæ perceptiones et volitiones in motus corporis ulla ratione influant.

2.º Corpus hominis est automatom a Deo ita constitutum, ut ex primo statu et motu quem initio recipit, reliqui omnes necessario sequantur, adeo ut causa et ratio sufficiens secundi motus, sit primus, ratio tertii sit secundus, et sic successive.

3.º Similiter, anima automatom quoddam spirituale existit, cujus perceptionum et volitionum series necessario

subjicitur nexui, ita ut volitio A sit causa et ratio volitionis B, quæ postea elicitur, et volitio B, sit ratio volitionis subsequentis C, et sic succesive per integram vitam seriem, tam quoad volitiones, quam quoad sensationes et perceptiones intellectuales.

THESIS.

Systema harmoniæ præstitutæ, rejiciendum est tanquam absurdum et periculosum.

Prob. Hoc systema, 1.º perimit libertatem hominis. Nam juxta illud, volitio mea præsens ex præcedenti necessario sequitur, ita ut hac posita, non possim abstinere a præsentia ponenda, et sic seriatim et successive usque ad primam volitionem. Necessitas autem ponendi actum, veræ libertati repugnat. Quinimo, ipsa prima volitio, libera non foret; nam cum volitio quævis perceptionem præsupponat objecti volendi, vel hæc perceptio et sufficiens causa primæ volitionis, vel non: si primum, libera non est: si secundum; ergo 1.º falso supponit systema, actus omnes ab anima ita elici ut præcedens sit ratio et causa subsequentis: 2.º si hæc prima volitio rationem sufficientem non habet in perceptione ad quam sequitur, nec ulla est ratio quare dicamus secundam volitionem esse causam tertiam.

2.º Cum experientia pugnat. Videmus enim quasdam animæ affectiones et actus, ut dolor et voluptas, amor et odium, circa idem objectum, sibi invicem et immediate succedere; quis porro dixerit horum unum continere rationem sufficientem alterius? Quis quoque dixerit, perceptionem, qua homo geometriæ problema considerat, esse rationem sufficientem sensationis seu perceptionis, qua tormenti bellici strepitum ad eum subito perventem simul percipit?

3.º Communi hominum sensui prorsus repugnat. Nullus est profecto qui ineluctabili propensione non feratur ad judicandum, quosdam corporis motus, ex. gr. pedum, dum deambulat, ex voluntatis arbitrio et imperio pendere; aut motus iræ, loquelam, dolores, gestus, quibus aliquando abripimur, non a corpore solo, aut ex mechanicis pure legibus, sed ab anima ortum et influxum obtinere. Deinde, si verum est leibnitianum systema, dum manus Virgili, ex. gr. *Æneidem* scribebat, ex mechanicæ tantum legibus id ne-

cessario peragebat, non secus ac globus eburneus in marmor impingens ad determinatos angulos resilit, nec manus Virgilio ipsius voluntati, rationi et imaginationi poema conficiendis, ulla ratione obediebat, sed scripturam perficiebat eadem ratione et independentiâ ac si ejus corpus cum anima stulti hominis esset conjunctum. Quæ sanæ deliramenta quis nisi mente captus homo serio amplecti poterit? (1)

(C) *Systema mediatoris plastici.* Ex veteribus quidam admississe videntur *naturam plasticam*, quo nomine significabant substantiam simplicem et activam, at sensu et intelligentia destitutam, cujus tanquam munera assignabant, plantarum vegetationem, animatorum corporum organicam dispositionem, similesque naturales effectus dirigere et perficere. Quidquid tamen de hoc sit, systema mediatoris plastici, prouti Joannes Le Clerc ipsum tuetur, hæc summam continet:

1.° Existit in homine principium quoddam vivens medium inter animam et corpus, illudque est substantia ab utroque realiter distincta, et cognitione saltem reflexa caret.

2.° Mediator iste plasticus, quamvis de eo conscientiam anima non habeat, est tamen ejus quasi minister, qui ipsius volitiones et nolitiones per corporis membra exequitur; atque similiter, corporis motus et impressiones receptas ad animam mediis sensationibus transmittit.

(1) Ne quis existimet quidpiam nos Leibnitz imponere, dum hæc urgemus, audiat germanum philosophum afferentem hoc ipsum exemplum in confirmationem sui systematis:

«L'ame de Virgile, produisait l'Eneide, et sa main écrivait le même poëme, sans que sa main obeit en aucune façon à l'intention de l'auteur; mais Dieu avait réglé de tout temps que l'ame de Virgile ferait des vers, et qu'une main attaché au corps de Virgile, les mettrait par écrit.»

Igitur, si Deus corpus Virgilio conjunxisset animæ patagonici vel papuani hominis, hic epopejam Mantuani æquali perfectione conscripssisset.

Rejiciendum est systema mediatoris plastici.

Prob. 1.° Systema hocce rationi et sensui communi adversatur; hæc quippe nos edocent hominem ex duplici tantum substantia, corpore, nempe, et rationali anima, constare: unde mediator ille plasticus unitatem naturæ et suppositi in homine destruit, atque adversus eum militant argumenta omnia, quibus Vitalismi commenta rejecimus.

2.° Non solum fictitium et gratuitum, sed inutile prorsus est systema ad finem quem intendit. Ideo namque adinventum est, ut per *mediatorem plasticum* salvaretur distantia quæ intercedit inter rem spiritualem, ut est rationalis anima, et rem materialem et extensam, ut est corpus. Ast vero, mediator ille, vel est materialis, vel spiritualis substantia: si primum, eandem difficultatem habebit ad communicandum cum anima rationali ac ipsum corpus, quod etiam et substantia materialis: si secundum, eadem difficultas recurrit pro ipso, quæ existere potest pro anima rationali. Ergo non tantum fictitium et gratuitum, utpote nullo solido fundamento nixum, sed inutile prorsus ostenditur systema hocce *mediatoris plastici*.

D) Quartum systema *influxus physici* nuncupatur; quod quidem nos, quoniam observamus non uno sensu aut significatione ab omnibus accipi, bifariam claritatis gratia dividimus. Quorum primum,

a) *Systema influxus physici per actionem et reactionem*, nuncupamus; qua denominatione significare libet hocce systema, prout a philosophis, ut plurimum, accipitur et exponitur. Nimirum, ita ut corpus et anima sint duæ naturæ agentes, quarum unaquæque habeat proprias, sibi peculiare et integras actiones, quibus in alteram agit et influit; ea pene ratione, qua unus homo in alterum agere et influere potest: sic, ajunt illi, in hoc systemate anima agit in corpus, et vicissim corpus reagit in animam.

Hoc sensu acceptum *influxum physicum*, prorsus rejicimus. Etenim, quamvis fortasse concedi posset animam agere in corpus, at minime concedi potest corpus seorsus acce-

ptum, et tanquam substantia sibi operans et ab anima distincta, in animam agere posse; corpus enim non agit, vel influit nisi per contactum extensivum, vel quantitatis, qua anima penitus caret. Alterum dicimus,

b) *Systema influxus physici per concomitantiam*, quod non difficile concipitur, si præ oculis habeantur sequentia:

1.^o Eo ipso quod rationalis anima corpori unitur ut forma substantialis et essentialis ejus, ex utroque exurgit, ut diximus, *una natura specifica et perfecta, et una persona completa.*

2.^o Porro, ubi est *una natura*, est unum esse; et ubi est unum suppositum vel persona, est unum principium et subjectum totale et adæquatum actionum et modificationum illius suppositi; actiones enim sunt suppositorum.

3.^o Omnes ergo et operationes, et modificationes hujus hominis, originem ducunt et effluunt ab ipsius anima et corpore quatenus in *unam naturam humanam et unam personam* coalescant; ad proinde, procedunt et oriuntur ab integra natura humana tanquam a principio *quo*, et a persona tanquam a principio *quod*. Unde *per se et absolute* loquendo, nulla operatio nec modificatio attribuitur, vel congruit exclusive et seorsim, aut corpori, aut animæ, sed utrique; quatenus ex eorum unione substantiali, exurgit unum esse et unum operans.

4.^o Sed tamen, quia corpus et anima uniuntur quidem, sed non permixcentur nec confunduntur, servantque idcirco quadantenus conditiones propriæ naturæ in ipsa unione, hinc est, quod operationum et modificationum, quarum totus homo est principium unum adæquatum, quædam et insunt et ab eo procedunt ratione corporis, ut deambulare, motus brachii, accensio sanguinis in ira, loqui etc. Quædam e contra, homini insunt ratione animæ, ut videre, imaginari, intelligere, ita tamen ut neque priores fiant absque concursu animæ, nec posteriores absque concursu directo, vel indirecto corporis. Cum ergo corpus afficitur aliquo ex his vel similibus motibus, afficitur etiam necessario per concomitantiam anima, quæ hoc corpus vivificat, animat, et cui dat esse *humanum*: similiter, dum anima aliquid operatur, ex. gr. dum objectum imaginatur, afficitur quoque corpus cui substantialiter conjuncta est, cum quo unam naturam perficit, et a cu-

jus determinata parte, tanquam organo, pendet imaginandi vis.

5.^o Præterea, anima principium existit diversarum potentiarum, ut intelligendi, volendi, sentiendi, sensibilia appetendi, nutriendi, generandi, etc. Quæ quidem potentiæ vel vires, quamvis inter se distinctæ non solum in se ipsis, sed etiam respectu corporis, quatenus quædam organo, quædam vero sine organo, quædam per hoc organum, aliæ per aliud exercentur, attamen omnes originem ducunt ab una et eadem substantia animæ rationalis. Unde omnes præfate vires, colligationem quamdam naturalem et intimum nexum sibi vendicant ex parte principii sive originis.

6.^o Nihil ergo mirum, si ratione hujus nexus et naturalis colligationis ex parte principii, ex una parte actiones et modificationes animæ et corporis, mutæ, reciproca et quasi dependentes invicem evadant; ex alia, exercitium unius potentiæ influat, vel ressuat in alias sibi colligatas ex parte principii a quo oriuntur; immo etiam ex parte organorum, quatenus organa omnia, vel ab uno præcipuo centro pendent, vel saltem a duobus, vel tribus, cerebro, nempe, et medulla oblongata, si recentioribus ac solertibus physiologis, fides adhibetur. (1)

7.^o Ergo si non sensu et sola imaginatione, sed ratione et intellectu philosophari volumus, dicere oportet, inter animam et corpus existere influxum physicum et realem, non quidem ea ratione qua una res in *aliam*, unum suppositum in aliud a se distinctum agit, sed *per concomitantiam et unitatem esse*; idque duplici ratione: 1.^o quatenus utriusque actiones et modificationes, mutæ et reciprocae necessario evadunt, hoc ipso quod corpus et anima ita intime et essen-

(1) Flourens, loc. sup. cit., multis experimentis, tum a se, tum ab aliis peractis, ostendere nititur, *cerebrum esse sedem virium sensibilibus*, non solum earum, quæ cognitione vel perceptione vigent, sed earum etiam quæ passiones seu affectiones nuncupari solent. *Medullam vero oblongatam*, statui tanquam sedem cæterarum virium, ut motus membrorum, respirationis, circulationis sanguinis, digestionis, etc.

tialiter uniuntur, ut ex ipsis unum esse, una natura, una substantia completa, una persona exurgant: 2.^o quatenus omnes potentiae seu vires quibus praedictae actiones et modificationes exercentur, ab anima rationali, ac proinde ab uno et eodem substantiali et simplici principio dimanantes et procedentes, naturali colligatione invicem neectuntur; ex quo exurgit, ut unius operatio, usus, vel exercitium, influat et refluat in aliam, quacum ex parte originis ligatur, et fortasse etiam ex parte organi quo utitur.

ALERE FLAMMAM
"VERITATIS"

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE BUENOS AIRES

THESIS.

Systema influxus physici, sensu exposito acceptum, melius caeteris explicat commercium animae et corporis.

Prob. ratione 1.^o Quia in eo vitantur absurda et pericula quae supra exposita systemata offendunt.

2.^o Quia systema hocce sese statim offert menti, ut consecrarium legitimum et necessarium unionis substantialis animae et corporis; sicut e contra, exposita systemata oriuntur ex praepostero conceptu, quo anima et corpus in homine tanquam duo entia et supposita completa concipiuntur. Hinc merito dici posset, quod systema causarum occasionalium, non secus ac leibnitzianum, sunt consecraria legitima et necessaria conceptionis platonicae, quam ipsorum auctores adoptarunt circa unionem animae et corporis.

3.^o Quia systema hocce, rationi et experientiae maxime consentaneum apparet: rationi quidem, quia substantialem unionem corporis et animae, unitatem naturae, et unitatem personae humanae, perfecte salvat ac in tuto collocat: experientiae vero, quoniam ex ipsa et per ipsam habemus, exercitium virium inferiorum impedimentum praestare exercitio intensiori virium superiorum, ac vice-versa. Hinc merito D. Thomas: «Ex viribus superioribus, inquit, (1) fit redundantia in inferiores; ut cum... ex intensa contemplatione retrahuntur vel impediuntur vires animales a suis actibus: et e converso, ex viribus inferioribus fit redundantia in superio-

(1) QQ. Disp. De Verit. q. 26, art. 10.

res, ut cum ex vehementia passionum in sensuali appetitu existentium, obtenebratur ratio, ut judicet quasi simpliciter bonum, id circa quod homo passione afficitur.» Hujus porro phaenomeni congrua redditur ratio sufficiens, in theoria influxus physici, a nobis exposita.

CAPUT TERTIUM.

DE EXORDIO ET ORIGINE ANIMAE RATIONALIS.

ARTICULUS PRIMUS.

De exordio animae.

Philosophorum sententiae circa exordium rationalis animae, ad tria capita commode revocantur:

a) Quidam namque, animae existentiam ab aeterno tribuunt, agentes, vel ipsam esse partem et emanationem substantiae divinae, ut volunt pantheistae omnes, Plutarchus, aliique plurimi e gentiliis numero; vel esse portionem animae universalis mundi, quam, ut plurimum, cum Deo identificabant. (1) A quo errore non longe distat Averroistarum quorundam sententia, qui adstruunt intellectum agentem esse ipsum Deum, et hunc intellectum esse unum et idem in cunctis hominibus.

b) Alii vero, quos inter praecipuum locum obtinet Plato, animae exordium ad mundi creationem retulere, agentes omnes simul initio mundi fuisse productas, et propter scelera nescio quae, in coepora humana detrusas. Ex quo consequitur, rationalem animam corpori humano de novo conjungi, at non cum ipso incipere esse, sed ante ipsum praexistere. Huic sententiae adhæsit ac famam suo nomine dedit Origenes, qui etiam docuit, tam daemoneum quam animarum poenas in

(1) Quod philosophorum commentum his verbis docet ac exponit Virgilius: «Deum namque ire per omnes—Terrasque tractatusque maris cœlumque profundum—Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum.—Quemque sibi tenues nascentem accessere vitas:» Georg. IV.

altera vita, æternas non esse, sed ad certum tempus tantum duraturas, quo elapso, ad Deum revertentur, ut eo fruantur. (1)

c) Tertio loco veniunt qui docent, rationalem animam simul cum corpore humano incipere: pro qua sententia sit,

THESIS.

Rationalis anima corpori non præexistit, sed tunc incipit esse, cum humano corpori conjungitur.

Prob. breviter. Si anima corpori præexistit, vel est quia est pars substantiæ Dei, ut prima vult sententia, vel quia ab initio omnes creatæ sunt, ad sensum Platonis et Origenis; atqui neutrum dici potest: non primum, quia hæc sententia omnia pantheismi absurda præ se fert, atque inter alia, Dei

(1) Origines non solum adhæsit theoriæ platoniciæ circa præexistentiam animarum, sed ea partim abreptus, partim vero ingenio proprio nimium indulgens, absurda et periculosa docuit: 1.º circa angelos, dæmones et reliquos spiritus: 2.º circa sensum et significationem eorum quæ in Genesi continentur quoad originem et creationem primi hominis. Ac circa primum, sic ejus doctrinam exponit Hefele:

«Toute la creation est remplie d'esprits bienfaisants. En face des anges sont les demons... Leur séjour est un cercle d'épaisse et sombre atmosphère qui enveloppe la terre. Les demons se rapprochent de la valeur des sacrifices; ils se plongent dans les corps des hommes dissolus et des animaux; ils produisent des epidemies, etc., mais un jour ils se convertiront tous.»

Quoad secundum, Origenes docet: 1.º exordium et existentiam humanitatis originem duxisse ex detrusione in corpora quorundam spirituum, qui corporibus humanis ligati fuere ad tempus, ut penes admissi peccati luerent: 2.º narrationem Genesis circa originem naturæ humanæ, allegorico tantum sensu accipiendam esse: 3.º primum hominem sive Adam, ibidem nominatum, non esse aliquem singularem hominem, sed hoc nomine Adam significari integram humanitatem, vel speciem humanam, quæ nihil aliud est quam spiritus illi qui ceciderant, quatenus corporibus humanis quasi ergastulis includuntur.

Quæ omnia, sicut et quædam ex his quæ, tum in antecessum, tum in sequenti articulo adnotamus, pro his præsertim adnotamus qui Theologiæ operam navare in votis habeant.

substantiam et naturam divisioni subjicit; deinde, accidentibus, mutationibus et perfectibilitati subjectam supponit. Nam, ut bene habet D. Thomas, (1) «in anima manifeste apparet variatio secundum scientiam et virtutem, et eorum opposita: Deus autem est omnino invariabilis, et per se, et per accidens: non igitur anima esse potest de divina substantia.»

Non secundum: 1.º quia hæc theoria præexistentiæ animarum, non solum est gratuita, sed adversatur ipsi naturæ animæ, quæ ex se est substantia incompleta, quod illa theoria inficiatur: esse autem incompletam, vel ex eo solum ostenditur, quod absque corporis consortio et opera, vegetativas et sensitivas operationes exerere nequit. 2.º Si rationalis anima spiritus quidam est perfectus, et priusquam corpori infundatur, a Deo producta est, ut vult Origenes post Platonem, vel unice ejus cum corpore, est secundum ipsius naturam, vel contra ipsam: si primum; ergo contra ejus naturam est quoad a Deo existentiam acceperit et retinuerit per determinatum tempus: si secundum; ergo homo est compositum violentum, præposterum ac non naturale.

Ergo rationalis anima, utpote ex sui natura et naturæ Auctore destinata ad vivificandum et animandum humanum corpus, ejus substantialis forma existit, ut supra demonstratum fuit, existentiam accipit simul cum corpore, cum quo hominem constituit et perficit.

SCHOLIUM.

Quamvis porro certum sit et indubium rationalem animam tunc incipere esse, ac corpori uniri, dum corpus ad hanc unionem est congrue dispositum et organizatum, quoniam tamen generationis tempore id perficiatur, difficile admodum est decernere: quibusdam majus, quibusdam minus temporis spatium, post conceptionis momentum, assignantibus. Nobis valde probabile videtur, fœtus animationem hu-

(1) Sum. C. Gent. II. 2.º, c. 85.

manam, (1) sin minus ipso conceptionis instanti, ast non multo post locum habere. Quandoquidem, si, ut ex Cangiamilæ aliorumque probatissimis experimentis et observationibus constat, septimo post conceptionem die, humanam formam et organizationem aperte præ se fer, merito conjici potest, præfatam formam ipsi advenire et inesse paulo post conceptionem, quamvis hebetibus nostris oculis nondum distincte appareat. (2)

ARTICULUS SECUNDUS.

De animæ rationalis origine.

Triples extitit circa rationalis animæ systema, *Traductionismus*, nempe, *Generatianismus*, et *Creationismus*.

a) *Traductionismus*, affirmat rationalem animam oriri et propagari per traducem ex anima simul et corpore parentum. In quam sententiam, non solum Appollinaris cum aliis heterodoxis, sed ipsemet Tertullianus descendisse videtur. (3)

b) *Generatianismus*, docet rationalem animam nullo modo ex corpore, sed ex anima solum parentis traduci et genera-

(1) Dico humanam, quia tanquam omnino improbabilem rejicimus quorundam veterum et Scholasticorum opinionem, qui fœtus humani animationem per tres animas, sibi succedentes, vegetativam, nempe, sensitivam et rationalem, explicare conabantur. Namque, ut alia omittam, probatis constat observationibus et experimentis, fœtum in utero matris, paucis post conceptionem diebus, ornam, speciem et organizationem humani corporis oculis ipsis offere. Deinde; si illi ipsi qui tres animas fingunt, simul concedunt vegetativæ vitæ opera ab anima rationali prodire, quanam de causa concipere et concedere nequeunt, hæc ipsa vitæ vegetativæ opera, a rationali anima in embrione originem ducere?

(2) Vid. Debreyne, *Teolog. mor.*, part. 3.^a, c. 1.^a, *Encycl. du XIX^e siècle*, art. *Fœtus*.

(3) «Hominis anima, scribit ille inter alia, *De Ani. c. 27*, velut surculus quidam ex matrice Adam in propaginem deducta, et genitalibus fœminæ foveis commendata, eam omni sua paraturam pullulabit, tam intellectu quam et sensu.»

In eodem porro libro docet non semel, animam hominis eadem ratione generari qua corpus, ac eodem contineri semine.

ri; unde in eo a traductionismo maxime differt, quod nullum corporis influxum ad animæ productionem admittit, sed animam ex anima propagari vult, *tanquam si lucerna de lucerna accendatur*. (1)

Affinem hanc theoriam tradidit Leibnitz, qui docuit rationales animas, cunctas præcontineri in semine parentum ascendendo usque ad Adamum, (2) in quo ab ipso initio præextiterunt corpusculis organicis inclusæ.

Addit tamen, eas in seminalibus corpusculis præcontineri solum tanquam animales vel sensitivas, ita ut sensu ac perceptione præditæ sint, at ratione, vel potius apperceptione priventur, donec hæc in generatione humana eis adveniat, «sive modus naturalis suppetat elevandi animam sensi-

(1) Hæc nostra ætate *generatianismi* systema e pulvère suscitarent et tueri aggressi sunt, Klée, Oischinger, Freschlammcr, cum aliis e Germaniæ præsertim scriptoribus. Horum postremus ostendere nititur, *generatianismum*, non solum cum doctrina catholice æque ac *creationismum* congruere, sed Patrum Ecclesiæ maximam et præcipuam partem, huic systemati adhesisse. Vid. ejus opus *De l'Orig. des ames, Justific. du Generatianisme*. Goschler, *Diction. encyc. de la Theolog. Cath.*, art. *Generatianisme*.

(2) «Je croirais que les ames, qui seront un jour ames humaines, ont été dans les semences, et dans les ancêtres jusqu'à Adam, et ont existé par conséquent depuis le commencement des choses toujours dans une manière de corps organisé.» *Essais de Theod.*, p. 1.^{er} num. 91.

Quæ Leibnitz doctrina apprime congruit eum ea, quam alibi docet, nimirum, multiplices substantias simplices et inextensas existere in rerum natura, quæ corpore organico nunquam spoliantur. «Il y a nécessairement des substances simples et sans étendue répandues par toute la nature... et qu'elles ne sont jamais séparées de tout corps organisé.» *Discours sur la conf. de la foi avec la raison*, num. 10.

Ergo Leibnitz, dum gentiliū quorundam philosophorum theoriam circa præexistentiam animarum partim rejicit, simul tamen ad eosdem accedit, atque Origenem reminiscitur, qui in hunc errorem descendere videtur dum hæc scribit: «Si vero impossibile est, hoc ullo modo affirmari, id est, quod vivere præter corpora possit ulla alia creatura, præter Patrem et Filium et Spiritum S., necessitas consequentiæ coarctat intelligi, principaliter quidem creatas esse rationabiles naturas, *materialem vero substantiam, opinionem quidem et intellectu solum separari ab eis... sed nunquam sine ipsa, vel vixisse, vel vivere*.» *De Princ.*, lib. 2.^o, cap. 2.^o. Vid. Ritter, *Histoire de la Phil. Chret.*, lib. 4.^o, cap. 2.^o

tivam ad perfectionem animæ rationalis (quod non facile agnosco), sive Deus per operationem quandam particularem, quæ transcreatio dici posset (si vous voulez, par une espèce de transcreation), huic animæ rationem largiatur.» (1)

c) *Creacionismus*, adversus exposita systemata tuetur, rationales animas originem immediate habere ex Deo, qui eas ex nihilo producit per creationem, atque simul infundit corporibus, dum hæc ad ea suscipienda apta sunt et rite disposita. Quæ sententia, quidquid dicant recentes generacionismi propugnatores, non solum cum catholicis dogmatibus apprimè congruit, sed etiam cum traditione majoris partis Ecclesiæ Patrum (2), etiam priorum sæculorum. Unde sit,

(1) In refellenda theoria ista leibnitziana, quæ et omnino gratuita, et communi hominum sensui prorsus repugnans prima fronte apparet, nec libet, nec opus est immorari. Notare tantum velim: 1.º absurdam esse, et ex terminis contradictoriam, *transcreationem* illam quam comminiscitur; quandoquidem productio et præjacente subjecto, omnino pugnat cum idea creationis, quæ essentialiter est ex nihilo: 2.º nec minoribus scatet absurdis et periculis, hypothesis illa de ratione adveniente animæ sensitivæ, ex qua hypothesis consequeretur rationalitatem, ex qua hominis anima ab animabus brutorum essentialiter differt, quoddam accidens esse seu rem adventitiam substantiæ animæ.

(2) «La majorité des pères de l'Eglise, ait Worter, parle dans le même sens (Sacra Scripturæ) en faveur du créacionisme. Quant à ce qui est des décisions dogmatiques, l'Eglise ne s'est précisément prononcée nulle part pour le creacionisme; mais bien des décisions qui ont indirectement rapport à cette doctrine, peuvent s'interpréter en sa faveur.» Vid. Goschler, op. cit. art. *Ame. Weizel, Recherch. histor. et psychol. sur l'orig. et la nat. de l'ame.*

Quod pro his præsertim, qui Theologiæ scientiam in votis habent adnotare voluimus. In quorum gratiam similiter subijcimus, D. Augustinum, ancipitem hæssisse et dubium in quæstione hac de origine animæ, uti apparet ex his quæ cap. 21. *De lib. Arb.* scripsit: «Harum autem quatuor de anima sententiarum, utrumme de propagatione veniant, an in singulis quibusque nascentibus novæ fiant, an in corpora nascentium jam alicubi existentes, vel mittantur divinitus, vel sua sponte labantur, nullam temere affirmare oportebit.» Quinimo, in dubio hocce ad finem usque perseverasse colligitur ex his quæ habet *Retract.* lib. 1.º, C. 1.º: «Quod attinet ad ejus (animi humani) originem, qua fit in corpore, utrum de illo uno sit, qui primum creatus est cum factus est homo in animam vivam: an similiter ita fiant singulis singuli, nec tum sciebam, nec adhuc scio.»

THESIS.

Rationalis anima per solam creationem incipit esse.

Prob. 1.º rejiciendo opposita systemata. Anima rationalis produci et oriri nequit, nec ex traduce carnis, nec ex traduce animæ parentum: ergo per solam creationem divinam esse accipit.

Prob. ant. quoad primam partem. Anima rationalis est substantia omnino incorporea, spiritualis, et independens a corpore et materia, sine quibus, utpote per se subsistens, existere potest et revera existit post mortem; atqui nec corpus, nec ulla vis corporea, sive quæ a corpore dependeat, producere potest rem, et præsertim substantiam incorpoream, spiritualementem, et independentem ab omni corpore quoad existentiam et operationem, alioquin effectus esset nobilior et perfectior causa: ergo.

Quoad 2.º partem. Si anima rationalis per generationem oritur, seu generatur ex anima rationali parentis, ut vult generacionismus, vel anima filii est tota parentis anima, vel pars ejusdem: si primum; ergo pater et filius habebunt unam et eandem animam, proindeque non duo, sed unus idemque homo erunt: si secundum; ergo rationalis anima partibus constat; proinde, nec simplex, nec indivisibilis erit, et evanescent ejus spiritualitas et immortalitas. Extremum; quod voluerit, eligat, qui animæ creationem inficiari audeat.

Prob. 2.º directè. Res omnis subsistens, seu cui convenit per se esse et operari, vel incipit esse per agregationem

Nihilominus, si alii ejusdem textus consulantur, conijcere merito licet, eum creacionismi veritatem agnoscere, abstinere tamen ab affirmatione absoluta, tum ne definitionem Ecclesiæ præjudicaret *in re naturaliter obscura*, ut ipsemet ait; tum propter difficultatem quam patiebatur in concilianda hac theoria cum propagatione peccati originalis, uti aperte colligitur ex eo quod ad S. Hieronymum scribit, dicens: «Illa de animarum novarum creatione sententia, si hanc fidem fundatissimam, (scilicet, fidem de existentia et propagatione peccati originalis) non oppugnat, sit et mea; si oppugnat, non sit et tua.»

partium, ut corpora mixta, vel per generationem, ut planta et bruta, vel per creationem ex nihilo: atqui rationalis anima produci aut existere nequit per aggregationem, quia caret partibus; nec per generationem, sive ex corpore, cum vis aut substantia corporea non sit, sive ex anima, ut nunc demonstratum est: ergo solum per creationem ex nihilo originem et esse accipit. (1)

SCHOLIUM.

Quamvis rationalis anima a solo Deo per creationem ex nihilo producat, id tamen nihil obstat quominus vere dicatur *hominem generari*, sive per *generationem* produci. *Homo* enim, nec animam solam, nec solum corpus, sed ex utroque exurgens compositum significat. Porro, compositum hocce per generationem produci vere dici potest, idque duplici potissimum ratione: 1.^o quia est terminus totalis, adequatus et ultimus, ad quem ex se tendit et quem attingit actio generativa parentis: 2.^o quia hæc parentis generativa actio, quamvis animam non attingat *directe* et quoad esse, eam tamen attingit *indirecte* et quod *unionem*; quatenus, nimirum, corpus quod essentialis hominis pars existit, ex vi generantis actionis ad eum statum perducitur, in quo secundum naturæ ordinem et leges rationali animæ jungi postulat.

(1) Pansis, hæc omnia, pro more suo, complexus est D. Thomas. *Sum. Theol.* 1.^o P. q. 418, art. 2.^o ubi sic habet: «Impossibile est virtutem activam quæ est in materia, extendere suam actionem ad producendum immaterialem effectum. Manifestum est autem, quod principium intellectivum in homine est principium transcendens materiam; habet enim operationem in qua non communicat corpus. Et ideo impossibile est quod virtus, quæ est in semine, sit productiva intellectivi principii... Similiter etiam, anima intellectiva, cum habeat operationem vitæ sine corpore, (sine organo corporeo quo exerceatur, ut intelligere et velle) est subsistens; et ita sibi debetur esse et fieri: et cum si immaterialis substantia, non potest causari per generationem, sed solum per creationem a Deo. Ponere ergo animam intellectivam a generante causari, nihil aliud est quam ponere eam non subsistentem, et per consequens corrumpi eam cum corpore. Et ideo hæreticum est dicere, quod anima intellectiva traducatur cum semine.»

Quod si ille qui gladio hominem perimit, vere dicitur hominem interficere, quantumvis esse animæ minime destruat, potiori ratione vere dici potest, patrem filium generare, quia ex vi propria, et per actionem generativam, filii corpus non solum compingit, sed ad eam ducit perfectionem sive ad organismum, ex quo et per quem animam rationalem informantem postulat.

CAPUT QUARTUM.

DE RATIONALI ANIMA QUOAD UNIONEM ET SEPARATIONEM A CORPORE.

Ex his quæ hucusque disseruimus, satis liquet quidnam rationali animæ conveniat, tum in seipsa, tum in statu unionis cum corpore. Ad plenioram tamen rei scientiam, subjiciemus specialia quædam circa animam in se et prout corpori conjunctam; deinde, disseremus de anima a corpore separata.

ARTICULUS PRIMUS.

Specialia quæsitæ de anima breviter expendantur.

Quæres 1.^o Quomodo deficienda sit rationalis anima.

Resp. Anima rationalis, defini potest: *substantia incompleta, simplex et pure spiritualis, quæ ad informandum substantialiter corpus hominis destinatur.*

Patescit definitio ex his, quæ in hac secunda psychologiæ parte disputata manent. Dicitur *substantia incompleta*, quia ex se sola perfecte non subsistit; tum quia speciem completam entis non constituit nisi quatenus corpori unita; tum quia corpore indiget ad exerendas et explicandas operationes omnes, quarum principium esse potest. Dicitur *simplex*, ad excludendam compositionem partium et ejusque extensionis. Additur *pure spiritualis*, quia non solum compositionem partium, sed omnem materialitatem a se excludit, utpote corporea omnia transcendens, atque simul intellectu et voluntate libera prædita. Dicitur, *quæ destinatur ad informandum corpus hominis*, quia ex sua ipsa natura ordinatur ad communicandum esse humanum corpori, et ad perficien-

dum hominem tanquam pars essentialis et constitutiva ejus. Additur vero *substantialiter*, ut significetur, præfatam informationem perfici, quatenus anima est vera forma substantialis corporis humani, ac proinde, ejus unionem cum corpore esse substantialem et non mere accidentalem (1), sicuti præ se fert platoniorum, tam veterum quam recentiorum theoria.

Quæres 2.º Utrum actualis cogitatio sit ipsa essentia animæ.

Resp. Negative. Prob. 1.º quia operatio actualis realiter differt ab ipsa substantia animæ, cum sit modus accidentalis, qui ipsi adesse, vel abesse potest. Sic, dum nunc efformo *ratiocinationem*, vel *volo* deambulare, mens mea habet actus reales, quos antea non habebat. Ergo anima, eadem perseverans quoad essentiam, mutatur accidentaliter ratione actuum vel effectuum, qui in ea de novo esse incipiunt, vel desinunt. Ergo hujusmodi actus, quos Cartesius sub nomine cogitationis comprehendit, nequeunt essentiam animæ constituere, nisi dicamus, essentiam rei posse esse vel non esse in re, cujus supponitur essentia.

2.º Quia cum cogitatio, præsertim ad Cartesii sensum, e genere illarum operationum sit, quæ intimo sensui subjiciun-

(1) Ex dictis colliges, rejiciendam esse tanquam diminutam et inexactam definitionem, quam Lugdunensis philosophia cum ceteris cartesianis trahunt de anima, quæ est apud illos: *substantia rationalis seu cogitationis particeps regendo corpori accommodata*. In qua definitione, nec distinctio animæ ab omni materia, etiam simplici, exprimitur, nec ejus subsistentia incompleta, quæ ipsi necessario inest, nec natura ejus unionis cum corpore; quinimo, si vera loqui quis voluerit, fatebitur hanc definitionem angelis convenire; namque angelus, et est substantia cogitationis particeps, et accommodata regendo corpori, quod quidem, vim habet corpus per motum localem regendi. Alter e Cartesianorum grege philosophus, hominem definit: *intelligentiam organis utentem*; quæ Bonald definitio, quamvis a recentioribus quamplurimis cum plausu et fere prodigii instar excepta, non diminuta solum et incompleta, ut præcedens, sed penitus falsa et inexacta haberi debet, quatenus in ea aperte innuitur, corpus nihil esse aliud quam instrumentum quo anima ad operandum utitur, ea pene ratione, qua artifex martello utitur; ac proinde verè et proprie non esse partem essentialis et constitutivam hominis.

tur, gratuito et fecte eam existere affirmatur, si id conscientia minime testetur. Ast verò, animam essentialiter, vel semper actu cogitare, conscientia non solum non testatur, sed potius oppositum ostendit, prouti videre fas est in fœtu utero materno adhuc incluso, et in his qui profundissimo somno indulgent. Sententia ergo Cartesii reponentis animæ essentiam in actuali cogitatione, tanquam absurda haberi debet: tanquam vero erronea et experientiæ adversans, opinio eorum, qui animam peremittere cogitare autumant.

Quæres 3.º Unde oriatur hominum inæqualitas quoad vires, præsertim intellectivæ partis.

Resp. Duplici ratione potest explicari inæqualitas quæ inter homines viget, quoad agendi vires seu facultates, præsertim ex parte intellectus et voluntatis. Quarum prima est, ut inæqualitas ista ex parte facultatum, ex inæqualitate animæ originem ducat (1): sicut enim videmus in aliis rerum speciebus, ex. gr. in arbore malo, in specie canis, vel in aliqua ejusdem varietate, unum individuum perfectius esse alio intra eandem speciem, nec etiam repugnare videtur, hujus hominis animam ab anima illius discriminari differentia aliqua, non essentiali aut specifica, sed accidentali et quasi numerica.

Altera hypothesis ea est, qua statuitur, præfatam inæqualitatem ex inæqualitate complexionis et organorum facultatibus inservientium originem ducere, ita ut eatenus hic homo ab illo discriminetur quoad intelligentiam, quatenus perfectiora habet organa sensibilitatis, præsertim internæ, quæ intellectui ministrat, et quæ cum ipso simul operatur.

Quæres 4.º Unde originem ducant monstruosi fœtus humani, et illa nota (manchas) quæ aliquando in homines pelle exarata, pro variis anni tempestatibus varias subeunt mutationes.

Resp. Paré, Mallebranche, Burdach cum aliis, existimant hujusmodi effectus ex vi imaginationis originem ducere, nitunturque maxime, ut id tueantur, multiplicibus observatio-

(1) In hanc sententiam descendere videtur Leibnitz, dum scribit: «Il y a une différence individuelle originaire entre les âmes, comme l'harmonie préétablie le montre.» *Essais de Theod.* p. 1.º, num. 103

nibus et exemplis, quæ opinioni huic favere videntur; idque non solum circa notas illas exteriores, in quas valde probabiliter imaginatio influit, sed etiam quoad monstruosos ipsos fœtus, quorum aliquando nulla alia sufficiens ratio reddi potest præter vehementissimam imaginationis impressionem; ut in muliere illa, quæ cum gravida interfuisset spectaculo crurifragii, filium postea peperit, cruribus, brachiis, renibusque fractis, et quidem, exactissime iisdem in partibus et locis, quibus in damnato homine iudicum sententia executioni mandata fuerat.

At vero alii, quos inter eminent Haller et Buffon, inficiantur huiusmodi effectus ex imaginationis vi originem ducere, eosque unice repetunt, ex accidentali mutatione legum naturæ propter occurrentia impedimenta, vel causarum pugnam. Nulla namque existit relatio, saltem directa, ajunt illi, inter nervæum systema matris et fœtus, ex qua solum exurgere ac communicari posset influxus ille imaginationis ad fœtum. Notant præterea, quod si vehemens imaginationis commotio, hujuscemodi produceret effectus, hi profecto frequentius in infantibus apparerent, cum vix ulla sit mulier, quæ, dum gravida existit, aliquam imaginationem vehementiorem non experiatur. Fortasse huiusmodi effectus, tum ex imaginatione, tum etiam ex perturbatione accidentali legum naturæ, simul originem ducunt. Sed res tanti non est, ut in ea diutius immoremur.

ARTICULUS SECUNDUS.

De rationali anima prout a corpore separata.

Circa statum et conditiones existendi animæ rationalis post separationem a corpore, altum silentium apud recentiores, qui a christiana philosophia defecerunt. Immo vero, apud eos ipsos qui philosophiam catholicam profitentur, vix quidpiam solidi reperire licebit. Nos autem quoniam existimamus, huiusmodi vestigationem non parum lucis affundere christianæ psychologiæ, quam illustrat, obfirmat, ac veluti complet et perficit, de statu et conditionibus essendi et operandi animæ separatæ, per summa capita disseremus. Itaque,

1.° Rationalis anima, utpote in confinio mundi corporei et spiritualis constituta, de utroque quodammodo participat; nam ex una parte, habet rationem formæ substantialis corporis humani; ex alia vero, habet rationem substantiæ spiritualis seu intelligentiæ subsistentis, unde hac ex parte, adsimilatur angelis, cum quibus quamdam affinitatem sibi vindicat.

2.° Nihil igitur mirum, si quædam prædicata et attributa animæ conveniant ex utroque capite. Sic, ex c., ex primo capite, ipsi competit habere ordinem essentialem et inclinationem naturalem ad corpus cum quo hominem seu naturam humanam constituit; quippe omnis pars essentialis, essentialem ordinem dicit, et inclinationem naturalem involvit id essentialiam cujus est pars. Ex altero capite, eidem competit posse esse et operari sine corpore; imo vero, perfectius aliqua ratione seu *secundum quid*, ut ajebant Scholastici, esse et operari, quatenus esse et operari sine corpore, si *simpliciter* seu secundum se spectetur, perfectius ac nobilius existit, quam esse et operari dependenter a corpore.

3.° Quamvis rationali animæ non repugnet sed potius naturaliter competat status separationis a corpore, si spectetur præcise qua substantia intellectualis angelis affinis, id tamen nihil obstat quominus status conjunctionis cum corpore sit ei magis naturalis; quia omnis pars est propter totum, anima autem rationalis, utpote forma substantialis hominis, est propter hominem tanquam pars essentialis ipsius. Ergo cum status simpliciter vel absolute naturalis cujuslibet partis essentialis, sit esse in tota essentia vel natura cujus est pars, status separationis a corpore, non est simpliciter naturalis animæ hominis, sed imperfecte solum naturalis, vel potius, ut habet D. Thomas, *præter rationem* suæ naturæ, hoc est, præternaturalis. Ad rem Cajetanus: (1) «Anima intellectiva, quia est suprema forma in materia existentium, secundum sui supremum participat aliquid de natura substantiarum separatarum; et secundum seipsam absolute, aliquid aliud sibi vindicat. Secundum enim pro-

(1) *Comm. in Sum. Theol. 1.º P. q. 89, art. 1.º*

priam naturam ut sic, vendicat sibi esse in corpore, et intelligere per conversionem ad phantasmata, quoniam est essentialiter pars; secundum vero quod participat substantias separatas, (quatenus similitudinem et affinitatem obtinet cum angelis, qui apud Scholasticos, *substantiæ separatæ*, ut plurimum, appellabantur) habet quod sit etiam extra corpus ut illæ sunt, et intelligat per conversionem ad intelligibilia simpliciter, ut illæ intelligunt: et sic ille modus est simpliciter naturalis animæ, hic vero præternaturalis.»

4.º «Cum nihil operetur nisi in quantum est actu, inquit D. Thomas (1), modus operandi uniuscujusque rei sequitur modum essendi ipsius. Animæ igitur, secundum illum modum essendi, quo corpori est unita, competit modus intelligendi per conversionem ad phantasmata (species seu representationes sensibiles) corporum. Cum autem fuerit a corpore separata, competit ei modus intelligendi per conversionem ad ea quæ sunt intelligibilia simpliciter, sicut et aliis substantiis separatis.» Nimirum, apud D. Thomam:

a) Anima, dum est unita corpori, intelligit per conversionem ad objecta inferiora seu corporea, quæ per sensus menti offeruntur; namque, ut ipsemet ait, (2) «anima humana corpori unita, aspectum habet ex unione corporis ad inferiora directum:» dum vero a corpore est separata, intelligit per conversionem ad superiora, hoc est, ad res spirituales et per seipsas intelligibiles.

b) Objectum intellectus, pro statu unionis, habet solum intelligibilitatem potentialem et mediatam, cum objectum quod phantasmate seu sensibili representatione exhibetur, intelligi actu nequeat, nisi ope intellectus agentis singularitate exuatur, et ad ordinem universalem et actu intelligibilem elevetur: objectum vero intellectus pro statu separationis, sibi vendicat intelligibilitatem, vel actuaalem, vel immediatam, quippe illud continetur, vel ideis a Deo infusis, aut etiam in antecessum acquisitis, sed quarum usus a sensibus jam non dependet; vel rebus immediate intelligibilibus, uti ipsa anima, angeli et Deus.

(1) 1.º P. q. 82, art. 1.º

(2) QQ. Disp. de Anim. q. unic. art. 17.

c) Anima, pro statu unionis, propriam essentiam non intuetur, sed tantummodo proprios actus, quorum ope, sicut et ope rationis, in cognitionem propriæ essentiæ devenit; angelos vero et Deum, ope remotionis, analogiæ, et collationis cum seipsa et rebus naturalibus cognoscit: ast vero, in statu separationis, «seipsam cognoscit, inquit D. Thomas, directe suam essentiam intuendo, et non a posteriori, sicut nunc accidit;» alias vero substantias separatas cognoscit per quamdam intuitionem veluti analogicam et imperfectam; sicut enim, «una aliarum substantiarum separatarum cognoscit aliam intuendo essentiam suam, in quantum in ea est aliqua similitudo alterius substantiæ cognoscendæ... ita etiam anima separata, intuendo directe essentiam suam, cognoscet substantias separatas, non tamen ita perfecte... sicut ipsæ cognoscunt se invicem, eo quod anima est infima inter eas, et infimo modo recipit intelligibilis luminis emanationem.»

d) Alia objecta vel res naturales, cognoscit anima separata per species infusas similes speciebus vel ideis quibus utuntur angeli: sed quia hujusmodi ideæ, utpote universaliore, relationem seu proportionem non habent cum lumine intellectus humani, qui in ordine intellectuum est infimus, anima separata per hasce ideas, nonnisi cognitionem confusam et imperfectam obtinet. Enimvero, ut scite habet D. Thomas (1), «non est sibi (animæ separatæ) tanta efficacia virtutis intellectivæ, ut per hujusmodi genus specierum intelligibilem, possit perfectam cognitionem consequi, intelligendo specialiter et determinate unumquodque, sed in quadam universalitate et confusione, sicut cognoscuntur res in principiis universalibus.»

e) Itaque, modus cognoscendi animæ separatæ secundum se spectatus, est nobilior et perfectior quam modus cognoscendi animæ corpori conjunctæ; attamen, respectu animæ humanæ, cujus virtus intellectualis est infima et minor virtute intellectuali angeli et Dei, præfatus modus intelligendi est imperfectior, quatenus humanus intellectus, ope

(1) QQ. Disp. De Anim. art. 18.

ipsius, cognitionem generalem et confusam rerum solummodo obtinere potest.

f) Ex quo ulterius colligere licet, quod modus ille intelligendi per conversionem ad superiora et intelligibilia actu, qui competit animæ separatæ, jure dici potest *præternaturalis*, sicut et status separationis a corpore, cui respondet. Contra vero, modus intelligendi per conversionem ad phantasmata et inferiora, hoc est, per abstractionem idearum, quibus singulatim, determinate ac distincte, unaquæque res repræsentatur et intelligitur, est animæ proprie naturalis, utpote respondens viribus intellectui humano propriis, ac cognitionem distinctam objectorum idoneus suppeditare.

Cæterum, hæc omnia accipere oportet quoad cognitionem animæ separatæ, ex hypothesi status naturæ puræ, seu potius de cognitione quæ eidem competit ex vi et ordine naturæ. «De cognitione autem, concludam cum ipso D. Thoma, quam habent animæ sanctorum per gratiam, alia ratio est; nam secundum illam, angelis adæquantur, prout vident omnia in Verbo.»

SCHOLIUM GENERALE IN UNIVERSAM PSYCHOLOGIAM.

Ex his quæ in toto hocce libro disputavimus, facile colligitur, nos in psychologia tradenda, methodum analytico-syntheticam secutos fuisse. Est autem analytico-syntheticæ methodus, ea quæ observatione phenomenorum, ac ratione pura simul innititur; nempe, quæ facultates animæ, ex ipsarum actibus seu manifestationibus agnoscit, enumerat, dijudicat; per actus et facultates, ad dignoscendam naturam animæ assurgit, simul tamen ex natura animæ ad ipsius facultates, actus et objecta rediens, super ea veluti sese replicans, eaque omnia cum anima, a qua progrediuntur, conferens et ad accuratius examen revocans, ipsius animæ cum suis facultatibus plenior ac magis scientificam notitiam menti acquirit. Unde ex synthesi et analysi, ex observatione et ratione pura, simul constat hæc psychologica methodus qua usi simus, quæque cæteris proculdubio præstat, prout ratio et experientia ipsa nos edocent. Ast enim vero, qui historiam psychologiæ vel e limine salutave-

rit, non ignoravit profecto, eos qui in psychologia ex methodo pure rationali, et à priori philosophati sunt, gratuitas et hypotheticas rationis conceptiones loco veræ et realis psychologiæ nobis obtulisse, ut videre licet in Plotino et neoplatonicis, in Fichte, Hegel cum reliquis transcendentalibus, qui animæ humanæ, hujusque facultatum scientiam ex proprio ingenio et ratione pura eruere aggressi sunt, experientiam et observationem omnem transcendentes, vel potius contemnentes. Alii e converso, qui universam psychologiam ex observatione phenomenorum fere unice elicere pertentaverunt, enumerationem imperfectam facultatum animæ pro scientifica psychologia protulerunt. Hæc porro methodus, quæ empirica et à posteriori nuncupatur, est ipsamet quam Bacon, Locke, Condillac, Reid cum schola scotica, Royer-Collard, Jouffroy, Cousin, et docuerunt, et psychologiæ applicarunt. Inter quos eminent sane Reid, qui huic methodo pressius adhæsit, eamque in suis operibus perfectius reliquis applicavit et evoluit; unde et methodus reidiana quandoque dicitur. Jam vero, nemo est qui nesciat scoticam seu reidianam psychologiam, et periculis scatere, et valde imperfectam esse. Periculis scætet; quia ex ejus principiis, nihil certi nobis licet pronuntiare circa naturam animæ ejusque spiritualitatem et immortalitatem. Est valde imperfecta et incompleta; non solum quia naturam ipsam animæ, quæ præcipua est psychologiæ pars, vix aut ne vix quidem attingit, sed etiam quia quoad ipsas facultates, nihil aliud facit, quam eas prout in homine esse produnt enumerare, recensere atque ad species quasdam revocare, quia ipsarum, nec principium et originem, nec propriam essentiam, nec terminum et objecta, scientificæ investigationi subiciat. Verbo: psychologia scotica, non veram scientiam, sed descriptionem quamdam historicam facultatum et operationum animæ exhibet, atque, ut apposite quidam dixit, nihil aliud continet nisi quamdam, monographiam facultatum.



LIBER TERTIUS.

IDEALOGIA.

MOMENTOSAM quæstionem de ideis idearumque origine, a tota retro antiquitate ad nostra usque tempora, magno æstu philosophi ferme omnes agitarunt. Nec absque ratione et fundamento: ea namque ejus est naturæ, ut cum quæstionibus circa naturam et originem animæ humanæ, rationis, et cognitionis intellectualis, arcte conjuncta sit. Nobis vero, quibus operis elementarii condiciones prætermittere non licet, præcipua tantum hujus quæstionis capita summam attingere fas ast. Unde dicemus: 1.º de idearum natura et existentia: 2.º de variis systematibus circa idearum originem: 3.º de vera idearum origine. Idealogiam porro hic versamus, quia veluti pars quædam, vel complementum potius totius psychologiæ, jure merito spectari potest.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



CAPUT PRIMUM.

DE IDEARUM NATURA ET EXISTENTIA.

ARTICULUS PRIMUS.

Notio et divisio idearum.

Præ oculis habere oportet, nomen *ideæ*, non uno sensu ab omnibus usurpari; idque non solum verum est de idea generatim spectata, sed de ipsa quoque idea intellectuali. Philosophorum namque plurimi ideam intellectualem sumunt et habent, tanquam aliquid ab ipsa perceptione vel actu intellectus, distinctum; quorum alii ideam vocant ipsam rem seu objectum cognitum; alii representationem intelligibilem et universalem rei quæ intelligitur. Altera autem philosophorum pars, ideam, ipsum actum seu perceptionem intellectus esse autumant, quæ intellectualis perceptio, quatenus ad objectum cognitum refertur, *idea* dicatur; *intellectio* vero, quatenus ad potentiam intellectualem refertur.

Non igitur in æquivoco laboremus, atque ut verborum et rationum sensus, quibus in hac quæstione utemur, recte accipiantur et intelligantur, sequentia libet prænotare:

1.^m Idea intellectualis in genere sumpta, est representatio intellectualis objecti quod per intellectum percipitur. Dicitur *intellectualis*, quia representatio ista, quippe quæ respondere debet naturæ et conditioni potentiæ quæ ipsa utitur, oportet, 1.^o quod sit omnino immaterialis, sicuti est potentia intelligens; 2.^o quod representet objectum *universaliter* et non singulariter; aliter eniam non distingueretur a representationibus sensibilibus.

2.^m Duplicis generis existunt ideæ intellectuales. Quedam sunt, quæ objectum intelligibile representant et continent antequam actu cognoscatur per intellectum. Hæc est *idea impressa* Scholasticorum, quæ a D. Thoma frequentius nuncupatur, *species intelligibilis*, quandoque etiam *similitudo rei*.

Aliæ vero ideæ, sunt illæ quæ representat objectum *ut cognitum*: dum namque intellectus actu percipit objectum aliquod, intus sibi efformat ideam, quæ exprimit et continet

ipsam perceptionem, prout ad objectum terminatur. Hæc est *idea expressa* apud Scholasticos, quæ dicitur etiam frequenter, *ratio rei, conceptus, notio, verbum mentis, conceptio, notitia*.

3.^m Idea impressa comparatur ad intellectionem tanquam principium formale ipsius: *principium*, quia determinat et movet objective intellectum ad operandum, et est id a quo initium sumit intellectio: *formale*, quia est quasi forma determinans intellectum ad applicandam et exerendam propriam activitatem erga hoc objectum potius quam erga illud. Idea expressa comparatur ad intellectionem tanquam terminus ipsius; sicut enim vox *homo*, est terminus locutionis oralis, ita idea expressa sive notio hominis, est terminus intellectionis qua intelligitur homo.

4.^m Cum dicitur, ideas et species fieri et existere in nobis per abstractionem intellectus agentis, id accipiendum est tantum de ideis impressis, sive speciebus intelligibilibus; nam quod attinet ad expressas, cunctæ et semper per intellectum possibilem efformantur, cum nihil aliud sint quam terminus ipsius actus intelligendi, sive internum verbum mentis, quatenus exprimit et representat objectum *ut cognitum*, ac proinde quatenus continet notionem seu conceptum rei, quem sibi intellectus intelligendo efformat.

5.^m Inferitur ex dictis, eos qui, vel silentio prætermittunt, vel rejiciunt distinctionem inter ideas impressas et expressas, viam sibi ipsis præcludere ad solvendam quæstionem ideologicam ad mentem D. Thomæ; immo vero, et ad suscitandam quæstionem quoad ideas innatas. Enim vero, si nullæ existant ideæ impressæ ab expressis distinctæ, quæstio de ideis innatis, sensu et significatione caret; quandoquidem postremæ, cum nihil aliud sint quam notiones quas de rebus efformat in se intellectus dum eas intelligit, profecto per ipsum intellectum efficiuntur et ab ipso emanant, sicut ipsamet intellectio.

ARTICULUS SECUNDUS.

De existentia idearum.

THESIS.

Revera existunt ideæ intellectuales, tum impressæ, tum expressæ.

Probatur 1.^o ex omnibus his quæ adduximus, ad demonstrandum necessitatem et existentiam specierum sensibilium. Eadem namque, immo major est necessitas ponendi ideas impressas quoad intellectum, quippe qui est magis remotus ab objectis materialibus quam sensus. Sed præterea,

Prob. 2.^o directe. Intellectualis perceptio non existit, nisi quatenus res quæ precipitur intellectui conjungitur, ad ipsum trahitur, et in eo existit: atqui hæc conjunctio rei cognoscendæ cum intellectu cognoscente, fieri nequit nisi per ideam impressam: ergo. Min. ex eo probatur, quod prædicta conjunctio perfici non potest: 1.^o neque per ipsum intellectum; tum quia ex seipso est indifferens ad hoc, vel illud objectum: tum, et maxime, quia ipsius actio, utpote essentialiter immanens, ad objectum extra animam non transit, sed in ipsa potentia recipitur et manet: 2.^o neque per ipsum objectum, saltem dum est aliquid ab anima distinctum; neque enim arbor, ex. gr. intellectum meum ingreditur secundum propriam existentiam et substantiam, dum illud mente capio: 3.^o neque denique per præsentiam objecti in representatione sensibili; tum quia facultas nobilior et superior, ut est intellectus, requirit etiam modum representationis nobiliorem ipsi respondentem; tum maxime, quia res externa, prout in sensu existit, representatur cum forma singularitatis, dum vero intellectui objicitur, ipsi sistitur sub forma universalitatis. Ergo admittere opus est rem aliquam, quæ rem externam menti conjungat, sistat, atque representet absque conditione singularitatis; atque hæc ipsa est idea impressa.

Quoad ideas expressas nulla difficultas esse potest, cum nihil aliud sint, quam ipsum verbum mentis quod nobis in-
tus loquimur, dum objectum aliquod intellectu cognoscimus.

Nullus porro inficiari potest, non solum hujusmodi internum verbum in nobis formari, et habitualiter conservari, sed ab ipso actu intellectus aliqua ratione distingui realiter; sicut enim hæc vox *arbor* ore prolata, distinguitur ab ipsa locutione, vel ab actione qua profertur, ita similiter notio, sive idea expressa, quæ nobis representat et offert arborem ut cognitam, distinguitur ab ipsa actione, qua arboris naturam percipimus.

Corollarium.

Ergo ideæ intellectuales non sunt objectum rationis humanæ, ut voluit Plato cum aliquibus ex ontologis, sed medium cognitionis intellectualis. Equidem, si de idea impressa sermo sit, ejus est munus sistere et repræsentare intellectui objectum percipiendum sub forma universalitatis, simulque proinde determinare objective actionem intellectus possibilis: unde species impressa haberi potest ut effectus seu terminus intellectus agentis, simulque ut principium formale actionis intellectus possibilis. Si vero de expressa sit sermo, ea ad objectum ipsum cognitum necessario refertur; dum enim naturam arboris intello, intellectio ista ad ipsam naturam arboris extra me existentem terminatur, ad quam refertur, quam continet, et quam representat notio sive idea interna, qua exprimo naturam arboris ut cognitam. Utraque igitur idea essentialiter objectiva est; ac proinde merito docet D. Thomas, ideas non esse id quod cognoscitur, sed id quo aliquid per intellectum cognoscitur.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.^o Ideæ intellectuales, sive impressæ illæ sint, sive expressæ, in intellectu ipso solum existunt, ex dictis; sed quod in intellectu solum existentiam habet, est ens rationis, ac proinde nihil a parte rei: ergo.

Resp. Dist. min. Si habeat solum existentiam objectivam in intellectu, conc. si habeat præterea existentiam realem, neg. Ideæ itaque intellectuales, entia rationis appellari queunt, quatenus in ipsa ratione seu facultate intellectiva et non extra existunt et recipiuntur, ita tamen ut habeant propriam naturam realem, sicut habent ipsæ actiones rationis; sunt

enim accidentia quædam realia, quæ intellectum realiter fecundant et perficiunt.

Instab. Si ideæ intellectuales essent entitates reales in intellectu receptæ, inutiles forent ipsi ad intelligendum: ergo. Prob. ant. Res singularitati et individuatiōi subjecta, intellectiōnem universalem nequit producere seu determinare; sed præfata ideæ, si in intellectu inveniuntur, singularitati et individuatiōi subjiuntur: ergo.

Resp. Neg. ant. Ad prob. dist. maj. Si singularis sit tam quoad existentiam quam quoad vim representandi, conc. se-
cus, neg. Idea ergo intellectualis vim habet representandi objectum absque singularitate, ac proinde universalitate gaudet quoad esse representativum, quamvis in seipsa et subjective, singulare ens sit, ut quodlibet aliud. Nec vera ulla difficultas hic subesse potest, apud ipsos adversarios; quandoquidem fateri coguntur, intellectum, ejusque actum, singulares res esse, et tamen objecta ut universalia percipere.

Objic. 2.º Ut idea impressa determinare possit actum intellectus circa objectum per eam representatum, opus erit, ut intellectus prius cognoscat et sciat, talem ideam representare tale objectum; atqui id dici nequit, tum quia idea impressa jam tum inutilis foret, tum quia mens, dum intelligit, non ideam sive speciem intelligibilem, sed objectum ipsum reale intelligit: ergo.

Resp. Nego. maj. Cum enim idea impressa ex sua ipsa natura sit representativa et quasi imago intelligibilis objecti, opus non est, ut mens ipsam percipiat antequam objectum percipiat per eandem representatum. Dupliciter mens hominis movetur et fertur in ideam impressam: 1.º quatenus est representatio alterius: 2.º quatenus est res quædam, quæ propriam habet naturam et modum existendi, sicut alia entia. Dum igitur intellectus directe aliquid intelligit, fertur in speciem intelligibilem priori modo, seu quatenus est mera representatio objecti quod percipitur. At dum post actum directum, intellectus elicit, ut potest, actum reflexum, tunc ferri potest in speciem hujusmodi ut res quædam est. Quod non absimiliter accidit in ipso intellectus actu, qui si sit directus, et quatenus est directus, est voluti *medium quo intellectus ad objectum fertur illudque attingit*: at ipsemet in-

tellectus per reflexum actum fertur ad priorem actum directum, ipsumque attingit non jam ut *medium*, sed ut *rem* quandam et objectum cognitum.

Objic. 3.ª Idea expressa nihil est aliud quam ipse actus intellectus: ergo ideas ejusmodi habere non oportet tanquam accidentia realia quæ contineant et representent objectum ut cognitum.

Resp. Neg. ant. Probabilius namque ad minus est, ideas expressas, eo sensu quo a nobis prius acceptæ atque expositæ sunt, esse aliquid ab ipsa perceptione intellectuali realiter distinctum. Etenim indubium videtur, hujusmodi ideas sive notiones rerum altè mente defixas et conservatas nos habere quad plurima objecta. At vero e converso, perceptiones intellectuales, in mente tunc solum existunt, dum actu eliciuntur; atque proinde, desimunt esse ex quo cessat actualis consideratio objecti: et tamen, qui scientiam aliquam didicit et habet, ex. g. geometriam, quamvis nihil actu de ea ejusve objectis cogitet, non idcirco scientiam geometriæ amittit.

SCHOLIUM.

Erit fortasse qui quærat, undenam habeat idea impressa quod representativa sit objecti determinati ex sua ipsa natura, ex quo accidit, ut diximus in solutione objectionum, quod *per eam* intellectus naturaliter, sponteque fertur ad objectum externum. Nobis videtur, rationem sufficientem hujus rei desumendam esse ex ipsius speciei, vel ideæ origine. Prima namque origo ejus, est ipsum objectum quod representat et sistit menti: quandoquidem, ideæ impressæ rerum materialium, ex representationibus in sensu existentibus per intellectum accipiuntur. Jam vero, cum ipsa objecta externa, vel immediate, vel mediate in sensu agant et imprimant sui similitudinem, nihil mirum si idea impressa, quæ ex eisdem postea eruitur et abstrahitur per intellectum, ad illam rem externam ex seipsa referatur per representationem. (1)

(1) Consule, *Estudios* etc., lib. 5.º cap. 3.º et 4.º

CATUT SECUNDUM.

DE PRÆCIPUIS SYTEMATIBUS CIRCA ORIGINEM IDEARUM.

Systemata omnia de re hac a philosophis excogitata enucleare et spendere, negotium foret et difficultate plenum, et operis elementarii naturam prætergrediens. Quapropter brevitati simul ac perspicuitati, quantum fas est, consulentes, systemata omnia circa originem idearum ac cognitionis intellectualis, ad tres classes, sive scholas liceat revocare; ad scholam, videlicet, *empiricam*, scholam *ontologicam*, scholam *psychologicam*, de quibus sigillatim et breviter dicemus, priusquam veram originem idearum exponamus.

ARTICULUS PRIMUS.

Expenditur systema scholæ empiricæ.

Prænotanda:

1.° Mittimus veteres illos Democritum et Epicurum, agentes, ideas esse idola quædam corporea, sive tenuissimas superficies et quasi pelliculas ex corporibus continuo abrasas, quæ in sensus impingentes, ipsis afferrent similitudinem corporum ex quibus avolaverant; quoniam commentum hocce nimis absurdum est, nimis quoque communi hominum sensui repugnat.

2.° Missos similiter facimus, Hobbes, Volney, Tolland cum cæteris ejusdem furfuris et ævi philosophastris, idearum et cognitionis intellectualis originem ex materiæ proprietatibus atque fibrillarum motibus repetentium. Horum siquidem hypothesis, per ea quæ de animi humani simplicitate et spiritualitate dicta sunt, satis superque explosa remanet. Itaque

3.° Ad Locke convertimur qui docet:

a) Ideas omnes, quas de rebus habemus, temporis processu nos acquirere per experientiam, quæ bifariam dividitur. Alia est *externa*, qua objecta extra nos posita percipimus; altera *interna*, qua animi nostri mutationes sentimus.

b) Sensatio igitur et conscientia, duo sunt veluti fontes omnium idearum et cognitionum.

c) Sed tamen per reflexionem, vel potius per conscientiam reflexam, ideas sensatione, sive externa, sive interna habitas, invicem conjungere et disjungere per synthesim, vel per analysim possumus; ex quo exurgunt ideae aliæ, quæ genericæ, specificæ, vel universales et abstractæ apellantur et habentur. Sic, ex. gr. notio vel idea substantiæ, exurgit ex synthesi, qua simul in unum jungimus plures qualitates sensu perceptas.

THESIS.

Lockianum systema circa originem idearum penitus rejiciendum est, utpote sensismo favens.

Prob. 1.° à priori. Sive idea sumatur pro representatione objecti ab ipso actu intellectus distincta, ut volunt Scholastici, sive pro ipsa perceptione prout ad objectum refertur, ut volunt alii, lockianum systema sensismo favet: ergo. Antecedens, quoad primam partem, ex eo probatur at constat, quod Locke, nec ideas intellectuales impressas sive species intelligibiles a speciebus vel representationibus sensibilibus penitus distinctas admittit cum Scholasticis, nec cum ipsis causam ullam vel facultatem sensu superiorem assignat, quæ hujusmodi ideas producat.

Quoad secundam partem. Quia quamvis ore tenus facultatem rationalem sive intellectum videatur admittere, at revera, sensu omnia concludit; quandoquidem apud ipsum, notiones rerum in nobis exurgunt et producuntur sensatione, vel externa, vel interna; sensatio autem, sive externa illa sit, sive interna, aliquid concretum, contingens et singulare, pro objecto sibi vendicat, quod quidem toto celo ab objecto intellectus differt. Nam quod addit ille, per reflexionem quoque ideas produci, nihil ad rem facit; nam reflexio illa nihil est aliud, apud Locke, quam iterata vel vehementior applicatio animi ad objecta jam sensu percepta; atque ideo hoc unum perficiet, objecta semel sensata vividius percipere, vel ad summum, horum elementa et partes per synthesim et analysim conjungere vel disjungere, quia tamen idcirco sensibilia, contingentia et singularia esse desinant,

vel ad notiones et ideas vere universales et pure intelligibiles mens assurgat. Cujus rei etiam signum est, absurda ratio qua Locke quarumdam idearum universalium existentiam et originem exponit. Unde

2.^o Prob. à posteriori. Juxta lockianum systema, idea substantiæ in nobis exurgit et posita est in collectione qualitatum per sensus perceptarum: ex quo consequitur ex una parte, naturam et notionem substantiæ, a notione qualitatum et accidentium non discerni; ex alia vero, notionem substantiæ spiritualis et insensibilis, ut Dei et angelorum, nullam nos obtinere posse; quandoquidem, substantiæ hujus generis, qualitibus sensibilibus non subjacent. Similiter, infiniti ideam ex agregatione finitorum exurgere autumat Locke, quasi finitum finito additum, infinitam rem unquam posset efficere. Idea quoque causæ, apud ipsum, non nisi successionem phænomenorum præ se fert. Ergo ex ipsa ratione, qua Locke exponit originem et naturam idearum hujusmodi, quæ præcipuæ et fundamentales sunt in universa philosophia, satis superque dignoscitur ipsius systema sensismo prorsus favere, vel potius sensismum includere.

Corollarium.

Ergo vehementer falluntur qui lockianum systema cum theoria ideologica D. Thomæ confundunt. Etenim, dum Locke notiones omnes revera sensibiles facit, simulque intellectum, vel cum sensu confundit, vel ab eo non satis distinguit, vel saltem secundariam tantum partem quoad originem idearum illi concedit, D. Thomas, et ideas sive notiones intellectuales a sensibilibus penitus secernit, et intellectum tanquam facultatem cognoscendi distinctam a sensu eidemque superiorem habet, et potissimum influxum ipsi tribuit quoad existentiam, naturam, et originem idearum, atque totius humanæ cognitionis.

SCHOLIUM.

Quoniam notum satis est, systema Condillac ad sensismum accedere proprius quam lockianum, nihil opus est in eo immorari: quæ enim de theoria Locke nunc diximus, potiori jure et vi theoriæ *sensationis transformatæ* impetunt et evertunt.

ARTICULUS SECUNDUS.

De schola ontologica.

In duas sectas dispesci potest hæc schola. Prima, complectitur philosophos illos, qui rerum ideas in nobis præexistere, sive animæ *innatas* esse docent. Secunda, illos, qui idearum et cognitionis intellectualis originem ex ipso Deo immediate repetunt. Unde sit,

§ I.

Expenditur systema idearum innatarum.

A prima itaque secta exordientes, primus occurrit, universi Ontologismi auctor et parens,

A) *Plato*: qui posteaquam adfirmavit: 1.^o humanas animas ante corpora præexistisse, ac ob scelus nescio quod, in corpora humana esse detrusas, consequenter docuit, eas singulas, dum singulis uniuntur corporibus, secum ferre ideas rerum, quas in priori illo statu obtinebant.

2.^o Hujusmodi ideas, ex unione et propter unionem cum corpore, quasi consopitas evadere, rursus tamen in mente apparere et evigilari, dum objecta, quæ illis respondent, sensibus percipiuntur.

3.^o Sensuum ergo perceptio ac sensibiles representationes, apud Platonem, non causæ, sed occasiones tantum existunt cognitionis intellectualis: atque hæc intellectualis cognitio, non acquisitione idearum vel notionum, sed sola reminiscencia continetur.

Ad Platonis theoriæ ideologicam quam maxime accedit,

B) *Leibnitz*: apud quem: 1.^o anima secum concreatam et ingenitam fert ideam totius universi, ac proinde representationem et perceptionem, saltem confusam, omnium quæ universo continentur, sive, ut ipsemet ait, Deus contulit animæ in creatione ideas confusas et involuntas omnium objectorum universi.

2.^o Hujusmodi ideæ confusæ et involutæ, distinctæ evadunt, explicantur et evolvuntur, quatenus objecta externa

mutationes producant in corpore, cui anima conjuncta manet. Unde in hoc systemate, non secus ac in systemate Platonis, ideæ et notiones rerum in anima præexistunt, et sensus sensibiliaque, sunt meræ occasiones cognitionis intellectualis.

C) *Bonald*: Hujus systema, quod *traditionalismus* vel *exteriorismus* audit, hisce continetur:

1.° Hominis anima ab initio secum fert, si non omnes, at certe quasdam ideas vel notiones, quibus continentur præcipuæ veritates metaphysicæ et morales, ut Dei existentia, animæ libertas, immortalitas, vita futura etc.

2.° Notiones hujusmodi in mente delitescent et quasi informes et obtenebratæ manent, donec ope sermonis externi fœcundatæ et illustratæ, apparent, evolvuntur, perspicuitatem ac distinctionem acquirunt.

3.° Jam vero, humanus sermo, quo hujusmodi mirabilia producantur, ab homine adinveniri nequit, sed a solo Deo.

4.° Ergo nobiliores ac fundamentales ideas, tum morales, tum metaphysicas, a Deo cum anima præaccipimus, ac per societatem humanam, et ope verborum fœcundantur et evolvuntur.

THESIS.

Systema idearum innatarum, sive Platonis, sive Leibnitz, sive Bonald, rejiciendum est.

Prob. quoad singulas partes. Systema platonicum rejiciendum est: 1.° quia totum quantum est, innititur præexistentiæ animarum ante corpora, et detrusione earundem in humanum corpus propter scelus admissum. Quis autem hic non videt, hypothesim pure gratuitam, nullo solido, immo, nec verisimili fundamento suffultam?

2.° Quia, ut merito docet D. Thomas, nulla sufficiens ratio assignari posset unionis animæ eum corpore: quinimo, hæc unio non solum non esset naturalis, sed esset contra naturam; quandoquidem per eam, impedimentum maximum præstaretur cognitioni intellectuali, quæ nobilissima est hominis operatio et perfectio.

Prob. 2.° thesis quoad systema leibnitianum. Nam 1.° eadem offendit pericula et incommoda ac systema Platonis, eum quo omnino congruit et prorsus assimilatur in ra-

tione hypothesis gratuita, quæ nullo solido fundamento nitatur. Quod adeo verum est, ut ipsemet Leibnitz, eam theoriam *lusum* appellarit. «*Neque enim Philosophorum est, subdit de hac sua theoria idearum scribens, rem serio semper agere, qui in fingendis hypothesis, ingenii sui vires experiuntur.*»

2.° Non secus ac theoria Platonis, nullum verum influxum nexumve realem agnoscit inter sensibilem ordinem et intelligibilem; quod, ut dixi, internæ experientiæ adversatur, et quodammodo etiam externæ, qua videmus et scimus, eum qui aliquo sensu caret, privari idcirco scientia omni quæ ad ejusdem phænomena et objecta refertur, ut videre licet in cæco a nativitate, qui scientiam nullam sive ideam coloris et lucis acquirere potest. Quod si dicatur, ideas lucis et coloris præexistere quidem in mente cæci a nativitate, sed manere *involutas et confusas*, quia ipsarum objecta mutationes non producant in corpore, quibus determinetur ipsarum evolutio et distinctio, infero ego 1.°: ergo objectorum actio in sensus sensibiliaque phænomena, ad evolutionem idearum vere concurrunt. Infero 2.°: ergo ideæ ordinis, veritatis, vel saltem angelorum, Dei, cum aliis hujusmodi, nunquam distinctæ evadent, cum indubium sit objecta hujusmodi nihil in sensus agere, nec *mutationes producere in eo corpore quod animæ est conjunctum*, prout requirit Leibnitz, ad evolutionem et distinctionem idearum in anima præexistentium.

Prob. 3.° quoad systema Bonald. Systema hocce, ut ex dictis facile dignoscitur, totum ferme innititur huic hypothesi: humanum, nempe, sermonem, ideas sive notiones objectorum in mente nostra gignere, vel saltem evolvere et quasi ad actum secundum reducere; atqui falsum est humanum sermonem ideas gignere in audientium animis: ergo.

Prob. min. Humanus sermo ideas si in mente gignit, vel id efficit dum verba prolata intelliguntur, vel dum non intelliguntur; atqui neutrum verificatur: ergo. Minor quoad primam partem ex eo aperte constat, quoad verba, dum ore proferuntur, is solum capit et intelligit, qui scit ea tale vel tale objectum significare. Id vero scire nequit, nisi quatenus aliquam notionem istiusmodi objecti præhabeat; nam si nullam ejus habet notitiam, quomodo sciet verba prolata ad ipsum referri ipsumve significare? Ergo dum verbi significa-

tio intelligitur, humanus sermo ideas vel notiones objecti, in audientium mente non gignit sed supponit. Altera minoris pars, apertissime etiam constat quotidiana experientia, qua videmus, verba ejus, qui peregrino ore loquitur, nullam in audientium animis gignere vel excitare ideam objectorum de quibus ille loquitur; ut si quis coram me verba arabica, objectum determinatum significantia ore proferat, non idcirco illius objecti ideam in mente mea gignet, nec excitabit, cum ignorem penitus talia verba ad hoc objectum referri. Ergo etiam dum verba non intelliguntur, humanus sermo ideas vel notiones objectorum gignere aut excitare nequit.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.^o Existunt in mente nostra ideæ universales, ut idea boni, ordinis, justitiæ, substantiæ, etc.; atqui hujusmodi ideæ a sensibus proficisci nequeunt, cum illi ad singularia tantum ferantur: ergo hujusmodi saltem ideas innatas agnoscere oportet.

Resp. Dist. min. A sensibus non proficiscuntur *immediate*, conc. *mediate*, neg. Profecto, sensus cujus perceptio ad singulare et concretum objectum semper fertur, non solum præfatas ideas, sed nec alias minus universales attingere valet, cum universale sit extra sensibilis facultatis objectum. At vero præfata et aliæ ideæ universales, a sensu proficisci possunt dici, non quod per sensus ingrediantur, nec ab illis et per illos efformentur aut percipiantur harum idearum objecta, prout universalialia, sed quia sensus percipit rem in qua vere et realiter inveniuntur perfectiones seu realitates objectivæ per has ideas representatæ.

Obj. 2.^o Existunt in mente quædam principia quæ sunt naturaliter cognita, ut illa: *impossibile est idem simul esse et non esse: bonum est faciendum, malum est vitandum*, cum aliis similibus; atqui hæc principia nequeunt esse naturaliter cognita, nisi ideæ quibus constant per naturam insint, ac proinde sint innatæ: ergo.

Resp. Dist. maj. Existunt, etc. cognita naturaliter, id est, quæ a mente semel in actu posita, statim, et quasi spontaneo motu agnoscuntur, conc. id est, per solam naturam, quasi mens in se præhabeat ideas quibus constant hujusmodi princi-

pia, neg. Cum dicitur prima scientiarum principia, quæ continent veritates necessarias, immutabiles, æternas et immediate evidentes, esse *naturaliter* nota, vel *naturam menti impressa*, non ita id accipiendum est, quasi homo per ipsam naturam et ex sola animæ creatione, secum actu habeat hæc principia, nec ipsas ideas quibus constat; sed tantum innuitur, quod intellectus hominis, quia est et quatenus est participatio luminis increati, et, ut habet D. Thomas, *impressio rationum æternarum, similitudo increatæ Veritatis*, continet *virtute et implicite*, ideas quibus constant præfata principia. Dico autem quod continet *virtute*, non præcise quia eas abstrahere potest ex sensibilibus, notionesque objectivas earumdem percipere; id namque etiam congruit reliquis ideis et notionibus inferioris ordinis et universalitatis, sed quia hujusmodi ideæ, ex. gr. entis, boni, mali, etc. ex ipsa sua natura et universalitate, qua materialia et immaterialia, creata et increata, finita et infinita complectuntur, viciniore sunt ideis divinis, vel rationibus æternis, quarum impressio et participatio est noster intellectus.

Atque ex hoc jam habes quid sivi velit D. Thomas, dum in suis operibus passim hæc aut similia habet: «Aliqua naturaliter cognoscimus (1) ut per se nota, ad quæ omnia alia examinamus.» «Impressio quædam rationum æternarum (2) est in mente nostra, sicut sunt principia naturaliter cognita.» «A veritate intellectus divini exemplariter procedit in intellectum nostrum veritas primorum principiorum, secundum quam de omnibus judicamus.» (3) «Notitiam primorum principiorum ei (menti) impressit, (Deus) quæ sunt quædam seminaria scientiarum» (4).

«Præexistunt in nobis (5), primæ conceptiones intellectus, quæ statim lumine intellectus agentis cognoscuntur, per species a sensibilibus abstractas, sive sint complexa, ut dignita-

(1) *De Verit.* q. 10.^o, art. 8.^o(2) *Ibid.* q. 8.^o, art. 7.^o(3) *Ibid.* q. 4.^o, art. 4.^o(4) *Ibid.* q. 11.^o, art. 3.^o(5) *Ibid.* q. 11.^o, art. 4.^o

tes, sive incompleta, sicut ratio entis, et unius, et hujusmodi, quæ statim intellectus apprehendit.»

SCHOLIUM.

Plato, Leibnitz, Bonald exhibent tres præcipuas phases, quibus systema idearum innatarum continetur. Reliqui philosophorum qui hocce systema ex parte propugnarunt, sub aliquo ex tribus illis collocandi veniunt. Sic, ex. c. ad Platonem referre oportet Cartesium, qui ideas innatas et ipse admittit; quamvis hic, ut sæpe alias, non satis sibi ipsi constans, postquam ideas innatas ab adventitiis et factitiis distinxit, subdit: «Fortasse etiam omnes adventitias possum putare, vel omnes innatas, vel omnes factas.» Sicut Cartesius ex hac parte Platoni affinis est, ita Wolff ad Leibnitz accedit, Beautain et Lamennais ad Bonald, cui etiam quadantenus affinis videtur Ubaghs cum schola Lovaniensi. Præter hos, memorandus Rosmini, qui ideas innatas rejiciens, excipit tamen ideam entis possibilis, quam proprie innatam dicit.

§ II.

Ontologismus proprie dictus expenditur.

A) Ad alteram ontologorum sectam jam progredimur, in qua primus occurrit Mallebranche, cujus idealogica theoria sic se habet:

1.° Hominum mens, omnia in Deo videt; sed tamen quatuor existunt rationes seu modi videndi res: scilicet, per seipsas, per ipsarum ideas, per sensum intimum, per conjecturam.

2.° Atque Deum quidem per seipsum videmus, idque, ut ipsemet ait, *visu immediato et directo*. Siquidem, *ipse solus potest illuminare mentem per propriam substantiam*.

3.° Corpora vero mens percipit ac cognoscit per ipsorum ideas, quæ in Deo existunt.

4.° At mentem nostram et animam, nec per seipsam, nec per ipsius ideam, sed per conscientiam, vel sensum intimum cognoscimus; puras demum intelligentias, solum per conjecturam.

Gioberti quoque, in exponenda idearum origine scholæ ontologicæ adhæret.

1.° Duplicem, ut supra de ratione agentes, innuimus, distinguit Gioberti cogitationem, seu mentis manifestationem: quarum prima est immediata et directa, ob quam rem *intuitio* nuncupari potest; altera vero est mediata et reflexa, qua mens supra priorem redit, ipsius objectum quasi distinctius et perfectius penetrando, unde et *reflexio* apud ipsum nuncupatur.

2.° Cogitatio hæc reflexa, exerceri nequit absque adjutorio verborum, quæ proinde sunt instrumenta necessaria ad cognitionem scientificam constituendam et evolvendam.

3.° Prior vero cogitatio sive primitivus *intuitus* mentis, menti congenitus est, ejusque objectum est *Ideale-Reale*, id est, verum absolutum et æternum, ac proinde Deus ipse.

4.° Porro, quoniam Ens absolutum, quod est perpetuo objectum *intuitus*, a mente attingitur prout in se est, necesse est ut attingatur tanquam actu creans res finitas, a se distinctas. Ex quo consequitur, quod illa priori *intuitione*, quæ mentem perpetuo ab initio comitatur, tria simul attinguntur, videlicet: 1.° Ens absolutum et æternum, quod ex se et in seipso existit: 2.° libera creatio, qua extra exit ac aliis communicatur: 3.° res finitæ, quæ ex vi hujus creationis existentiam obtinent.

5.° Hæc autem tria in Deo ipso simul videmus et contemplamur, dum ejus actionem creatricem intuemur. Ergo hæc propositio: *Ens creat existentias*, est universæ scientiæ fundamentum ac synthesis, atque idealis formula ad quam revocatur, et qua continetur integra cognitio humana.

Schelling: Merito etiam revocari potest ad hanc scholæ ontologicæ sectam; quandoquidem, idearum et cognitionis humanæ originem ducit ex *intuitione divina*, non secus ac Mallebranche et Gioberti. Docet ille

1.° Humanæ cognitionis realitatem, non in subjecto, ut Fichte voluit, sed in objecto esse quærendam.

2.° Hoc autem objectum, quod simul est principium unde omnis realitas emergit, est *Ens absolutum*, in quo subjectum et objectum, res et idea, existentia et cognitio, spiritus et materia, unum idemque sunt.

3.º Ad hoc porro *absolutum Ens*, extra quod nihil aliud reale existit, et quod constituit unicam, veram et realem substantiam, assurgimus per quamdam *intuitionem intellectualem*, quæ primitiva est et transcendentalis in mente, quæque aciem conscientiæ fugit et antecedit.

THESIS.

Systema ontologica nunc exposita, sive intuitionis divina, erroribus periculisque scatent ac prorsus sunt rejicienda.

Probatur quoad singula.

1.º Si Deus a nobis videretur in seipso, *idque visu immediato et directo*, ut Mallebranche vult, beatissimiles essemus, quia non *per speculum et in ænigmate*, sed *facie ad faciem*, ipsum viderimus, ut Augustinus cum Apostolo loquitur, præsertim, cum Mallebranche fateatur, Deum menti *sese aperire*, eamque *illuminare per propriam substantiam*. Id autem non tantum sensui communi, sed experientiæ et rationi adversatur; quandoquidem, experimur cognitionem, quam de Deo in hac vita adsequimur, valde imperfectam esse, et non per *immediatum et directum* intuitum haberi, sed per discursum et ratiocinium a visibilibus hisce ad invisibilia Dei progrediendo. His adde, mentem nostram, quò ad superiora et invisibilia contemplanda magis elevatur, eo magis a sensibilibus abstrahi. Cum ergo Deus in se visus, sit ultimus terminus quo mens assurgere valet, ad ejusmodi visionem nonnisi per totalem a sensibilibus abstractionem et separationem, quæ post mortem erit, valet pertingere.

2.º Si corpora in Deo videremus, perfectissimam ipsorum notitiam et scientiam haberemus, quod ipsemet fatetur, dum scribit: «In Deo et per ideas a nobis conspiciuntur corpora cum suis proprietatibus; atque hinc est, quod cognitio, quam de illis habemus, sit perfectissima.» Jam vero, corporum cognitionem valde imperfectam nobis adesse, nemo est qui nesciat.

3.º Denique, ut alia omittam, systema hocce, sibi non constat ac contradictionibus scatet: 1.º dum visionem corporum in Deo adstruit, rejiciendo simul visionem mentis, vel animæ, cum tamen illa plus a Deo distent quam anima: 2.º dum corporum visionem in Deo asserens, postea docet

nos de ipsorum existentia, nonnisi per revelationem conscientios certo reddi posse: 3.º dum postquam adservit cognitionem corporum in nobis *perfectissimam* esse, postea profitetur, difficile esse scire num materia, alia attributa habeat præter extensionem.

Gioberti systema, æqualia vel majora offendit incommoda. Atque 1.º quidem gratis omnino confingitur primitiva illa *intuitio*, qua mens Deum, prout actu creat existentias seu res finitas, intuetur. Nam si Gioberti ipse excipiatur, nemo hominum, quod ego sciam, istam intuitionem in conscientia, vel per conscientiam percepit, nec minimum ejusdem vestigium invenit. Quinimo, ex conscientiæ testimonio, potius demonstratur nullam hujusmodi intuitionem existere.

2.º Ad pantheismum recta via pergit, saltem si auctoris verba non mens perpendantur. Ipse namque centies supponit et asserit, res creatas nullam intelligibilitatem in se habere. Cum ergo intelligibilitas rerum, cum earundem realitate unum idemque sit a parte rei, planum erit colligere, finitas existentias et creatas substantias omni realitate destitui; quandoquidem, ex Gioberti, omni destituuntur propria intelligibilitate. Itaque, si indubium est, res eatenus cognosci quatenus sunt, res quæ in seipsis non habebunt id quo intelligibiles reddantur, nec etiam in seipsis habebunt id quo *realia entia* sunt, ac proinde non vera entia, nec vere et reales substantiæ, sed phænomena tantum et modificationes erunt Entis absoluti et unice substantiæ. Quæ periculosa pantheismi consecutio, efflorescit quoque ex aliis auctoris verbis et sententiis, ac inter alia, dum phænomenorum productionem, *veram creationem* appellari posse, scribit et contendit. Dixi autem *si auctoris verba non mens perpendantur*; nam revera pantheismus a Gioberti mente et intentione penitus exulare videbitur, cuicumque ejus opera perlegenti.

Rejiciendum similiter systema schellingianum: 1.º quia *intuitio* illa intellectualis, cui totum systema superstruitur et innititur, ipso Schelling concedente, operationem omnem conscientiæ antecedit, elabatur et fugit; ex quo necessario et evidenter consequitur, ipsam gratis confictam esse, ac integrum proinde systema solum nisi hypothesi omnino gratuita.

2.º Quia systema hocce idealogicum, apertum crudum-

que pantheismum non involvit modo, sed exprimit et tuetur. Etenim, ut vidimus, nullam proprie dictam substantiam, præter Deum, admittit, qui etiam simul est. Ens absolutum, in quo subjectum cogitans et objectum cogitatum, ordo realis et idealis, spiritus et materia, unum idemque sunt.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Obj. 1.^o pro systemate mallebranchiano. Deus immediate conjungitur menti humanæ, ipsique intime præsens est; unde et D. Augustinus dicit, quod «inter mentem nostram et veritatem, id est, lucem interiorem, per quam illum intelligimus, nulla interposita creatura est:» ergo:

Resp. Dist. ant. Deus etc. *in ratione causæ efficientis*, conc. *in ratione objecti*, neg. Deus igitur quatenus causa efficiens, creans et semper conservans mentem nostram, ipsi immediate et per seipsum adest, sicut adest omni creaturæ, cui esse tribuit et conservat. Ast ad cognitionem determinandam requiritur præterea præsentia objectiva rei cognoscendæ, et non sufficit præsentia causalis, imo nec ipsa præsentia *entitativa*. Id videre licet in ipsa nostra mente, quæ sibi ipsi intime præsens quoad essentiam et substantiam, seipsam tamen non percipit donec superveniat præsentia objectiva actu operando et reflectendo. Quod spectat Augustini verba, verum quidem est inter mentem et Deum nullam interponi creaturam, quatenus, nimirum, ipsa mens est participatio quædam immediata intelligentiæ divinæ ac rationum sive idearum æternarum, quæ in Deo continentur. «Ipsam enim lumen intellectuale quod est in nobis, ait D. Thomas D. Augustino continens (1), nihil est aliud quam quædam participata similitudo luminis increati, in quo continentur rationes æternæ.»

Objic. 2.^o Mente concipimus infinitum; sed nulla creata res infinitum repræsentare potest: ergo Deus, utpote infinitus, per seipsum solum repræsentatur ac cognoscitur.

Resp. Dist. min. Nulla creata res etc. *adequate et per-*

(1) 1.^o P., q. 84.^o, art. 3.^o

fecte, conc. inadequate et imperfecta ratione, neg. Nos Deum cognoscere ut ens infinitum, indubium est; ex quo facto jam consequitur, ipsum aliqua ratione per finitam rem posse repræsentari. Etenim, etiamsi daremus nullam existere in mente ideam, qua Deus repræsentetur, proculdubio ipsa perceptio qua Deum attingimus, ipsum repræsentat.

Objic. 3.^o pro systemate Gioberti. Mentis operatio, et ordo cognoscendi, debent respondere realitati objectorum; atqui objecta cognita sic se habent quod ipsorum realitas ex creatione procedit, ac posterior est realitate Dei: ergo etiam cognitio incipere debet a Deo et creatione.

Resp. Dist. maj. Debent respondere realitati objectorum *per conformitatem seu adæquationem cum ipsa*, conc. *quoad modum et ordinem quem dicunt ad existentiam*, neg. Verum quidem est, mentis cognitionem respondere debere ipsi realitati objectorum per adæquationem ad ipsa; namque eatenus quælibet cognitio vera erit, quatenus per ipsam et ex ipsa mens objecto cognito æqualis redditur, ipsum percipiendo, prout in seipso est. Quapropter egregie scripsit D. Thomas, veritatem mentis seu cognitionis, in adæquatione intellectus cum re cognita, positam esse. Ast vero minime necessum est, quod idem sit ordo vel processus mentis in cognoscendo, in rerum in existendo. Quinimo, ut in pluribus et generatim loquendo, potius dicendum esset, illud quod ordine naturæ et existentia posterius est, esse prius quoad cognitionis ordinem. Sic, prius finita entia et creaturas quam Creatorem percipimus, si sensui intimo fides habetur: sic, prius phænomena quam substantiam; prius effectus quam ipsorum naturales causas percipimus.

Objic. 4.^o cum eodem Gioberti. Si semel admittatur hocce systema, mirus concentus invenietur inter scientiam humanam et revelationem divinam, inter philosophiam ac Religionem catholicam; siquidem, divina revelatio ex Deo ipso et rerum creatione initium sumit: ergo.

Resp. Dist. ant. Invenietur mirus concentus *apparens*, trans., concentus *verus et realis*, neg. Quælibet harmoniam Gioberti excogitare et obtrudere velit inter relationis processum ac proprii systematis idealem formulam *Ens creat existentias*, inconcussum semper erit, hunc harmonicum concentum, si existit, apparentem tantum, non realem ac ve-

rum esse posse: 1.º quia hocce systema, ut vidimus, viam sternit pantheismo, a quo divina revelatio potissimum abhorret: 2.º quia si revelationis verba et sententiam amplectimur, inficiandum nobis est, Deum posse intuitione cognosci ab homine, dum mortalem vitam agit: 3.º quia ex eadem revelatione habemus, nos finitas rerum naturas non in earum creatione, vel in Deo, intueri aut cognoscere, sed potius Deum et creationem, ex creaturis et per creaturas agnoscere. *Invisibilia, namque, Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque virtus ejus et divinitas.*

Ex hucusque disputatis facile perspicies, ontologicum systema intuitionis divinæ, tres gradus, vel phases obtinere, non secus ac supra adnotavimus circa systema ontologicum idearum innatarum. Atque Mallebranche, Gioberti, et Schelling, tres illas manifestationes seu evolutiones systematis intuitionis divinæ exprimunt, ad quos proinde revocare licet reliquos philosophos, qui ad præfatum systema magis, vel minus accedunt, inter quos connumerandos Plotinus cum universa schola neoplatonica, Jordanus Bruno, ac omnes ferme pantheismi propugnatores. (1)

ARTICULUS TERTIUS.

De schola psychologica.

Scholam psychologicam, eam nunc dico, quæ assertit ideas omnes integramque hominis cognitionem, ex subjecto ipso cogitante profluere. Quæ res, si cui, maxime Fichte congruit, cujus theoria ideologica ad sequentia breviter revocari potest.

1.º Initium, fundamentum, ac ultima perfectio scientiæ

(1) Circa integrum articulum consule *Estudios etc.*, lib. 4.º, cap. 6.º, 7.º et 8.º et lib. 5.º passim.

et cognitionis humanæ, in *ego* quaerendum ac constituendum est.

2.º Sed *ego* dupliciter potest considerari: 1.º prout includit et exprimit manifestationem singularem ac determinatam conscientiæ, quod constituit et dicitur *ego empiricum*: 2.º quatenus ab omni elemento tam subjectivo quam objectivo abstrahitur ac separatur, ac proinde resultat pura cogitatio, nullam subjectum, nec objectum exprimens: atque hac ratione constituitur *ego purum*.

3.º *Ego purum* libera ac infinita activitate præditum existit, ex qua emergit cognitio mundi, Dei ac ipsius animæ, immo et realitas quæ eisdem congruit; etenim hujusmodi omnia, existentiam accipiunt seu *ponuntur*, quatenus cognoscuntur per *ego*.

4.º Itaque, dum *ego purum*, seipsum cognoscit, vel considerat tanquam subjectum cogitationis, seipsum *ponit*, id est, existentiam accipit anima cogitans, et constituitur *ego empiricum*. Dum idem *ego purum*, se cognoscit ac *ponit* tanquam a subjecto cogitante distinctum, efformat existentiam mundi, qui quoad rem, nihil est aliud quam ipsum *ego*, quatenus seipsum percipit tanquam *non ego*.

5.º Omnis ergo realitas, sive mundi, sive ipsius animæ, sive Dei, est realitas pure phænomenalis; anima enim, mundus, et Deus, nihil sunt aliud quam *ego purum* diversimode consideratum, nullaque res habet aliam realitatem, quam quæ ipsi potest tribui per cogitationem.

THESIS.

Theoria ideologia Fichte absurdis et impietatibus scætel.

Prob. 1.º Hæc theoria, tota innititur, hypothese cogitationis puræ, id est, cogitationis existentis absque subjecto cogitante, et absque objecto cogitato. Quod quam sit absurdum, nemo est qui non videat; cogitatio namque, nec concipi quidem potest ut realis, nisi simul existat *aliquis qui cogitet*, et *aliquid quod cogitetur*.

2.º Supponit cogitationem seu cognitionem hominis esse causam efficientem seu producentem res cognitatas, idque ipsa cognitione, quod solius Dei proprium est; proinde, divini-

tatem homini non minori absurditate quam impietate tribuit.

3.^o Cum, juxta hocce systema, anima *ponatur* et existat per cogitationem, sequitur cogitationem existere ante animam quæ cogitat. Similiter, in eo systemate, Deus non solum *ponitur* vel accipit existentiam incipiendo esse, quod impium est et insanum, sed præterea existit per cogitationem, qua *ego* seipsum percipit tanquam causam omnis cogitationis; ac proinde Deus, nihil est aliud quam modificatio quædam seu modus essendi *et ego*; quod profecto absurditatem ac impietatem auget.

4.^o Denique, Fichte pugnantia loquitur, et sibi contradicit in suo systemate, quod pantheismum simul ac nihilismum continet. Pantheismum quidem, quia anima, mundus, et Deus ipse, phenomenalem tantum realitatem habent, si quam habent; nam unum idemque sunt cum *ego puro*. Nihilismum vero, quia cum ego purum, cum quo identificantur anima, mundus et Deus, constituatur per cogitationem puram ab omni subjecto et objecto præcisam, quæ mera est mentis abstractio, cui nihil respondet in rerum natura, sequitur *et ego purum*, nullam realitatem veram et substantialem involvere; ac proinde nihil revera existere, sed omnia quæ cogitamus, vel cognoscimus, ipsamque *cogitationem puram*, in somnio quodam posita esse. Quod ipsemet Fichte concedere non veretur, dum scribit: «Me circum realitas inconditum somnium conversa est... Et sane, hujusmodi somnium, intuitio est et cogitatio.»

ARTICULUS QUARTUS.

De aliis systematibus ideologicis.

Quoniam existunt ideologica quædam systemata, quæ ad nullam ex perpensis scholis strito jure pertinent, sed aliquid ex omnibus mutuatur, ea breviter hic expendere libet, priusquam veram idearum originem exponamus.

A) Inter hæc systemata primum locum vindicamus ei quod *repræsentationis sensibilis* nuncupari potest, quodque hisce summam continetur.

1.^o Intellectus hominis, ex ipsa sua natura, est facultas

quædam vim obtinens ad percipienda objecta, vel insensibilia et pure intelligibilia, vel sensibilia ad instar insensibilium.

2.^o Hæc autem facultas ad actum secundum non reducitur, vel actu non operatur, nisi objecto applicetur; nihil etenim mente intelligitur, nisi objectum percipiendum aliqua ratione intellectui præsens fiat.

3.^o Ast ad præsentiam istam seu unionem intelligibilem objecti cum intellectu, sufficit præsentia objecti in sensu et per sensum, sive id fiat quatenus ipsa sensatio objectum reddit præsens intellectui, ut quidam volunt; sive quatenus intellectus objectum contuetur et percipit in imagine sive specie sensibili in imaginatione contenta, ut docent alii. (1)

Hanc theoriam ideologicam, quam Balmes, Liberatore cum aliis recentioribus amplectuntur et tuentur, in scenam litterariam omnium primus fortasse induxit Gassendi, hæc inter alia scribens: «Quo momento, phantasia percussa speciem expressam elicit, imaginemve seu similitudinem rei, quæ in sensum incurrerit..., eodem momento, intellectus ob intimam sui præsentiam cohesionemque cum phantasia, rem eandem contuetur.» Cæterum, hæc theoria, si tertiam assertionem excipias, apprime congruit, quoad reliqua omnia, cum ea quam postea exponemus. Interim sit,

THESIS.

Systema repræsentationis sensibilis rejiciendum est quoad eam partem, qua asserit intellectum, suum objectum percipere immediate in sensu, vel repræsentatione sensibili.

Prob. Nihil actu per intellectum percipi potest, nisi quatenus est actu intelligibile; prius est enim, saltem natura, esse intelligibile quam intelligi, sicut prius est corpus esse visibile quam quod actu videatur; atqui res prout existunt

(1) Etenim, Liberatore, qui prius species sensibiles rejicere videtur, easdem in posterioribus editionibus, aliquo sensu admittit. At species impressas vel intelligibiles, ab intellectu agente elaboratas, rejicit.

in sensu vel prout in sensatione continentur et representantur, intelligibiles actu non sunt: ergo. Maj. ex se patet. Prob. min. Fatentibus omnibus philosophis, sicut intelligibilitas primaria, remota et fundamentalis, constituitur per realitatem; nam in tantum res intelligi potest in quantum aliquid reale est, ita intelligibilitas proxima et immediata rei, constituitur per universalitatem; objectum namque intellectus est universale: sed res, prout in sensu vel sensatione continentur et representantur, universalitate privantur; quinimo, apud omnes, quidquid sensu percipitur et representatur semper est singulare: ergo res, prout sensu continentur et representantur, intelligibilitate actuali non gaudent. Ergo prout sensu continentur et representantur, immediate attingi et percipi actu nequeunt per intellectum. Ergo, si non tempore, at saltem naturæ ordine, actualis perceptio seu cognitio intelligibilis objecti, sensu vel imaginatione contenti et representati, necessario exigit ac præsupponit aliquam causam, cujuscunque tandem naturæ ea sit, quæ rem sensatione, vel imaginatione contentam et representatam, singularitate exuat et universalem reddat.

B) Ad intermedia systemata, revocamus etiam theoriam ideologicam Kant, cujus doctrina, quamvis postremo in scepticismum et idealismum desinat, commune aliquid habet cum schola empirica, cum ontologica, ac etiam cum theoriam D. Thomæ. Atque ab hoc incipiendo:

a) Kant cum D. Thoma congruit: 1.º quatenus ordinem sensibilem ab ordine intelligibili, facultatem sentiendi a facultate intelligendi prorsus distinguit: 2.º quatenus conceptus seu notiones rerum activitati intellectus tribuit, si hoc ita accipiatur, quod notio quam de objecto efformat intellectus intelligendo, cujus ope intra mentem continentur et representatur objectum cognitum, realiter distinguatur ab ipso objecto cognito: verbo: quod *idea expressa*, quæ est quasi terminus internus intellectionis, distinguatur ab ipso objecto cognito: 3.º quatenus docet, conceptus esse quasi elementa judicii formati, actualis, expliciti: 4.º quatenus statuit, sensibilitatem, materiam ministrare cognitioni intellectus puri, quamvis non eodem sensu ac D. Thomas id accipiat vel explicet.

Attamen, ea in quibus a D. Thoma recedit, numero plu-

ra ac graviora sunt, ut utriusque theoriam inspicienti planum fiet.

b) Ad scholam ontologicam accedit, dum docet, formas spatii, temporis, quantitatis, qualitatis, etc. tanquam formas *a priori*, sive sensibilitatis, sive intellectus, habendas esse. Id namque, quid aliud est in rei veritate, nisi adstruere, ipsarum præexistentiam in mente, ac proinde ideas innatas?

c) Cum schola empirica illud habet commune: 1.º quod supponat, quamcumque hominis cognitionem, a sensibus, quoad materiam, proficisci: 2.º quod statuatur realitatem objectivam rerum pure spiritualium et insensibilium, ut est Deus, certo a nobis cognosci non posse. Quin etiam longius quam sensistæ progreditur, dum docet non scire per certitudinem non posse, subjectum in nobis cogitans, esse veram substantiam et non phænomenon.

C) Cousin systema quoque, ex una parte cum schola psychologica congruit, ex alia vero, cum ontologica. Siquidem

1.º Docet hominem in propria conscientia, seu in *eo ego*, continere et detegere tres fundamentales ideas, ex quibus reliquæ omnes promanant, finitum, nempe, infinitum, ac inter utrumque relationem seu nexum.

2.º Duplex, apud ipsum, existit manifestatio activitatis intellectualis: una *spontanea*, altera *reflexa*: atque per spontaneam, tria illa cognitionis humanæ elementa contuetur seu percipit confuse, quæ postea per reflexionem distinctius ac clarius agnoscit. Quæ doctrinæ, affinitatem habet ex hac parte, cum systemate Gioberti.

3.º Ratio humana, ipsa est ratio divina singulis hominibus sese manifestans; et homo, veritates absolutas et necessarias in illa Ratione impersonali et universali, quæ sese omnibus hominibus communicat, sed quæ nulli est propria, perspicit (1). Ubi vides, hanc doctrinam, partim cum pantheismo, partim cum theoriam mallebranchiana convenire.

(1) Cæterum, hæc habentur tanquam præcipua et magis sibi constantia capita theoriam cousinianæ. Siquidem, ut merito edixit Balmes, in scriptis operibus hujus philosophi, quidquid volueris, invenies. Invenies pantheismam et ejus reprobationem: invenies

CAPUT TERTIUM.

DE VERA IDEARUM ORIGINE.

Præcipua philosophorum systemata circa idearum et humanæ cognitionis naturam et originem, hucusque expendimus et confutavimus. Superest nunc exponere, quid veri vel saltem vero similis nobis in quæstione perdifficili videatur. Quod, ut perspicue perficiatur, ea quæ in antecessum enucleata, cum hac quæstione nexum habent eique lucem affundunt, prius in mentem revocare oportet, ea simul evolvendo; deinde, ipsa idearum origo ad prædictorum normam, exponetur.

ARTICULUS PRIMUS.

Prænotiones pro vera idearum origine exponenda.

1.º Hominis intellectus vel ratio, et perfectissima facultas est, et simul maximæ imperfectioni subicitur. *Perfectissima* est facultas, quatenus est facultas *intelligendi*: ex hoc namque, tum quasilibet sentiendi facultates in immensum superat, tum amplissima capacitate objectiva donatur, per quam finita et infinita, corporalia et spiritualia, realia et possibilia, omnia demum quæ sub entis ratione continentur, attingere et percipere valet. Unde hæc ex parte, perfectibilitate quadam indefinita gaudet, et ad Dei ipsius naturam accedit, ut merito idcirco dixerit D. Thomas, quod hominis intelligentia nihil sit aliud quam *impressio quædam Veritatis Primæ; participata similitudo Luminis increati in quo continentur rationes æternæ.*

Christianismum et negationem revelationis: invenies creationem liberam, et creationem necessariam: invenies multiplicitatem substantiarum, et simul ejusdem unitatem absolutam: invenies psychologismum Fichte, et ontologismum Platonis et Mallebranche: invenies demum sexcenta alia, quæ copulari et conjungi proculdubio non amant.

At ex altera parte, imperfectioni maximæ subicitur, tum quatenus initialiter nullam rerum ideam vel notionem in se habet; tum quatenus nullam cognitionem ex se sola elicere potest, sed indiget per sensus excitari et ad actum reduci; tum quatenus adhuc post excitatam ipsius activitatem, præfata objecta non intelligit, nisi per temporis longam successionem, nec sine maximo labore, nec minori difficultate; tum denique, quatenus non per simplicem intuitionem rerum, ut Deus, et angeli, sed, ut plurimum, per abstractas, successivas et multiplices ratiocinationes, ejusdem activitatis evolvitur, vis perficitur, et veritatem paulatim nanciscitur. Quod, uno verbo profundissimo, pro more suo, complexus est D. Thomas dum scripsit, ipsam esse *puram potentiam* in ordine intelligibili.

2.º Ast vero, quantumvis hominis intellectus pura potentia sit, sensu nunc exposito et quoad *receptivitatem* universalem quam sibi vindicat, vera tamen facultas seu virtus activa simul est; idque, non solum quatenus et quia intellectualis cognitio, quæ ab ipso elicitur et profunditur, vera est ac realis *actio*, sed etiam quatenus in representationes sensibus contentas agit. Nam quoniam intellectus proprium objectum est universale, et quoniam simul in sensibus, ex quibus præfatum objectum intellectus desumit, primo et quoad plurimas cognitiones, continetur tantum et representatur ut singulare, actio intelligendi sive percipiendi prærequirit et præsupponit alteram ipsius intellectus actionem, qua objectum ex representatione singulari ad representationem universalem reduceatur, fiatque proinde *intelligibile actu*, quod prius solum erat intelligibile in potentia propter singularitatem. Atque intellectus, quatenus id conficit quoad objecta sensibilia, dicitur intellectus agens, diciturque abstrahere ideas sive species intelligibiles a phantasmatis.

3.º Nec imaginari oportet, sicut quidam imaginatos fuisse et imaginari videntur, istam specierum abstractionem ita perfici, quasi actio intellectus agentis tempore præcedat actionem intellectus possibilis, id est, perceptionem objecti, ita ut intellectus agens prius abstrahat species sive ideas *impressas*, quæ recipiantur et conserventur in intellectu possibili. Explodenda et rejicienda penitus hæc imaginatio, firmiterque tenendum, abstractionem speciei intelligibilis fieri

eodem instanti, quo perceptio ipsa seu cognitio objecti in sensu vel phantasia representati; adeo ut actio intellectus agentis coexistat et simultanea sit cum actione intellectus possibilis. Quapropter, ex eisdem resultat unus actus perfectus, ut merito habet D. Thomas.

4.^o Duplex distinguenda est mentis abstractio: prima est abstractio intellectus agentis, qua objecta sensibilia et realitates sive rationes objectivæ in eisdem contentæ, intellectui, sub forma universali, obijciuntur et representantur. Sic, dum ex imaginatione hujus hominis, desumo rationem communem hominis, quæ in illa representatione sensibili explicite et quasi immediate continetur; vel rationes effectus, substantiæ, entis, quæ in eadem involutæ, et inclusæ reperiuntur, erit abstractio intellectus agentis: quæ proinde, ad ea tantum objecta referri potest, quæ in sensuum representationibus, explicite, vel implicite, continentur.

Altera abstractio est intellectus possibilis, qua dum objectum actu cognoscit, vel ipsum per analysim et præcisionem in varios conceptus dividit, vel varias ideas seu notiones rerum per synthesim quamdam conjungendo, notionem et representationem intelligibilem objecti alicujus acquirit; quod postremum, præsertim locum habet respectu objectorum, quorum non sunt phantasmata, nec sensibus ullo modo percipiuntur. Sic, dum ideam entis cum idea infiniti conjungo, notionem et aliqualem representationem intelligibilem Dei mihi efformo, quamvis Deus sensu non percipiatur nec in phantasia præcontineatur.

5.^o Recolenda distinctio inter ideas impressas, quæ nihil aliud sunt quam illud quo res percipienda intellectui conjungitur ac præsens redditur, et ideas expressas, quæ sunt conceptus seu notiones quas de rebus illis mens efformat dum eas cognoscit; per quas proinde intus exprimitur, et intellectui præsens fit objectum quatenus cognitum vel intellectu perceptum.

6.^o Quadruplex vero idearum genus distinguere oportet. Ad primum revocantur illæ, quæ referuntur ad objecta corporea et sensibilia, prout a singularitatis vel etiam sensibilitatis conditionibus abstracta, ut idea hominis, equi, stelle, etc. Quas, claritatis gratia, ideas primariæ abstractionis, in sequentibus nominabo.

Ad secundum genus pertinent illæ, quæ respiciunt objecta, vel objectivas realitates, quæ in rebus corporeis et sensibilibus revera inclusæ et involutæ reperiuntur, qui tamen ipsis circumscribantur, quia locum habere possunt et existere absque materia et sensibilitate, ut idea substantiæ, causæ, effectus, boni, mali, etc. Has in sequentibus, nominabo ideas pure intelligibiles.

Tertio loco veniunt ideæ, quæ ad substantias pure spirituales referuntur, ut idea Dei, angeli, animæ rationalis; quas ideas pure spirituales nuncupabo, ad confusionem vitandam.

Quartum denique genus constituitur per solam ideam entis, quæ quasi forma quædam universalis mentis, ac conditio seu lex cui subjicitur fundamentaliter ejus activitas, habenda est.

Quibus semel constitutis, si ea invicem conferantur et probe capiantur, cuilibet facillimum erit agnoscere ac percipere veram idearum et cognitionis intellectualis originem, cujus hæc est summa.

ARTICULUS SECUNDUS.

Vera idearum origo summarim exponitur.

1.^o Si de ideis expressis sermo sit, omnes illæ, cujuscumque sint naturæ, ex intellectu possibili originem ducunt. Nam cum sint notiones seu conceptiones, quas de rebus sibi intellectus efformat, dum eas cognoscit, sunt terminus internus ac quasi effectus et productum ipsius actionis intelligendi, quæ per intellectum possibilem perficitur.

2.^o Si autem de impressis sermo sit, sumendo nunc ideam impressam pro re illa, quævis illa sit, quæ objectum cognoscendum per intellectum ipsi intellectui conjungit ac præsens efficit presentia intelligibili, tunc si de ideis primæ abstractionis agatur, originem ducunt ex intellectu agente, qui eas ex representationibus sensibilibus imaginationis abstrahit. Si vero agatur de ideis pure intelligibilibus, ab intellectu agente et possibili simul procedunt: ab intellectu agente, quatenus eadem vi eodemque lumine, quibus ideam primæ abstractionis producit, in ipsa quasi apparere facit rationes

objectivas magis universales, boni, mali, causæ etc., eo quod hujusmodi universaliore idea, quæ elementa sunt veritatum necessariorum et immutabilium, implicite, virtualiter, et per affinitatem quamdam, præcontinentur in intellectu agente, quatenus hic, ut bene habet D. Thomas, est virtus quæ a Supremo Intellectu participatur: «participata similitudo Luminis increati in quo continentur rationes æternæ.» Ab intellectu vero possibili, quatenus hic, postquam semel objectum sensibile determinatum ex. gr. hominem percepit, ac proinde confuse simul percepit rationes, substantiæ, existentis, causæ, boni, etc., in illo objecto contentas et involutas, potest per successivas operationes, ac perceptiones præcisivas et abstractivas, prælatas ideas singulatim sibi objicere, realitates ipsis respondentem sigillatim cognoscendo, ac voluntarie, ut ita dicam, ex una parte objecti ad aliam ejusdem distinctius cognoscendam sese movendo et applicando.

5.º Quoad ideas *pure spirituales*, distinctione opus est. Nam si Deus menti obversetur sub ratione entis necessarii aut infiniti, ejus idea ex synthesisi, qua intellectus ideam vel necessitatis absolutæ, vel negationis linitum, cum idea entis jungit, efflorescit; unde hujusmodi Dei representatio intelligibilis, potius per intellectum possibilem quam per agentem perficitur. Si autem Deus sub ratione Causæ primæ menti representetur, ejus idea exorditur eadem ratione ac idea pure intelligibilis. Si vero de angelo agatur, ejus idea ex analogia originem ducit, quatenus substantia et actus animæ nostræ, imperfecte representant angelos; unde dici potest, quod id quod est idea expressa vel notio respectu animæ, habet locum ideæ impressæ respectu angeli. Tandem, rationalis anima per suos actus et operationes menti representatur, per quorum intuitionem, animæ ipsius substantiam et naturam ratio dignoscit et percipit. Unde dicere oportet, proprie loquendo, nullam dari ideam impressam animæ, sed ejus actus gerere vices speciei intelligibilis, quatenus in eis et per eos, intellectus animam intuetur quodammodo.

4.º Idea entis, ex abstractione intellectus agentis oritur, sed quæ abstractio sit veluti naturalis, spontanea, et prima actio ipsius quatenus participatio est intelligentiæ divinæ, et rationum æternarum. Atque hoc sensu in primis, et deinde quia sufficit quælibet excitatio intellectus per sensum, ut cu-

is ratio intellectui possibili objiciatur, et ab eodem perceptione spontanea et quasi primitiva concipiatur, entis idea, innata *implicite* et in *feri proximo*, dici potest.

5.º Itaque, ideæ omnes intellectuales a sensu oriuntur, duplici generali ratione: 1.º quia nulla in homine existit aut evolvitur intellectualis cognitio, quin prius, saltem prioritate naturæ et ordinis, existat perceptio sensus erga aliquod objectum: 2.º quia, generatim loquendo, cognitio singularium præcedit cognitionem universalium, et quia representationes sensibiles objectorum movent et excitant intellectum, non solum ad hujusmodi objecta sub universali forma percipienda, sed ad detegenda etiam ac percipienda ea quæ in sensibili objecto delitescunt, simulque ejusdem relationes cum aliis objectis. Quo duplici sensu accipiendum est verbum D. Thomæ, dum ait, quod principium humanæ cognitionis est a sensu; et verificatur commune illud effatum: *nihil est in intellectu quin prius fuerit in sensu.*

6.º At nec effatum istud, nec verbum illud veritatem obtinent, si secus accipiantur. Atque in primis, sensus non tanquam efficiens causa idearum habendi sunt; nam hoc ad intellectum spectat; sed solum tanquam causa materialis, vel quasi materialis. Deinde, nec rationem causæ materialis habent quoad ideas omnes. Namque ideæ *primariæ abstractionis*, pendent quidem a sensibilibus representationibus directe et immediate; at *pure intelligibiles*, non nisi mediate, remote et inadæquate: ast vero ideæ *pure spirituales*, præsertim angelorum et animæ, a sensibus non pendent nec procedunt, nisi indirecte et occasionaliter.

7.º Quælibet intellectualis cognitio, ac proinde quælibet idea expressa, vel notio intelligibilis, a sensu pendet *concomitanter*, nempe, quatenus nullam objectum, quantumvis immateriale, percipimus actu aut contemplamur, quin ejusdem phantasma aliquod simul in imaginatione exurgat, ita ut phantasie operatio operationem intellectus puri semper comitetur. Cujus rei si ratio sufficiens quaeratur, duplex fortasse assignari poterit; una *immediata*, quæ est nexus intimus, qui inter facultatem sentiendi et facultatem intelligendi intercedit, simul cum dependentia posterioris à priori in ordine cognitionis. Altera vero quasi *remota* et primitiva, radicatio, nempe, utriusque facultatis in uno et eodem prin-

cipio substantiali, simplici et vitali. Phenomenum hocce psychologicum significare vult D. Thomas, dum docet, impossibile esse, intellectum, secundum vitæ presentis statum quo passibili corpori conjungitur, aliquid intelligere in actu, nisi convertendo se ad phantasmata.


SCHOLIUM GENERALE IN UNIVERSAM IDEALOGIAM.

Præ oculis habere oportet, sententiam illam D. Thomæ qua docet, species sive ideas, quibus cognitio intellectualis perficitur, non esse id *quod* cognoscitur, sed *quo* cognoscitur, majoris momenti esse quam vulgo existimetur. Ex ea namque occluditur via, tum pantheismo, tum idealismo. Nemo sane inficiabitur, intellectionem in nobis non perfici, nisi res cognoscenda menti conjungatur, in ea existat, eamque objective moveat, sui que notitiam simul cum intellectu signat. Jam vero, si hæc omnia objectum immediate per seipsam præstat, facile aperitur via ad stabiliendam identitatem subjecti et objecti; quæ identitas, unum ex præcipuis commentis pantheistici systematis constituit. Quod si in dubium quis vertat, in memoriam revocet doctrinam Plotini et Neoplatonicorum asserentium, mentem humanam identificari cum objecto, ac in seipsa continere sensibilia et intelligibilia; Fichte asserentis subjectum et objectum à *eo ego puro*, minime distingui; Schelling et Hegel similiter docentium, identitatem subjecti cogitantis et objecti cogitati, sive in *Ente absoluto*, sive in *Idea*.

Excludit præterea idealismum præfata doctrina; quoniam sicut huic systemati locus præbetur, dum dicitur nos ideas rerum percipere vel cognoscere, vel ideas esse objectum intellectus, qua loquendi ratione Locke, Mallebranche, Fenelon, Cousin et alii, non raro utuntur, ita e contra, eidem via omnis præcluditur, dum cum D. Thomæ affirmatur, ideas non esse id *quod*, sed id *quo* mens cognoscit; quod est idem ac dicere, cognitionem nostram directam, non ad ideas rerum, sed ad res ipsas per easdem menti representatas, ferri et pertingere, ita ut idea nihil sit aliud quam medium per quod res extra nos posita et existens, præsens redditur præsentia intelligibili sive *intentionali*, ut aiebant Scholastici, intellectui, ipsique conjungitur in ordi-

ne intelligibili. Atque, quod maxime nota, amplecti oportet hanc doctrinam, quævis habeatur opinio circa naturam idearum. Quandoquidem, sive dicas, ideam esse ipsam actionem intellectus, sive repræsentationem sensibilem objecti in phantasia, sive repræsentationem intelligibilem ab utroque distinctam, idealismum difficile vitabis, nisi simul dicas, ideas non esse id *quod*, sed solum id *quo* mens cognoscit, dum agitur de cognitione directa. (1)

(1) Quoad integram idealogiam legesis, *Estudios sobre la Filosof.* cit., lib. 5.º passim.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA

DIRECCIÓN GENERAL DE

LIBER QUARTUS.

METAPHYSICA GENERALIS SEU ONTOLOGIA.

CAPUT PROEMIALE IN UNIVERSAM METAPHYSICAM.

§ I.

Metaphysicæ nomen, origo et notio generalis.

NOMEN suum Metaphysica sortitur ex eo, quod objecta qua *ultra physica* seu *supraphysica*, id est, supra observationem et experientiam sensibilem posita, primario considerat. Hæc quippe scientia, nuncupatur. «Metaphysica, ait D. Thomas (1), in quantum considerat ens et ea quæ consequuntur ipsum; hæc enim *trans physica* inveniuntur in via resolutionis.» Siquidem, quamvis notio aliqua confusa entis ejusque proprietatum et principiorum, præcedat in nobis notionem entium particularium, v. g. hominis, corporum, motus, etc. attamen ad horum notitiam *distinctam* non pertingimus, nisi dum objecta præfata resolvimus in sua ultima elementa et principia, ut sunt rationes *entis, unitatis, essentialis, existentis, substantiæ, causæ*, etc., quæ proprium Metaphysicæ objectum constituunt; unde scite ait D. Thomas, quod ea de quibus agit, *trans physica*, seu post et supra physica, *inveniuntur in via resolutionis.*

(1) *Prolog. in lib. Metaphys.*

Origo autem historica hujus nominis non satis constat, quibusdam adfirmantibus, ab Aristotele ipso præfixum fuisse nomen hocce libris hujusmodi, quæ inter ejus opera reperiuntur; aliis probabilius aientibus, titulum præfatum, vel a Theophrasto Stagiritæ discipulo, in Lyceo successore, ac bibliothecæ hærede; vel ab aliquo ex his qui postea Aristotelis opera, aut digesserunt in ordinem, aut restituerunt, aut commentariis illustravere, impositum fuisse.

Nolio tandem generalis hujus scientiæ, ex nunc dictis facile colligitur et elucescit. Quandoquidem, si circa notionem entis communis ejusque attributa versatur Metaphysica, proculdubio a reliquis scientiis specie, immo vero, et genere distinguitur. Quocirca præ oculis habere oportet; scientias, realiter hominem perficere, realiaque esse entia, proindeque unitati ac diversitati obnoxias esse, sicut et reliqua entia, cum unitas et diversitas omne ens reale consequantur, ut postea ostendemus. Ergo cum certo certius sit, scientiarum quasdam inter se specie aut genere convenire, quasdam vero e contra discriminari, quærere oportet et assignare rationem sufficientem hujus diversitatis et unitatis scientiarum, nisi quis velit effectum sine causa existere.

Jam vero, rei hujus rationem sufficientem aptissime reddit D. Thomas, dum docet, unitatem *specificam* scientiarum repetendam esse ex primis principiis, quibus tanquam propriis quævis utitur: *genericam* vero unitatem, ex gradu aut modo *abstractionis*, quo scientiæ objectum afficitur. Et re quidem vera, si *scientia*, qua talis, nihil est aliud quam deductio rationalis et legitima veritatum quarundam ex primis principiis; seu aliis verbis: evolutio logica et rationalis primorum principiorum, in quibus continentur et exprimentur veritates quædam necessariae, immediate et per se notæ, circa objectum illius scientiæ, primum est colligere. *hanc* scientiam ab *illa* specie discriminari, ex. gr. Geometriam ab Arithmetica, quia prima principia Geometriæ, quæ exprimentur veritates primas et per se notas circa ejusdem objectum, differunt a primis principiis, quæ exprimentur relationes seu veritates necessarias circa objectum Arithmetice. Atque exinde, veritates seu conclusiones ex præfatis principiis per ratiocinium deductæ, quæ scientiam constituunt, inter se etiam necessario discriminantur, sicut ipsa

principia in quibus præcontinentur et ex quibus eruuntur.

Ast, præter diversitatem specificam, superior alia tanquam generica in scientiis est admittenda. *Ecquis* namque in dubium vertat, Ontologiam v. gr. aut Theodiceam, a Geometria magis discriminari quam Opticam aut Arithmeticeam? Igitur, rationem sufficientem unitatis et diversitatis generice desumere oportet ex abstractionis gradu, quem scientia sibi vendicat. Nam scientiarum natura et attributa ex proprio objecto derivantur et pendent, ipsique commensurantur; cum nihil sit aliud scientia quævis, quam cognitio rationalis proprii objecti. At objecti scientifici ratio et præstantia, ex universalitate pendent, derivantur et profluunt; quippe planum est, gradum universalitatis objecti, respondere ac commensurari gradui abstractionis sub quo ab intellectu concipitur: ergo unitas et diversitas generica scientiarum, ex unitate et diversitate abstractionis desumitur.

Ex his jam facile colligitur, triplicem existere genus scientiarum, juxta triplicem gradum abstractionis qua utuntur. Quædam namque ipsarum abstrahunt a *materia singulari* tantum, hoc est, a suo objecto non excludunt, neque materiam, neque etiam qualitates seu affectiones, materiam seu corpus sensibilibus alterantes, ut sunt calor, durities, motus, colores, etc. sed excludunt tantum singularitatem, ut Physica, Medicina, etc. Quædam vero abstrahunt a *materia sensibili*, hoc est, a suo objecto non excludunt materiam, nec extensionem quæ eam afficit; excludunt tamen, non solum singularitatem, ut præcedentes, sed qualitates sensibiles, præter quantitatem, prout contingit in pura Mathesi; etenim Geometria considerat lineam, superficiem, etc. nihil curando utrum calidæ aut frigidæ, duræ aut molles, albæ vel nigre sint. Tandem, sunt aliæ scientiæ; quarum objectum abstrahit non solum a singularitate, sed ab omni prorsus materia, ut Ontologia et Theodicea. Ex hac profundissima solidissimaque D. Thomæ doctrina, de qua apud recentiores etiam ipsos philosophos christianos, vix verbum reperitur.

Colliges 1.º Scientias cunctas ad tria genera posse merito revocari, ita ut primum genus sit earum, quæ abstrahunt a materia singulari; et hæc, *scientiæ physice* nuncupari possent: alterum genus sit earum, quæ abstrahunt a materia sensibili; et *scientiæ mathematicæ* dici possunt: tertium deni-

que genus earum sit, quæ ab omni materia abstrahunt; atque scientiæ metaphysicæ non incongrue appellantur. Unumquodque tamen genus plures ac diversas specie scientias continet.

Colliges 2.º Scientias eas quæ tertium genus constituunt, nobilissimas ex se ac cæteris præstantiores existere; quoniam scientiarum dignitas primaria, ex objecto et objecti universalitate desumitur. Objectum autem harum scientiarum, et nobilissimum est, et maxima potitur universalitate.

§ II.

Metaphysicæ objectum, divisio, nomina.

Objectum itaque Metaphysicæ universim acceptæ, est *ens immateriale*, seu *ens ab omni materia sejunctum*; sive seunctio ista, logica tantum sit et idealis per abstractionem mentis peracta; sive realis, ut in Deo et angelis. Porro, ex hac duplici ratione, qua objectum hujus scientiæ a materia abstractum spectari potest, profluit

Divisio naturalis ac legitima hujus scientiæ in Ontologiam, Cosmologiam, ac Theodiceam. Ens namque immateriale, vel menti objicitur sub communissima ratione entis et proprietatum quæ ipsum committantur, ac rebus omnibus, sive materialibus, sive immaterialibus conveniunt; et tunc exurgit *Ontologia*, quæ de ente in communi ejusque proprietatibus agit: vel in ipsis rebus corporeis et materialibus, rationes quasdam objectivas, ac relationes generales considerat, ita ut corpora et substantias materiales, incorporeo et immateriali quodam modo vestiget; et tunc exurgit *Cosmologia*, quæ de mundo et corporibus, ad normam abstractionis metaphysicæ agit: vel demum entia a materia realiter separata considerat; et tunc exurgit *Pneumatologia*, vel scientia spirituum. Sed quoniam de reliquis spiritibus a materia separatis seu angelis, vix quidpiam naturali ratione scientifice cognosci potest, hæc pars non immerito nominatur *Theodicea*, quæ de Deo scientifice agit.

Nomina idcirco diversa hæc scientia sortitur, pro diversitate officiorum et munerum, quæ in ea spectantur. Nam si spectatur universim et prout tres enumeratas partes complectitur, dicitur *Sapientia*, quatenus inferiores scientias re-

git ipsisque supereminet, et quia, ut habet D. Thomas, *circa maxime intelligibilia versatur*. Dicitur etiam *Prima Philosophia*; tum quatenus aliarum scientiarum veluti fundamentum existit; tum *in quantum primas rerum causas considerat*, ait idem D. Thomas. Sin autem singulæ ejusdem partes accipiuntur, variis similiter denominationibus subest. Siquidem, pars ontologica, *Metaphysica Generalis* congruo nomine jure nuncupatur; ea quippe continet principia universalissima et notiones fundamentales pro cunctis scientiis, ita ut Ontologia sit quasi truncus ex quo aliæ omnes scientiæ, etiam metaphysicæ, ut cosmologia, et theodicea derivantur, succum et robur accipientes. Similiter etiam, pars cosmologica, *Physica Generalis* posset appellari, quatenus de mundo et corporibus, sub ratione universaliori agit. Tandem theodicea, nomina quoque sibi vindicat *Theologiæ Naturalis*, ac *Scientiæ divinæ*. Porro, cosmologia et theodicea simul sumptæ, et prout ab ontologia secernuntur, *Metaphysicam Specialem* constituunt.

Observandum, hodiernos philosophos fere omnes, *Psychologiam* inter Metaphysicæ partes connumerare. Cui sane rei nos minime adsentimur. Quamvis enim ultro fateamur, psychologiam scientiam, quatenus de rationali anima in seipsa agit, ad metaphysicas scientias accedere, simul tamen præ oculis habentes, præcipuam psychologice considerationem versari circa animam corpori conjunctam, et prout est principium facultatum, affectionum et operationum, quæ, aut per corpus, aut non sine corpore in hac vita exercentur, existimamus hujusmodi scientiam, vel ad physicas revocandam, vel potius specialem scientiam a physicis et metaphysicis distinctam constituere.

§ III.

Metaphysicæ ratio et attributa.

Ex prælibatis liquet profecto, hanc philosophiæ partem, scientiam proprie dictam existere; quoniam circa proprium objectum veritates plurimas seu conclusiones evidenter deducit ex primis ac universalissimis principiis. Immo vero, sapientiæ nomen inter naturales scientias tanquam proprium merito sibi vindicat, eo quod, et nobilius habeat objectum,

et universaliora ac firmitiora contineat principia. Atque ex his colligitur quoque

Distinctio Metaphysicæ ab aliis scientiis. Nam quamvis Metaphysica, eo ipso quod de communi ente agit, aliarum scientiarum objecta in se quodammodo complectatur; at ea sub diversa ratione formali attingit, sicut etiam sub diverso abstractionis gradu, diversisque principiis. Verbo: res cunctæ dici quidem possunt *objectum materiale* Metaphysicæ, quatenus hæc de ente ejusque præcipuis speciebus et modis agit, et quatenus etiam res cunctæ, implicite in ratione universalissima entis convolvuntur; at quia has ipsas res attingit, prout subsunt abstractioni a materia, in quo sita est ratio sui *objecti formalis*, ab aliis scientiis penitus seceratur; quippe scientiarum omnium distinctio, non ex materiali, sed ex formali tantum objecto, desumitur.

Speculativam porro esse hanc scientiam prima fronte apparet, cum in speculanda tantum et adipiscenda veritate circa proprium objectum tota consistat. Neque enim aliud metaphysicus, qua talis, quærit, nisi rerum prima principia, et nobilissima objecta, circa quæ scientia hujusmodi versatur, vestigare et cognoscere.

§ IV.

Metaphysicæ dignitas et utilitas.

Dignitas atque præstantia Metaphysicæ satis aperte elucescunt: 1.º quia ejus objectum, utpote universalius et abstractius, objectis aliarum scientiarum supereminet; primaria enim dignitas scientiæ ex dignitate objecti desumitur. Ast vero, objectum Metaphysicæ dignius reliquis proculdubio existit, idque sive spectetur ipsius universalitas, sive res quas speciatim considerat, ut Deum et mundum: 2.º quia ejus principia, verè *prima* sunt, quatenus non solum immediata evidentia donantur, sed ex eisdem quodammodo pendent et derivantur, reliquarum scientiarum axiomata, quapropter: 3.º scientiis aliis præstat quoad certitudinem objectivam, prout ejus objectum ac principia, ex quibus certitudo ad conclusiones derivatur, majori certitudine, necessitate, ac immutabilitate donantur. Ex quibus jure

Infertur, Metaphysicam, primatum *simpliciter* et absolute obtinere inter scientias alias naturales, quamvis Logica et Moralis primarium teneant locum accidentali ratione, seu, ut aiebant Scholastici, *secundum quid*; Logica quidem, quatenus est instrumentum generale et clavis omnium scientiarum; Moralis vero, quatenus ad eam spectat de ultimo hominis fine disserere, viamque ostendere, qua ad summam felicitatem ultimamque perfectionem, homo pertingere valet.

Utilitas demum summa ac necessitas Metaphysicæ, satis constant ex eo ipso quod, ut diximus, ea sit fundamentum, mensura, ac veluti prima regula aliarum scientiarum, quas nemo perfecte adipiscitur nisi Metaphysicam simul calleat. Vehementer itaque falluntur, qui eandem traducunt tanquam quæ nihil in alias influat, aut societati inutilem. Quia in re, experientia et historia, cum ratione ipsa plane consentiunt; videmus enim scientias físicas, ac præsertim morales et politicas, cultui, perfectioni, ac naturæ metaphysicæ adamussim respondere, ita ut dum hæc scientia, aut negligitur, aut erronea pronuntiat, erroribus simul scateant reliquæ scientiæ, maxime vero quæ circa societatem, religionem et hominum mores, versantur.

ONTOLOGIA SEU METAPHYSICA GENERALIS.

Ontologia, quæ *scientia entis in genere* congrue dicitur, *Metaphysica Generalis* nuncupatur etiam, quatenus disserit de notionibus transcendentalibus et universalissimis, quæ non solum inferioribus disciplinis, sed ipsi cosmologiæ ac theologiæ naturali applicantur et lumen affundunt. Quapropter hæc philosophiæ pars, cum tabula generali geographica (*Mapa-Mundi*), aptissime potest comparari. Sicut enim generalis hæc tabula, integrum terrarum orbem summam ac per præcipua capita continet et exhibet, tabulæ vero particulares continent et explicant minutatim hæc ipsa præcipua capita, ita etiam Ontologia entia cuncta scientificè expendit sub quadam universali ratione; scientiæ vero aliæ, ipsæque cosmologia et theologia naturalis, ad entia præfata sigillatim expendenda descendunt. Quod si, ut nunc dixi, error in metaphysicis redundat in scientias alias, potissimum id locum

habet quoad Ontologiam, quæ inter ipsas metaphysicas scientias prima existit, et aliarum radix et fundamentum. Ut ergo cum D. Thoma loquamur, (1) «quia parvus error in principio, magnus est in fine... ens autem et essentia sunt quæ primo in intellectu concipiuntur, ideo primo, ne ex eorum ignorantia errare contingat, ad horum difficultatem aperiendam, dicendum est quid nomine essentia et entis significetur.» Ontologiam igitur quatuor capitibus absolvemus, in quorum primo, disseremus de ente in communi ejusque principiis; in secundo, de entis proprietatibus; in tertio, de entis causis; in quarto, de præcipuis entis speciebus.

CAPUT PRIMUM.

DE ENTE AC EJUSDEM PRINCIPIIS.

ARTICULUS PRIMUS.

De notione entis.

Prænotanda:

1.^o Ens in communi dicitur, id quod habet vel potest habere esse. Ex quo duo colliguntur: 1.^m ens dici vel denominari ab esse, ac proinde juxta modos et significata essendi, esse modos et significata entis: 2.^m ens, sub communissima ratione acceptum, nec ens actu existens, nec ens mere possibile, sed utrumque simul complecti.

2.^o Porro, quia ens denominatur et dicitur ab esse, triplicem significationem obtinet, juxta triplicem significationem esse; quod quandoque significat modum essendi objective tantum in anima cogitante, ut contingit in entibus rationis: quandoque significat nexum aut repugnantiam inter extrema propositionis, sive hæc extrema aliquid reale sint, vel secus, ut in hæc: *cæcitas est malum quoddam*: quandoque significat existentiam realem vel ordinem ad ipsam. Ergo ens communissime acceptum, dispesci debet in ens ratio-

(1) Opus. De ente et essent. Prolog.

nis, ens logicum, ac ens reale. Hocce postremum Ontologia considerat, ipsique adaptatur entis tradita notio qua dicitur, id quod habet vel potest habere esse; etenim esse, sumitur hic pro existentia reali et actuali.

5.^o Est igitur ens veluti concretum quoddam, formam, nempe, existentiam realem, et subjectum ejus, nempe, essentiam, simul significans. Unde nomen ens potest quoque accipi pro essentia sola, ut si dicam: *mundus qui a Deo potest creari diversus ab isto, est ens*: ubi ens pro sola essentia accipitur, facitque hunc sensum: *est res cui non repugnat esse*, tuncque dicitur ens sumi nominaliter. Si vero essentia concipitur prout subest actuali exercitio existendi, tunc dicitur sumi per modum participii verbi *sum es*. Cum ergo loquimur de ente in communi, aut ipsum de aliquo enuntiatur, accipiendum est de ente sumpto nominaliter, seu prout significat essentiam capacem quidem existentia actualis, sed cum præcisione ab hujus exercitio. Quibus prælibatis sit

THESIS 1.^a

Ens, si nominaliter sumitur, constituit prædicatum essentialiter rerum omnium; si vero sumatur per modum participii, non nisi de Deo essentialiter prædicatur.

Prob. 1.^a pars. Ens nominaliter sumptum, significat ipsam essentiam rei cui non repugnat habere existentiam; atqui essentia rei de re prædicatur essentialiter, quippe nihil est magis intimum ac essentialiter rei quam ipsa ejus essentia: ergo.

Prob. 2.^a pars. Quod essentialiter de aliquo prædicatur, necessario et immutabiliter ei inest; quoniam rerum essentia sunt necessaria et omnino immutabiles; atqui necessario et immutabiliter actu existere, soli Deo convenit; quippe solus Deus necessario et a se existit, omnia vero creata, ab ipso recipiunt esse, et producuntur in esse ab alio: ergo.

THESIS 2.^a

Ens, nec est genus logicum, nec contrahitur ad inferiora per differentias logicas, sed per modos exprimendi realitatem et essentias rerum.

Prob. 1.^a par. Genus logicum univoca ratione prædicatur de inferioribus, ita ut ratio communis per nomen genericum significata, æquali modo inferioribus congruat: sic, v. gr. realitas actu significata per nomen *animal*, æquali modo in homine, in leone, bove etc. reperitur. Atque ratio entis ad inferiora non descendit secundum rationem eandem; alio quippe modo et sensu ens dicitur de Deo, qui est ipsum esse essentialiter; et aliter de creaturis, quæ esse ab alio recipiunt et participant: ergo ens de inferioribus univoca non prædicatur, ac proinde genus logicum non constituit.

Prob. 2.^a pars. Differentiæ propriè dictæ, quæ genus logicum contrahunt, debent esse extra conceptum seu rationem communem generis contrahendi et determinandi, sicut rationalitas, ex. c. est extra conceptum animalis, cum conceptus animalis, sit omnino independens a conceptu rationalis; quinimmo, animal sine rationalitate existere possit. Atqui nulla differentia invenitur extra rationem et conceptum entis: siquidem, quæcumque assignetur differentia, vel est nihil, vel es aliquid reale: si primum, nequit ens contrahere aut determinare: si secundum, jam non est extra conceptum entis, sed hunc potius continet et exprimit, quia quidquid reale est, ens est: ergo.

Tertia pars ex dictis infertur. Nam si ens essentialiter includitur in omnibus naturis et realitatibus, quæcumque illæ sint, nec per differentias ullas extra ejus conceptum positas contrahi potest, necessario consequitur, ipsum, eatenus ad inferiora descendere ac per illa determinari, quatenus hujusmodi naturæ inferiores, hoc vel illo speciali modo exprimunt eandem communem rationem entis, quæ in omnibus necessario includitur, ac de omnibus essentialiter prædicatur.

Corollaria:

Primum. Ergo ens definitioni propriè dictæ non subest. Definitio enim propriè dicta, rem definitam revocat ad conceptus universales et simpliciores; ens autem est conceptus omnium universalissimus ac simplicissimus. Attamen, definitioni impropriè dictæ subest, quatenus declarationem aliquam et explicationem terminorum suscipit.

Secundum. Ergo notio objectiva entis est maxime perspi-

cua, et prima quoad intellectum. Siquidem, experientia ipsa teste, quisque in seipso percipit, se claram notionem entis in communi habere, ac dum objectum aliquod percipimus, statim perspicue percipimus illud esse ens, quamvis simul penitus ignoremus ipsius naturam et attributa. Exinde jure merito docet D. Thomas, ens non solum esse primum cognitum ab intellectu, sed ad alias notiones præsupponi, tanquam fundamentum et conditionem ipsarum. «In prima operatione, (*intellectus*) (1) est aliquod primum, quod cadit in conceptione intellectus, scilicet, hoc quod dico ens; nec aliquid hac operatione potest mente concipi, nisi intelligatur ens.»

Tertium. Ergo merito docebant Scholastici, ens analogice tantum de inferioribus prædicari. Quandoquidem, si nec genus logicum est, nec per differentias contrahi potest, ejus ratio objectiva, non una et eadem est perfecta similitudine in inferioribus de quibus prædicatur, sed una et eadem propter similitudinem tantum imperfectam, ex comparatione, respectu, aut proportionem aliqua. Sic, quamvis entis ratio tribuatur Deo et creaturis, at diverso gradu et sensu id locum habet; quia Deo, quatenus est ipsum esse purum et a se existens; creaturis vero, quatenus sunt essentiae seu naturæ quæ habent aut possunt recipere esse. Similiter, in ipsis creaturis, substantia dicitur ens, quatenus est in se et per se sine dependentia ab accidente; sed accidens, dum dicitur ens, ens includit dependentiam et relationem necessariam quoad substantiam. Unde et substantia definiri potest absque respectu ad accidens; at hoc nequit definiri, quin definitionem ejus ingrediatur respectus et dependentia a substantia. Ergo notio subjectiva entis, dum substantiæ et accidenti tribuitur, non eadem, sed quadantenus solum similis sive analogica existit.

Quartum. Ergo notio entis est notio transcendentalis. Transcendentalis enim notio ea dicitur, quæ includitur in omni re. Ens autem, ex dictis, ejus est conditionis, ut reperiat in imbitum in quavis formalitate aut gradu cujuscumque realis naturæ. Sic, ex. c. homo vere dicitur ens, qua animal,

(1) *Metaphys.* lib. 1.^o, lect. 6.^a

qua rationale, qua substantia, etc. Nulla enim positiva realitas in homine, aut in quavis alia natura adinveniri potest, quæ subterfugiat rationem entis.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.º Si ens esset analogum respectu Dei et creaturæ, non possemus creaturas concipere, quin prius natura conciperemus Deum; quod tamen secus accidit: ergo. Prob. ant. Eatenus ens diceretur analogum quoad Deum et creaturas, quatenus ratio entis perfecte et absolute invenitur in Deo, in creaturis vero imperfecte et cum dependentia a Deo, quod quidem pertinet ad analogiam attributionis: sed in analogis attributionis, minus analogatum non concipitur nisi prius aut saltem, simul, concipiatur majus analogatum, sicut patet in medicina, quæ non concipitur, qua sana, nisi prius aut simul concipiendo sanitatem animalis: ergo.

Resp. Dist. ant. Non possemus concipere creaturas sub ratione creaturæ, quin prius, etc. conc. quatenus entia, seu præcise sub ratione entis, neg. Et ad prob. dist. ant. In analogis attributionis minus analogatum non concipitur, nisi prius concipiatur majus analogatum, si minus analogatum recipiat denominationem analogam ex forma ipsi extrinseca, conc. si recipiat ex forma ipsi inhærente, neg. Quamvis creaturæ, qua tales, concipi nequeant, quin prius, vel simul natura Deus cogitetur, quia nomen hocce necessariam relationem includit ad Creatorem; attamen, si creaturæ spectentur præcise quatenus entia sunt, mentis considerationi objici possunt cum præcisione a Deo: possum enim considerare entitatem et naturam hominis, nihil cogitans de Deo, quantumvis hominis entitas nequeat in rerum natura existere nisi præsupposita Dei existentia. Quod autem additur, minus analogatum non concipi sine principali, hoc tantum locum habet quando minus analogatum, tale denominatur, per respectum ad formam vel entitatem extra ipsum existentem, prout contingit in medicina, quæ sana dicitur per respectum ad sanitatem, quæ in animali existit. Ast vero creatæ res, entia denominantur, non per entitatem quæ est in Deo, sed ratione entitatis propriæ quæ ipsis inest; dicitur tamen res creata minus analogatum, quatenus imperfectius quam Deus

suscipit rationem et realitatem entis. Ex quo infertur etiam, ens complecti utrumque genus analogiæ; attributionis, quatenus creatura respectu Dei, et accidens respectu substantiæ, minus principaliter ac imperfecte rationem communem participant: proportionis, quatenus ratio entis omnibus interne inest, quod proprium est analogis proportionis.

Objic. 3.º Deum perfecte cognoscimus secundum rationem entis, siquidem demonstramus Deum esse: ergo ratio entis, saltem quoad nos, eadem est quoad Deum et creaturas. Prob. cons. Deum cognoscimus per creaturas et ex creaturis, ipsi, nempe, tribuendo perfectiones quas in his videmus: ergo ratio entis quam Deo tribuimus, eadem est cum ea quam in creaturis detegimus.

Resp. Dist. ant. Deum perfecte etc. quoad certitudinem cognitionis, conc. quoad penetrationem ejus esse et realitatis, neg. Similiter dist. ant. prob. Ipsi tribuendo perfectiones quas in creaturis videmus, ita ut concipiamus eodem modo existere in Deo et creaturis, neg. diverso gradu, conc. Deum realiter existere, ac proinde esse ens, certo cognoscimus ac perfecte demonstramus; at non ideo penetramus infinitam perfectionem quam esse divinum continet. Scimus tamen, hujusmodi Dei esse, perfectius existere ac infinite distare ab esse creato, ac proinde non univoce, sed analogice tantum cum eo convenire. Quod idem, aliis perfectionibus quæ in creaturis observantur, accommodatur. Ex perfectionibus creaturæ assurgimus quidem ad perfectiones Dei; at simul judicantes, has perfectiones, non ejusdem, sed potius diversæ rationis esse in Deo et in creaturis.

SCHOLIUM.

Notum est ontologismi adseclas, systema hocce, ut plurimum, superstruere tanquam fundamentali principio, communi illi effato quod D. Thomas tuetur, nempe, ens esse primum cognitum ab intellectu, ejusque notionem cunctis aliis in mente hominis præsupponi. Ex quo colligunt ontologi, Deum, qui est primum et absolutum ens, esse primum et immediatum objectum humani intellectus, ex cujus intuitionem procedit ad reliquas notiones rerum cæpessendas. Ast vero hic, ut sæpe alias contingit, magnus error exurgit ac

tegitur sub terminorum et idearum confusione, qua ontologi ens commune cum ente absoluto confundunt, cum tamen duo hi conceptus prorsus inter se discriminantur. Siquidem, ens commune significat et includit notionem universalem et abstractam, quæ infinitis fere modis determinari ac contrahi potest; ast vero ens absolutum, idem est ac ens perfectissimum, perfectiones omnes, ac proinde ipsam existentiam realem continens; quapropter ipsi repugnat contrahi et determinari per alios modos reales, tum quia omnem realitatem essendi actu continet, tum quia ut essentialiter existens, ac proinde ut singulare concipitur. Ergo cum ontologismi propugnatores ajunt, rationem humanam primo et immediate intueri ens, ontologismum ex hoc principio educentes et evolventes, sufficere ad integrum ædificium funditus evertendum, concedere, rationem humanam primo et immediate intueri ens commune; negare vero, eam intueri ens absolutum. (1)

ARTICULUS SECUNDUS.

De principiis constitutivis entis.

Duplicis generis principia quoad ens commune investigare debet metaphysica scientia, nempe, principia ex quibus ens primario constat quasi elementis internis, quæ proinde principia compositionis dici queunt; et principia quibus mens ad entis cognitionem primario fertur, quæ principia cognitionis nuncupamus. A principiis itaque compositionis ut exordiamur, sit

§ I.

De actu et potentia.

Prænotanda:

1.º Nomine *actus* in creatis, intelligenda venit *realitas* aliqua, quæ complet et perficit rem capace[m] hujus realitatis

(1) Vid., *Estudios sobre la Filosofía de Sto. Tomas*, lib. 2.º, cap. 1.º et 2.º

sive perfectionis. Quare merito D. Thomas definit actum per perfectionem; quia revera quivis actus, qua talis, est perfectio; sicut e contra, potentia quæ ipsi opponitur, qua talis, imperfectionem audit. Nam id quod potest actum seu realitatem aliquam actualem recipere, inferius est seipso prout spectatur cum illa realitate et perfectione. Dixi in creatis, quia in Deo actus non est realitas quæ complet et perficit rem, quæ concipiatur aut sit in potentia, sed est realitas pura et perfectio absoluta. Ergo potentia definiri potest: *aptitudo ad aliquam realitatem habendam*.

2.º Ex his infertur: 1.º solum Deum esse actum purum, quia solus Deus excludit a se omnem imperfectionem, ac proinde omnem potentialitatem: 2.º omnem actum in creatis, esse impurum seu admixtum potentia. Dupliciter tamen actus admixtus potentia dici potest: 1.º quatenus est actus vel determinatio alienius potentia, ut intelligere est actus potentia intellectiva: 2.º quatenus ipse est in potentia ad ulteriorem actum: sic, facultas intelligendi est actus et perfectio animæ rationalis, et simul est in potentia ad actum intelligendi vel intellectionem actualem.

3.º Porro, juxta diversos gradus et respectus qui in actibus creatis inveniuntur, variæ emergunt actus et potentia divisiones, quarum præcipuæ sunt:

a) In actum *primum*, qui alium non præsupponit, ut forma substantialis, quæ esse substantiale rei tribuit: et actum *secundum*, qui alium supponit, ut intelligere supponit intellectum, et generatim forma accidentalis supponit substantialem.

b) In actum *subsistentem*, qui dicitur ille qui absque consortio materia existere potest, ut angeli, et anima rationalis: et actum *non subsistentem*, qui sine materia existere nequit, ut animæ brutorum. Actus porro prior, si nec aptitudinem habeat ad unionem substantialem cum materia, dicitur *complete subsistens*; secus vero, *incomplete subsistens*.

c) Potentia vero *passiva*, de qua solum hic loquimur, quia activa est verus actus admixtus potentia, alia est *objectiva*, quæ nihil aliud est quam rei *possibilitas absoluta*, seu non repugnantia rei; alia est *subjectiva*, et est aptitudo rei ad aliquid recipiendum.

d) Quæ rursus in *naturalem* et *obedientialem* congruo

dispescitur. *Naturalis* dicitur potentia rei ad recipiendum actum vel perfectionem, quæ naturæ vires non superat: *obedientialis* e contra, est aptitudo rei ad effectum, vel perfectionem supra naturæ vires positam, sive supernaturalem. Quibus prælibatis sit

THESIS 1.^a

Omne ens creatum constat actu et potentia.

Prob. Omne ens creatum est obnoxium mutabilitati, quippe solus Deus omnimoda immutabilitate fruitur; atqui quod est obnoxium mutabilitati, constat actu et potentia: ergo. Prob. min. Eatenus res quævis mutatur, quatenus, vel recipit quod non habebat, vel amittit quod ipsi inerat: ergo mutatio fit quatenus aliquis actus seu perfectio additur, aut subtrahitur potentiæ, id est, subjecto, prout aptum est et *potens* realitatem actualem acquirere, vel amittere: ergo mutabilitas rei necessario præ se fert actum et potentiam in re.

THESIS 2.^a

Existit in creaturis potentia passiva obedientialis quoad actus naturæ vires excedentes, sive quoad effectus supernaturales.

Prob. 1.^o Potentia passiva obedientialis, nihil est aliud quam aptitudo seu non repugnantia ad recipiendum aliquem actum seu perfectionem, quæ a causis naturalibus produci nequeat; atqui huiusmodi aptitudo in rebus creatis reperitur: ergo. Prob. min. Deus, utpote potentia infinita præditus, ac vires totius naturæ superans, potest proculdubio producere in substantia creata effectus, ad quos pertingere nequeunt causæ et vires naturæ; atqui potentia ad hos effectus producendos præsupponit necessariam *receptivitatem*, sive aptitudinem ad eos recipiendos ex parte subjecti; si enim repugnaret eos recipi in subjecto, repugnaret quoque ipsorum productio: ergo. Maj. ex se patet; nam, ut scite habet D. Thomas (1) «quanto aliqua virtus activa est altior, tanto

(1) QQ. Disp. De Pot. q. 6.^a, art. 1.^o ad 15.^m

subjectam sibi potentiam potest perducere ad altiores effectus, ut natura potest ex terra facere aurum, aliis elementis commixtis, quod ars facere non potest. Et inde est, quod res aliqua est in potentia ad diversa, secundum habitudinem ad diversa agentia.

Prob. 2.^o ex factis. Gratia, fides theologica, lumen gloriæ, etc. vires naturæ superant, et tamen in homine recipiuntur ipsumque perficiunt: ergo est in homine aptitudo seu capacitas ad hæc recipienda, quæ est ipsissima potentia passiva obedientialis.

Notandum tamen 1.^o reiiciendam esse sententiam eorum, qui, præter passivam, aliam potentiam obedientialem activam in creatura ponunt; quasi hæc nullam formam vel realitatem in se recipiens, sed sola voluntate Dei, possit producere effectum supernaturalem. Quæ sane opinio contradictoria loquitur. Nam creata natura nihil de novo recipiens, sed intra naturæ propriæ fines se continens, nequit profecto producere effectum, naturæ ordinem et vires superantem: secus enim, hic effectus esset simul supernaturalis, ut sponitur; et naturalis, quia procederet et viribus huic naturæ propriis, quæ novas reciperet.

Notandum 2.^o præfatam potentiam passivam, universalem quidem esse, at non eo sensu, ut quamlibet perfectionem quævis creatura recipere possit: non enim lapis, ex. c. ad Deum intuendum elevari potest; sed quatenus creatura quævis elevari a Deo potest ad omnia quæ contradictionem non involvunt, seu quæ ejusdem propriam essentiam non tollunt.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. adversus 2.^{am} thesim. Potentia passiva obedientialis esset potentia supernaturalis; atqui nihil supernaturale existit in creaturis, secundum propriam naturam spectatis: ergo. Prob. maj. Potentia dicitur ad actum, et juxta modum actus est modus potentiæ; sed actus quem respicit potentia obedientialis, est quid supernaturale, ut dictum est: ergo etc.

Resp. Dist. min. Nihil supernaturale *per modum realitatis seu entitatis actualis* existit in creaturis, conc. *per modum*

puræ capacitatis receptivæ, seu per simplicem non repugnantiam ad recipiendum, neg. Porro, cum affirmatur inesse creaturis potentiam obedientialem, nulla entitas supernaturalis ipsis conceditur, sed mera receptivitas fundamentalis; quæ quidem ab ipsa natura vel essentia creaturæ realiter non distinguitur, sed est ipsamet substantia naturalis, quatenus connotat ordinem sive respectum transcendentalem ad Deum, ut Causam Primam infinite potentem.

Objic. 2.^o Ideo diximus non inesse creaturis potentiam obedientialem activam, quia si inesset, aliquid supernaturale ex propria natura eis inesset; atqui eadem est ratio de potentia passiva, quippe illa non minus quam ista Deo subjicitur: ergo.

Resp. Neg. min. et paritatem. Potentia enim activa jam ipsa est actus, ac realitas vel forma quædam, quæ commensurari debet actui, qui ex illa egreditur veluti a causa efficiendi immediata, sicut aqua non potest calefacere, nisi habeat realitatem seu formam caloris, qui est causa immediata et ratio sufficiens calefactionis. Ast potentia passiva, qua talis et ut mera capacitas receptiva, nullam formam seu realitatem exigit, præter naturam ipsam, vel substantiam rei.

§ II.

De essentia et existentia.

Prænotanda:

1.^o Diximus supra, ens in communi esse id quod habet vel potest habere esse, ita ut sit veluti concretum quoddam, in quo essentia confuse et indeterminate significata per *id quod habet esse*, sit veluti subjectum recipiens *esse*, quod se habet per modum formæ in hoc concreto. Ergo essentia, sicut ipsum ens cujus est quasi elementum et principium, per omnia rerum genera vagatur. Quidquid enim esse habet vel habere potest, *aliquid est* seu essentiam aliquam habet. Ex quo ulterius consequitur, essentiam esse primam et universalissimam potentiam respectu entis, cum in omni ente reperiatur; *esse* vero sive existentiam, habere rationem actus respectu ejus. Essentia ergo et existentia sunt prima poten-

tia et primus actus, quibus constat, ut supra diximus, omne ens creatum. (1)

2.^o Itaque essentia nomine intelligitur: *id quo res est id quod est, et non aliud*, vel aliis terminis: *id quo res constituitur in determinato entis genere*, ut humanitas, est id quo homo est homo et non aliud. Exinde infertur, conceptum essentia abstrahere posse a conceptu existentia actualis, quæ in casu *ens*, si de ea enunciatur, accipitur nominaliter, non tamen ab existentia possibili; omnis quippe essentia potest existere. Quamvis essentia nequeat proprie definiiri propter ipsam simplicitatem et universalitatem quibus donatur, varias tamen subit declarationes, præter allatam, juxta varios respectus, quos in ipsa mens attingit. Sic, per respectum ad existentiam, dicitur: *id cujus actus est esse*. Per respectum ad intellectum: *id sine quo res intelligi nequit*, atque etiam: *id quo respondetur ad questionem quid est*: unde et *quidditas* aliquando, apud veteres, nuncupatur. Per respectum ad prædicata, proprietates et accidentia quæ ipsi attribuuntur; *id quod est primum in re, et radix cæterorum quæ rei conveniunt*. Quandoque appellatur *forma*, quatenus est id quo res essentialiter constituitur ac determinatur: quandoque vero *natura*, quatenus est radix et principium operationum et motuum.

3.^o Essentia rei, si explicetur aut definiatur per partes ejusdem metaphysicas seu logicas, ut sunt *animal et rationale* respectu hominis, dicitur essentia *metaphysica* rei, vel etiam *notionalis*. Si vero per partes physice ac realiter distinctas, ut si homo definiatur per *corpus organicum et animam rationalem*, dicitur *physica*. Ubi vides, rem definitam, esse

(1) Prima, inquam, potentia et primus actus quoad universalitatem, quatenus cuilibet creato enti congruunt; cum alia sint, quæ dici queunt prima potentia et primus actus respectu determinatorum entium, ut materia prima, aut forma substantialis, quoad substantias materiales. Similiter, subsistentia est actus prior existentia, quoad entia substantialia. Ast sola essentia et existentia reperiuntur in quolibet ente creato, sive materiali, sive spiritali, sive substantiali, sive accidentali: atque hoc sensu dicuntur prima potentia et primus actus. Quod adnotatum velim, ne quis morosius cavilletur circa præfatas denominationes.

unam et eandem, totamque differentiam sitam esse in modo; quatenus, nempe, prior procedit per conceptus partiales quibus non respondet realis distinctio in re, ut animalitas in homine ab ejusdem rationalitate non distinguitur; in posteriori vero, distinctio realis partium respondet partibus definitionis.

4.^o In qualibet essentia, præter determinationes, realitates, vel prædicata quæ essentiam constituunt, spectari possunt determinationes seu realitates aliæ, quæ essentiam quidem non ingrediuntur, sed tamen intimum nexum habent cum ipsa, ita ut ex eadem necessario profundi concipiantur, ut capacitas scientiæ, facultas loquendi, ex essentia hominis; hujusmodi vocantur, *attributa, proprietates*, et quandoque apud veteres, *passiones-entis*, vel *essentiæ*. Quidam vocant essentiam *physicam*, eam quæ consideratur cum hisce proprietatibus ac etiam *accidentibus* seu modis, rei inherenti- bus, et quibus pro nostra conditione in hac vita utimur, ad rerum essentias venandas. Ex quibus

5.^o Colliges, nos maxima in ignorantia versari circa rerum essentias, cum ad eas mediate tantum et quasi indirecte perveniamus per rerum proprietates, operationes, et accidentia. Atque, ut bene habet D. Thomas, (1) «quia essentialis rerum differentia sunt ignota frequenter et innominata, oportet interdum uti accidentalibus differentiis ad substantiales differentias designandas.» Nec tamen idcirco Locke adsentiri oportet, dum absolute docet, substantiarum reales essentias, esse nobis penitus ignotas. Quis enim inficiabitur, nos essentiam trianguli, atque essentiam hominis, saltem incomplete, id est, quoad determinationes aliquas essentielles cognoscere?

6.^o Circa rerum creaturam essentiam, duplicem questionem vestigare et solvere oportet, quarum prima, ejus immutabilitatem; altera, distinctionem ab existentia in creatis respicit. Pro quarum solutione sit

(1) QQ. Disp. De Potent. q. 9.^o art. 2.^o ad 5.^m

THESIS 1.^a

Rerum essentia immutabiles sunt, si in seipsis vel secundum se spectentur.

Dico si in seipsis spectentur, quia si sermo sit de essentia prout actuali existentia subest, mutabilis proculdubio est dicenda, quatenus de esse ad non esse transit aut desinit existere.

Prob. 1.^o Essentia rerum secundum se spectata et prout præscindit ab actuali existentia, nihil est aliud quam consensus vel non repugnantia conceptuum et prædicatorum, quæ ipsam constituunt; atqui ejusmodi consensus ac non repugnantia prædicatorum, semper ac eodem modo se habent, nec a conceptu essentia separari possunt: ergo. Prob. min. Si mutarentur vel a conceptu essentia se jungerentur, jam non eadem, sed alia essentia exurgeret. Sic, si ab homine auferatur animalitas, vel rationalitas, jam non homo, sed alia essentia haberetur; immo vero, nec Deus ipse efficere potest, vel proprius loquendo, effici nequit, ut triangulum tribus angulis non constet.

Prob. 2.^o Quod est indivisibile, quæ tale, est immutabile; atqui rerum essentia, quæ tales, sunt prorsus indivisibiles: ergo. Min. patet. Quolibet quippe essentiali prædicato, addito, vel sublato, jam non eadem essentia remanebit. Quam ob rem, merito D. Thomas rerum essentias comparat numeris, in quibus minima additio vel subtractio, sufficit ad speciem mutandam. «Si aliquid addatur vel subtrahatur alicui numero, (1) etiamsi sit minimum, non erit idem numerus secundum speciem; minimum enim in numeris est unitas, quæ si addatur ternario, surgit quaternarius, quæ est alia species numeri... Et similiter est in definitionibus, (quæ continent et exprimentur essentias rerum) quia quocumque addito vel ablato, est alia definitio, et alia natura speciei.»

Corollarium.

Colligitur ex dictis, vehementer errare Cartesium, dum a

(1) Metaphys. lib. 8.^o, lec. 5.^o

philosophia christiana abhorrens, et novam eadere aggressus, docet rerum essentias metaphysicas, mutabiles esse ac ex Dei voluntate pendere. Quem errorem, ut tueatur, statuit, intellectum nostrum in sua cognitione, præsenti rerum statui accommodari, ita ut si Deus rerum essentias mutaret, intellectus noster experiretur mutationem respondentem mutationi essentiarum. Quod sane nihil aliud est, quam veritatem quoque mutabilem facerere, scepticismo viam sternere, ac unum errorem alio majori tueri conari.

ALERE FLAMMAM
VERITATIS

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE BUENOS AIRES

THESIS 2.^a

In rebus creatis essentia realiter distinguitur ab existentia.

Hanc thesim Angelicus Doctor habet tanquam veritatem fundamentalem philosophiæ christianæ, eam sexcentis plus minus locis vehementer propugnat, ac ex eadem colligit ac constituit unam e differentiis primariis, quibus Deus a creaturis seceratur. Quoniam vero cuncta ipsius argumenta in rem hanc afferre non licet, seligemus verba, ex opusculo *De Ente et Essentia*, quæ exhibent veluti specimen generale theoriæ ejus circa questionem istam.

Postquam itaque edixit, angelos, sive substantias intellectuales a materia penitus separatas, quas D. Thomas sæpe *intelligentias* vocat, compositionem materiæ excludere, subdit: «Hujusmodi ergo substantiæ, quamvis sint formæ sine materia, non tamen in eis est omnimoda simplicitas, nec sunt actus puri, sed habent permixtionem potentiæ: et hoc sic patet. Quidquid enim non est de intellectu essentiæ vel quidditatis, hoc est adveniens extra, et faciens compositionem cum essentia, (sicut albedo vel scientia sunt extra essentiam Petri, ipsique adveniunt per aliquam causam ab essentia distinctam; unde et compositionem involvunt, quatenus Petrus albus vel sapiens, est ens compositum ex hac natura humana et hac albedine vel scientia, quæ ab ipsa essentia Petri realiter distinguitur,) quia nulla essentia, sine his quæ sunt partes essentiæ, intelligi potest. (Sicut homo intelligi aut concipi nequit sine anima, idque non solum abstracte, sed etiam concrete et in singulari, sicut *hic* homo concipi nequit sine *hac* anima rationali.) Omnis autem es-

sentia vel quidditas, intelligi potest sine hoc quod aliquid intelligatur de esse (existentia *actuali*, quæ semper, apud D. Thomam, per *esse* designatur, nisi aliud ex adjunctis constet) suo facto; possum enim intelligere quid est homo, vel phænis, et tamen ignorare, an esse habeant in rerum natura: ergo patet quod esse est aliud ab essentia vel quidditate.»

Quæ verba, prout declarata a nobis manent, veram ac veluti primam constituunt thesison nostræ probationem. Subjungit vero D. Thomas, suam theoriam evolvens... Si autem ponatur aliqua res quæ sit esse tantum, ita ut ipsum esse sit subsistens, (hoc est, si ponatur existentia actualis, ex se et in seipsa solum subsistens) hoc esse, non recipiet additionem differentiæ, quia jam non esset esse tantum, sed esse, et præter hoc, forma (essentia vel natura) aliqua... Unde relinquitur quod talis res, quæ sit suum esse, non potest esse nisi una. Unde oportet quod in qualibet alia re, præter eam, sit aliud, esse suum, et aliud, quidditas vel natura, seu forma sua. Unde in intelligentiis (angelis); oportet quod sit esse præter formam (id est, essentiam), et ideo dictum est, quod intelligentia est forma et esse.»

Ex hisce D. Thomæ verbis prob. 2.^a thesis. Si esse seu existentia angelorum non recipitur realiter in essentia tanquam in re distincta, sed cum ipsa identificatur, sequeretur: 1.^o angelis inesse æqualem simplicitatem ac Deo ipsi: 2.^o esse res infinitas et illimitatas: ergo. Prob. ant quoad 1.^m Essentiæ angelorum sunt formæ seu realitates simplices et indivisibiles, per respectum et comparisonem ad materiam et omnia materialia, quæ substantiis corporeis conveniunt: ergo, vel carent omni compositione *reali*, ac proinde sunt undequaque simplices, sicut Deus; vel includunt compositionem *realem* ex essentia et esse, tanquam ex actu et potentia, quæ est minima compositionum realium, et qua sublata, restat simplicitas absoluta Dei. Ergo, vel dicendum, simplicitatem perfectam excludentem omnem compositionem realem, non esse attributum Dei; vel admittenda in angelis aliqua compositio realis, quæ sane alia nequit esse nisi ex essentia et existentia, cum, apud omnes, angelorum essentia sit penitus simplex.

Prob. quoad 2.^m Ideo dicitur esse Dei includere omnes

perfectiones possibles, ac esse infinitum et illimitatum, quia est esse absolute irreceptum, hoc est, quia in se et per se subsistit absque eo quod in *alia re* recipiatur, sed in seipso solum recipitur: ergo si esse angelorum non recipitur in essentia tanquam in *alia re*, sed cum ipsa prorsus identificatur, erit esse irreceptum sicut esse Dei, ac proinde infinitum et illimitatum in linea entis.

Prosequitur D. Thomas: «Omne autem quod convenit alicui, vel est causatum ex principiis naturæ suæ, ut risibile in homine, vel advenit ab aliquo principio extrinseco, sicut lumen in aere ex influentia solis. Non autem potest esse, quod ipsum esse sit causatum ab ipsa forma (essentia) vel quidditate rei, sicut a causa efficiente; quia sic aliqua res esset causa sui ipsius, et aliqua res seipsam in se produceret, quod est impossibile: ergo oportet, quod omnis talis res, cujus esse est aliud a natura suâ, habeat esse ab alio. Et quia omne quod est per aliud, reducitur ad id quod est per se, sicut ad causam primam, ideo oportet quod sit aliqua res, quæ sit causa essendi (existendi) omnibus rebus, eo quod ipsa est esse tantum; alias iretur in infinitum in causis, cum omnis res quæ non est esse tantum, habeat causam sui esse, ut dictum est. Patet ergo quod intelligentia est forma, (seu essentia) et esse, et quod esse habeat a Primo Esse, quod est esse tantum: et hoc est Prima Causa, quæ est Deus.

Omne autem quod recipit aliquid ab alio, est in potentia respectu illius, et hoc quod receptum est in eo, est actus ejus: ergo oportet quod ipsa forma vel quidditas, quæ est intelligentia, (angelus) sit in potentia respectu esse, quod a Deo recipit, et illud esse receptum est per modum actus; et ita invenitur actus et potentia in intelligentia, non tamen forma et materia.» Quæ D. Thomæ verba alteram probationem continent. Unde ex eis

Prob. thesis 5.^o Realitas vel formalitas, quæ de re, etiam singulari, prædicatur ipsique convenit, quia in ea producitur ab aliqua causa efficiente, vel quia, ut ait D. Thomas, *advenit ab aliquo principio extrinseco*, est distincta ab ea realitate, quæ rei convenit per ipsam suam essentiam, ita ut sine ea concipi nequeat. Sed existentia in rebus creatis, ipsis convenit per ordinem ad aliquod agens extrinsecum, nempe,

Deum; realitates vero, vel prædicata essentialia, ex ipsa essentia, quæ immutabilis est, quæ talis, nec a Dei voluntate pendet, sicut existentia: ergo sicut lumen quod est in *hoc aere*, realiter distinguitur a *corporeitate* ipsius aeris, quia lumen aeri advenit ab agente extrinseco, ratio vero *corporis* ipsi inest per essentiam, ita similiter existentia actualis in *hoc aere*, quæ ipsi advenit per Deum, realiter distinguitur ab ejusdem *corporeitate*, quæ eidem convenit per se et per essentiam, solumque differunt exempla, quatenus lumen separari potest ab aere, ipsique posterius tempore advenit, existentia vero *hujus hominis*, ex. gr. Petri, simul cum essentia adest, nec ab ea unquam separari potest. Paucis verbis: cum dico: *Petrus est rationalis*: essentia Petri est causa formalis et ratio sufficiens quare rationalitas ipsi convenit, ita ut vere dici possit, quod *hæc* realitas, nempe, *hæc* rationalitas, convenit Petro, quia habet *hanc* essentiam humanam. Ast vero, cum dico: *Petrus actu existit*: essentia Petri non est causa formalis aut ratio sufficiens prædicati, non enim vere dicerem, quod *existere actu* convenit Petro, quia habet essentiam humanam, sed quia existentiam recipit ab aliqua causa efficiente.

Ex hucusque dictis, jam patet quomodo essentia invenitur in diversis, concludit D. Thomas. Invenitur enim triplex modus habendi essentiam in substantiis. Aliquid enim est, sicut Deus, cujus essentia est ipsum suum esse; et ideo inveniuntur aliqui philosophi dicentes quod Deus non habet essentiam, quia essentia ejus non est aliud quam esse ejus...

Secundo modo, invenitur essentia in substantiis creatis intellectualibus, in quibus est aliud esse quam essentia ipsarum, quamvis essentia sit sine materia: unde esse earum, non est absolutum sed receptum; et ideo limitatum et finitum ad capacitatem naturæ recipientis...

Tertio modo, invenitur in substantiis compositis ex materia et forma, in quibus, et esse est receptum et finitum, propter quod et ab alio esse habent; et iterum, natura vel quidditas earum, recepta est in materia signata: et ideo sunt finite et superius et inferius.» (1)

(1) Ne plus æquo longiores simus in elementario opere, alia ar-

Objic. 1.^o Cum P. Cuevas. «Simul ac concipimus rei alicujus essentiam extra nihilum, adeoque extra proprias ejusdem causas poni, quia aliud omnino cogitemus, intelligimus existere essentiam realem ac physicam... Ergo essentia realis non existit vi alicujus rei a se ipsa realiter distinctæ: ergo nec realiter distinguitur ab existentia.»

Resp. Omitto ant. et neg. cons. Mirum profecto, hominem non mediocris sane ingenii, argumentum hocce tanquam præcipuum pro identitate essentiæ et existentiae proponere. Equidem, ex eo quod simul ac concipimus essentiam aliquam extra nihilum et causas poni, intelligimus existere essentiam realem ac physicam, bene quidem consequitur, essentiam fieri *existentem quatenus* ponitur extra causas et nihil; sed minime consequitur, hanc essentiam positam extra causas, non distingui ab existentia *qua* ponitur. Ex eo enim quod unum sine alio intelligi nequit, non semper sequitur quod identificentur. Simul ac concipitur motus localis, concipitur etiam spatium in quo fiat; immo vero, localis motus sine spatio nequit intelligi: nec tamen ideo quis dixerit, spatium a motu non distingui. Similiter ergo, cum concipimus essentiam extra nihilum et causas positam, concipimus eam ut *existentem*; quia eatenus res dicitur *existens*, quatenus extra causas ponitur: at non ideo necessario concipimus, quod hæc existentia, *qua* res ponitur extra causas, sit unum et idem cum hac re *quæ* ponitur extra causas.

Objic. 2.^o cum Balmes. Essentia hominis, si abstrahatur ab ejusdem existentia, ad nihilum reducitur: ergo realis distinctio non intercedit inter easdem.

Resp. Dist. ant. Si abstrahatur *abstractione reali* sive *separationis*, conc. *abstractione entitatis* sive *distinctionis*, neg.

gumenta et probationes prætermittimus. Vid. D. Thom. præter loc. cit., *Sum. cont. Gent.*, lib. 1.^o, cap. 22 et lib. 2.^o, cap. 32.—*QQ. Disp. De Potent.*, quæst. 7, art. 4.—*Sum. Theol.*, 1.^o p., quæst. 3.^o, art. 4.^o. Vid. etiam, *Estudios etc.*, lib. 2.^o, cap. 6 et 7.

Equivocatio ac petitio principii latent in hac objectione. Certum quidem est essentiam Petri ad nihilum reduci, id est, desinere esse, si existentia ab ea realiter separetur, quia existentia est id *quo* essentia extra nihilum ponitur: at ex hoc minime sequitur, quod in Petro, dum existit, essentia seu natura humana non sit entitas sui generis, realiter distincta ab existentia, quæ eandem complet et perficit, sicut actus propriam potentiam subjectivam. Res patebit exemplo: si supponamus Petrum actu moveri, et abstrahamus abstractione reali, hoc est, si separemus substantiam Petri ab ejus motu, hic ad nihilum reducitur ac desinit esse; nec tamen ex hoc legitime inferitur, motum actualem Petri identificari cum ejusdem substantia.

Objic. 3.^o cum Suarez. Essentia actualis, v. g. Petri, præcisa ab existentia, vel considerata sine existentia, est tantum potentia rei; sed potentia rei est nihil in seipsa, solumque habet realitatem prout est in Deo: ergo.

Resp. Dist. maj. Essentia etc. est tantum potentia *objectiva* rei, neg. potentia *subjectiva*, conc. Argumentum hocce, sicut et alia plurima, quæ adversus thesim adduci solent, fundamentum unice habent in confusione potentiæ objectivæ et subjectivæ. Itaque, essentia quævis spectari potest: 1.^o quatenus involvit meram potentiam objectivam, vel quod in idem recidit, quatenus consideratur in statu possibilitatis, antequam creetur et existat; quod non tantum essentiae, sed ipsi quoque existentiae tribui potest; cum existentiam cogitare possimus præcise ut possibilem: 2.^o quatenus physice existit, hoc est, quatenus habet exercitium existendi per existentiam quam in se recipit: 3.^o tandem, quatenus comparatur ad hanc existentiam actualem, qua informatur, tanquam potentia subjectiva ad proprium actum, ab ea quidem inseparabilem dum actu existit, realiter tamen distinctum; sicut dum Petrus movetur, quamvis ejus substantia separari nequeat a motu, ita ut hic permaneat in suo esse, tamen hæc substantia Petri distinguitur a motu, ad quem comparatur tanquam propria, realis et subjectiva potentia ad proprium et realem actum. Cum ergo affirmatur in thesi posita, essentiam in creatis realiter distingui ab existentia, tanquam potentiam ab actu, intelligendum est de essentiam tertio modo considerata, quæ est veluti media inter essentiam mere possibilem,

et existentiam actualem, reduplicative ut exercitam in tali essentia. Verbo: inter actum existendi, et nihil entitativum rei possibilis in seipsa, mediat potentia subjectiva, quæ involvit entitatem positivam; quæ quidem entitas, est *res que existit*, at non seipsa, sed *per existentiam, ratione cujus habet actu existere.*

§ III.

De supposito et subsistentia.

Prænotanda:

1.º Sicut existentia ens actuat et perficit sub ratione *entis*, ita subsistentia ens perficit sub ratione *substantiæ*; quapropter subsistentia: ens substantiale tantum respicit. Est igitur subsistentia: *modus substantialis, vel actualitatis, qua substantia redditur completa, ita ut fiat sui juris quoad esse et operari.* Dicitur *modus substantialis*, quia ad genus substantiæ et non accidentis pertinet, vel directe, si ab ipsa natura realiter non distinguatur, vel reductive, si distinguatur. Dicitur *qua redditur completa*; proprium est namque subsistentiæ complere naturam, idque ita ut natura seipsam plene possidens, non indigeat alteri enti communicari ut existat et operetur; quod exprimitur per verba illa: *ita ut fiat sui juris quoad esse et operari.* Ex qua subsistentiæ notione, notio suppositi facile eruitur.

2.º Siquidem, quævis substantia, individua, completa, et alteri incommunicabilis ut sit et operetur *suppositum* merito vocabitur. Quod si ejusmodi suppositum rationalis vel intellectualis sit substantia, *persona* tunc appellatur.

5.º Ergo suppositum est veluti concretum ex natura substantiali et subsistentia, de qua proinde quæri potest, utrum realiter ab ipsa natura distinguatur, ipsique addat veram entitatem, vel tantum negationem unionis naturæ cum alia nobiliore, prout Scotus et alii quidam voluere.

THESIS 1.ª

Subsistentia realiter distinguatur a natura quæ in ea et per eam subsistit.

in Prob. 1.ª Possumus concipere quidquid pertinet ad naturam substantialem individuam, ex. gr. ad naturam humanam Petri, absque eo quod concipiamus eam seipsam ita possidere, ut possit per se existere et operari; siquidem etiam postquam concipimus naturam humanam cum prædicatis essentialibus et necessariis, atque etiam ut singularem, adhuc eam concipere possumus ut *communicabilem* alteri rei, in qua et per quam existat et operetur, ac proinde non undequaque perfectam et terminatam. Ergo id quod extra animam respondet conceptui subsistentiæ, est realitas vel perfectio, quæ non includitur necessario in conceptu naturæ substantialis singularis.

Prob. 2.º ex mysterio Incarnationis. Juxta fidem catholicam, Verbum assumpsit naturam humanam, singularem seu individuam, perfectam et completam in ratione naturæ, et tamen non assumpsit subsistentiam humanam: ergo personalitas, ac proinde subsistentia, realiter distinguitur a natura *personata* aut subsistente. Si enim subsistentia et natura sunt omnino unum et idem secundum rem, qui assumit unum, assumit et aliud secundum rem: ergo si Verbum assumpsit naturam humanam, assumpsit quoque subsistentiam humanam secundum rem.

Nullus itaque philosophus catholicus inficiari potest hujusmodi realem distinctionem inter naturam et subsistentiam. Quod vero attinet ad naturam hujus distinctionis, probabilius habemus subsistentiam ab essentia, non tamquam *res a re*, sed potius tamquam *modus a re* distingui; tum quia, ut diximus, est modus substantialis naturæ; tum quia ex natura substantiali necessario profluit, ita ut ab ea seungi nequeat nisi per Dei omnipotentiam, idque ejusdem vices supplendo.

THESIS 2.ª

Subsistentia non in mera negatione, sed in entitate vel actualitate positivo consistit.

Prob. Subsistentia, ex dictis, perficit naturam substantialem, eam reddendo undequaque completam, in se sistenter et terminatum, ita ut possit ex se et per se existere et operari; atqui hæc omnia expriment in suo conceptu realem entitatem ac positivam perfectionem, nisi velimus dicere,

quod pura negatio seu nihilum, perficit et complet naturam, eamque reddit independentem et incommunicabilem quoad esse et operari: ergo.

Adde his, hanc thesim haberi posse tanquam corollarium præcedentis. Quandoquidem, si subsistentia consistit in mera negatione seu carentia unionis cum altero ente, jam proprie dici nequit, suppositum seu subsistentiam realiter distinguere a natura; quoniam negatio in seipsa nihil est, seu nullam entitatem includit: ergo juxta hanc hypothesim, natura subsistens, solum discriminatur a natura non subsistente per nihilum seu per rem quæ in seipsa nihil est; ergo realiter revera non distinguuntur; nulla quippe *realis* differentia adstrui potest inter duas res vel naturas, quarum una nullam realitatem positivam seu perfectionem habet præter aliam. Ergo qui inficiantur subsistentiam esse perfectionem seu entitatem positivam, inficiari quoque coguntur, subsistentiam a natura realiter distinguere, nec facile est videre qua ratione Incarnationem Verbi exponere valeant. Etenim, si subsistentia vel personalitas nullam realitatem positivam affert naturæ, capi vix potest, quid significetur, dum dicitur Verbum assumpsisse naturam humanam singularem et individuum, non tamen personam humanam.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.^o Persona humana idem est ac homo singularis; statim quippe ac concipimus hominem singularem, concipimus personam humanam; atqui homo individuus nullam realitatem positivam addit propriæ naturæ *singularizate*: ergo.

Resp. Dist. maj. Persona humana idem est ac homo singularis, si *homo singularis* sumatur pro natura singulari in se ipsaistente, terminata et ulterius incommunicabili, concipiatur præcise pro natura humana individuata, neg. Hæc vox *homo*, sicut et *Petrus*, concrete significant, ac proinde ex se, non solum naturam individuata vel singularem, sed naturam *incommunicabilem*, in seistentem et terminatam ad operandum, proprie significant. Itaque, absolute loquendo, veritatem non continet hæc locutio: *persona humana idem est ac humanitas individuata*; nam in Christo existit humani-

tas individuata, non tamen persona humana. Solum ergo verificatur hæc locutio, quatenus personalitas humana consequitur ac comitatur naturaliter et necessario, naturam humanam individuata, ita ut ex vi naturæ, et præcise ab omnipotentia Dei, ubicumque ac eodem instanti in quo ponatur natura humana individuata, ponatur cum subsistentia vel personalitate, quæ ex natura ipsa necessario pullulat, nisi divinitus impediatur.

Objic. 2.^o Subsistentia concipitur advenire naturæ jam existenti simpliciter: ergo si distinguitur realiter ab ipsa natura, erit quid accidentale. Prob. cons. Quidquid simpliciter existenti advenit, accidens est: ergo.

Resp. 1.^o Non deesse philosophos et theologos asserentes, subsistentiam, naturæ ordine, priorem esse existentia, quæ est ultima rei actualitas naturam completam præsupponens.

Resp. 2.^o Dist. ant. Subsistentia etc. quasi naturam perficiens ac *complens in linea substantiæ*, conc. quasi naturam perficiens *in linea entis*, sicut perficit et complet existentia, neg. Quantumvis enim natura existens supponatur, ac proinde completa in ratione entis actualis, adhuc tamen incompleta et imperfecta erit qua *substantia*, donec in se sistens, adæquate per se operans, ac incommunicabilis concipiatur; quod quidem ipsi congruit per subsistentiam. Quod si accidens sumatur, non pro physico, sed pro accidente prædicabili seu logico, subsistentia accidens potest appellari, quatenus ipsa, sicut et existentia, principia essentialia naturæ specificæ non ingrediuntur.

Objic. 3.^o D. Thomas docet subsistentiam non distinguere realiter in angelis a natura, siquidem expresse habet de angelis: (1) unde in eis non differt suppositum et natura; atqui eadem est ratio de aliis naturis: ergo.

Resp. neg. maj. Nisi enim apertam contradictionem in eo agnoscamus, fateri oportet, apud D. Thomam, suppositum et naturam in solo Deo identificari, ut pluries expressis terminis docet, ac inter alia, dum scribit: (2) In Deo est om-

(1) *Sum. Theol.*, 1.^a P., q. 3, art. 3.^o

(2) *Quodl.* 2.^a art. 1.^o

nino idem suppositum et natura: in angelo autem non est omnino idem, quia aliquid accidit ei præter id quod est de ratione suæ speciei; quia, et ipsum esse angeli est præter ejus essentiam seu naturam, et alia quædam ei accidunt, quæ omnino pertinent ad suppositum, non autem ad naturam. Itaque in laudato loco, sermonem habet de supposito minus proprie dicto, quod est individuum.

SCHOLIUM.

Nota est opinio Locke agentis, personalitatem humanam in conscientia cogitationis esse repositam, ita ut identitas personæ ex identitate conscientia internæ dependeat. In qua sane refellenda sententia immorati non sumus, quia ex absurdis ipsis, quæ ex eadem consequuntur, satis superque refellitur. Et quidem, ut reliqua prætermittam: 1.º hæc sententia circulo vitioso continetur; eatenus quippe scimus et consciî sumus, præteritos actus et functiones ad nosipsum attingere, quatenus nostram identitatem experimur ope conscientia, ita ut *identitas* subjecti cogitantis, necessario præsupponatur *identitati* conscientia: 2.º ex ea sententia consequitur: 1.º eos qui delirio aut amentia tenentur, puerosque ante rationis usum, personam amittere, dum amittunt conscientiam præteritorum actuum: deinde, personam imminui et continuo mutari, tum quoad eos qui somno indulgent, tum universim quoad cunctos homines; quandoquidem experimur, conscientiam et memoriam præteritorum actuum, minui, augeri, continuo immutari, ac penitus amitti quoad aliqua. Nisi ergo velimus dicere quod persona in homine minuitur, augetur ac continuo mutatur, opinionem Locke tanquam commentum rejiciemus.

ARTICULUS SECUNDUS.

De principis cognitionis entis.

Diximus in Logica, prima principia cognitionis dici eas propositiones, quarum veritas, perceptis terminis, perspicue

percipitur. Et quoniam hujusmodi propositiones plures existunt, quæri solet utrum inter eas aliqua sit primatum tenens. Pro cuius recta intelligentia ac solutione, quædam sunt prænotanda:

1.º Propositiones et judicia, vel continent veritatem *singularem*, ut hæc: *nunc pluit*; vel veritatem *universalem analyticam*, dum prædicatum in notione subjecti continetur, ut hæc: *corpus est extensum*; vel *universalem syntheticam*, in qua prædicatum extra notionem subjecti continetur, ut hæc: *quædam corpora sunt fluida*, in qua prædicatum subjecto tribuimus, non ex ipsa analysi subjecti, sed ex experientia.

2.º Dum quæritur num existat aliquod *primum principium cognitionis*, id triplici sensu accipi potest: 1.º *pro principio transcendentali veritatis*, seu pro veritate aliqua, ex qua reliquæ omnes enascantur et profluant, vel etiam sine qua intellecta et admissa, nullam aliam veritatem cognoscere possit homo: 2.º pro veritate seu *principio primo demonstrationis*, ita ut sit aliquod principium, per quod ad veritatem revocari possit directe, vel indirecte, ille qui alias veritates inficiatur: 3.º *pro principio præsuppositionis*, hoc est, pro aliqua veritate, quæ, implicite saltem, includatur in aliis judiciis nostri intellectus, et quæ contineat primum iudicium ab intellectu efformatum.

3.º Certum prorsus est apud omnes qui pantheismo non adhærent, nullam in nobis existere principium *primum prioris generis*; quoniam solus Deus, utpote veritas prima, universalis, et transcendentalis, omnes alias veritates in se continet et exprimit, eo ipso quod continet et exprimit omne ens, cum sit ipsum esse subsistens. Quæstio ergo devolvitur ad determinationem principii, tunc *demonstrationis*, tunc *præsuppositionis*. Qua in re, non uno ore loquuntur philosophi, quibusdam pro principio evidentia, aliis pro principio seu effato Cartesii decertantibus. Sed antequam nostram sententiam proferamus, refellere oportet Kant, qui præter judicia a nobis supra memorata, alia commentus est.

4.º Itaque, philosophus iste, præter judicia in quibus prædicatum subjecto tribuitur ratione experientia et non quia in ejus notione includatur, quæque apud ipsum judicia *synthetica a posteriori* audiunt, alia admittit *judicia synthe-*

tica a priori, in quibus prædicatum, nec ex notione et analysi subjecti enascitur, nec per experientiam ipsi tribuitur, sed ex ipsa ratione, quæ sponte sua et veluti instinctive fertur ad attribuendum tale prædicatum subjecto, non quod objectivam realitatem hujus convenientiæ pervideat, sed quia ad id fertur ex formis quibusdam ipsi menti inhærentibus. Exemplum facit in principio causalitatis *quidquid fit causam habet*, quod vocatur *syntheticum*, quia prædicatum in notione subjecti non continetur, juxta ejus sententiam, sed est quid ipsi extraneum; *a priori* tamen, quia convenientia prædicati cum subjecto per experientiam non habetur; quoniam hujus propositionis veritas, necessaria est et universalis omnem superans experientiam. Quibus prælibatis sit,

THESIS 1.

Judicia synthetica a priori, ad sensum Kant, sunt prorsus rejicienda.

Prob. Illa judicia sunt rejicienda, quæ ad scepticismum et idealismum docunt; atqui sic se habent judicia synthetica a priori, quæ tuetur Kant: ergo. Prob. maj. Judicia in quibus assensus præbetur absque eo quod intellectus motivum objectivum assensus pervideat, ita ut intellectus rei assentiatur, non quia, vel per evidentiam, vel conscientiam, vel experientiam videt, *rem ita se habere*, sed quia ex seipsa inclinatur et fertur ad assensum præstandum, ad scepticismum et idealismum ducunt; atqui sic se habet mens in judiciis syntheticis a priori, ex ipsomet Kant; siquidem, ipse statuit, mentem in hujusmodi judiciis, assentiri, vel dissentiri ex seipsa, quasi necessaria vi tracta, absque eo quod percipiat prædicatum contineri in notione subjecti, aut subjecto tribui propter testimonium cujuscumque experientiae: ergo.

Et re quidem vera, doctrinam hujusmodi Kant admittere, idem est ac admittere, regulam et mensuram veritatis judiciorum nostrorum esse ipsam nostram mentem, non vero objecta ipsa percepta et cognita; ex quo ulterius necessario consequitur, cognitiones nostras exprimere, non quid *res sint*, sed quid nobis *videantur*, vel potius, mentem nostram esse rationem sufficientem et causam nexus inter prædica-

tum et subjectum, ac exinde veritatis rerum; quod certe pantheismo quoque viam sternit. (1)

THESIS 2.

Primum principium, tum demonstrationis, tum præsuppositionis, est principium contradictionis.

Prob. 1.^a pars. Illud est primum principium *demonstrationis*, ex quo, semel admissio, ad veritatem revocari potest, saltem indirecte et mediate, qui alia principia negaverit; atqui sic se habet principium contradictionis: ergo. Prob. min. 1.^o experientia ipsa, qua videmus, in omni argumentatione et controversia, ultimum terminum esse ad principium contradictionis; semper enim ac de aliquo disceptatur, si non directe, at saltem indirecte, vel per explicationem terminorum, ultimâ devenire oportet ad principium contradictionis, et donec ad ipsum perveniamus, superest sermoni et controversiæ locus: 2.^o quia ipsummet Cartesii effatum, quod ex propria natura, a principio contradictionis maxime distare videtur, indirecta et declarativa ratione ab illo pendet et ad illud revocatur. Si enim supponamus quemquam negare illud effatum, ei dici potest: «dum negas *te cogitare*, simul dicis sive affirmas *te cogitare*, atque idcirco adversaris principio contradictionis quod admittis ut verum; namque ex una parte, negas *te cogitare*; ex alia parte, adstruis cogitationem in te, dum dicis, vel *scis te non cogitare*; siquidem, qui *scit* et affirmat se non cogitare, jam cogitat; quia *dicere*, *scire*, vel *affirmare* aliquid, non fit sine cogitatione: ergo dum inficiaris hoc effatum: *ego cogito*, simul cogitas et non cogitas.» Ergo principium contradictionis, ejus naturæ est, ut si semel ut verum admittatur, cunctæ aliæ veritates per ipsum *demonstrari*, possint, demonstratione, vel directa, vel indirecta, vel perfecta, vel imperfecta.

Prob. 2.^a pars. Illud est primum principium *præsupposi-*

(1) Nihil ergo mirum, si Fichte theoriam kantianam evolvens, ad pantheismum idealistam devenerit, dum statuit, omnia quæ sunt, si quæ realiter sunt, ipsumque Deum, cuncta originem ducere ex infinita activitate ipsius mentis nostræ, sive ex *eo ego puro*.

tionis, quod constat ideis seu notionibus universalissimis et clarissimis, quæque simul in quavis alia notione necessario imbibuntur ac præsupponuntur; atqui sic se habet principium contradictionis, cujus elementa constituuntur per notionem entis simul cum his quæ ex eadem immediate profiunt. Hæc porro notio, non solum universalissima et omnium clarissima existit, sed aliis conceptibus seu notionibus necessario præsupponitur ac in eis imbibitur: ergo.

Sicut ergo primum quod de re qualibet concipimus est ratio entis, nec ullam realitatem determinatam in re apprehendimus, quin præsupponatur in ipsa notio entis, ita similiter, primum quod de re judicamus, est quod non possit simul esse, et non esse; quod proinde judicium præsupponitur, et implicite imbibitur et continetur in quovis alio judicio. Aptissime igitur ac scite D. Thomas ait: (1) « Illud quod primo cadit in apprehensione, est ens, cujus intellectus (conceptus) includitur in omnibus quæ quis apprehendit. Et ideo, primum principium indemonstrabile est quod non est simul affirmare et negare, quod fundatur supra rationem entis et non entis, et super hoc principio omnia alia fundantur. » Nempe, quoad ordinem demonstrationis et præsuppositionis, ita ut principium hocce haberi debeat, tanquam formula universalis et ultima in ordine demonstrativo, et simul tanquam formula universalis et prima in ordine judiciorum, quæ humana ratio efformat.

Corollarium.

Ergo nec Cartesii effatum, nec cartesianorum principium vulgatum: « quidquid continetur in idea clara et distincta alius rei, potest de illa affirmari, » rationem habent primi principii demonstrationis et præsuppositionis. Siquidem, præter allatas probationes pro contradictionis principio, effatum Cartesii necessario præsupponit notionem entis, sine qua, nec cogitatio, nec ejus subjectum concipiuntur; ac proinde, virtualiter saltem et implicite, includit et præsupponit cognitionem et veritatem principii contradictionis. Quod vero attinet ad principium cartesianorum, in primis, eadem ar-

(1) Sum. Theol. 1.^o 2.^æ, q. 94, art. 2.^o

gumentatione ac præcedens refellitur: deinde, cum versetur circa ipsam evidentiam qua res cognoscimus, per actum reflexum intellectus efformatur, ac proinde, nulla ratione primum dici potest; siquidem, judicium reflexum, necessario præsupponit judicium directum.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Obje. 1.^o cum Kant adversus primam thesim. Propositio exprimit principium causalitatis continet judicium syntheticum; atqui non est syntheticum a posteriori, quia relatio necessaria inter prædicatum et subjectum non ex sola experientia habetur: ergo. Prob. maj. Judicia analytica ea sunt, in quibus prædicatum continetur in notione subjecti; atqui id locum non habet in principio causalitatis, notio enim causæ non continetur in notione effectus: ergo.

Resp. Neg. maj. Ad prob. neg. min. Etenim, eo ipso quod principium causalitatis habet pro subjecto notionem effectus, (1) judicium analyticum evadit; quoniam effectus, reduplicative qua effectus, nec concipi potest quin simul concipiatur ejus nexus et dependentia a causa, quamvis bene possit concipi in seipso et præcise sub ratione entis. Sic, possum considerare hunc effectum, ex. gr. pomum quod est in hac arbore, quatenus est quoddam ens ab aliis distinctum, nihil cogitando de ejusdem productione et causa, sub quo respectu non includit notionem causæ. Sed tamen, si considero pomum quatenus de novo incipit esse, vel quatenus fit, quod est ipsum considerare sub ratione effectus, necessarium nexum habet cum notione causæ; ac proinde, in principio causalitatis prædicatum subjecto tribuitur per ejusdem analytici, et non ex synthesisi, quasi superaddendo subjecto ali-

(1) Sunt qui principium causalitatis: quidquid fit causam habet, vel aliis terminis: non datur effectus sine causa, confundunt cum principio rationis sufficientis: quidquid est, rationem sufficientem sui habet. Sed perperam: non enim omnia quæ sunt, etiam efficiuntur; Deus enim existit et sibi ipsi est ratio sufficiens existendi, sed non efficitur, nec est causa sui ipsius. Unde notio et principium rationis sufficientis, latius patet quam notio et principium causalitatis.

quid ipsi extraneum. Unde distingui etiam potest. min. prob. Notio causæ non continetur in notione effectus, *qua effectus*, neg. sub ratione *entis* præcise, conc.

Objic. 2.^o cum Kant. Judicia mathematica, quæ communiter ut analytica habentur, revera sunt synthetica a priori: ergo. Prob. ant. Judicium quod continetur propositione hac: $7 + 5 = 12$, non est syntheticum a posteriori, quia experientiam necessitate sua absoluta superat; nec etiam analyticum, quia ad dignoscendum duodenarium numerum, ex septenario et quinario coalescere, ad signa externa, v. g. ad digitos, vel puncta, confugere cogimur, atque proinde, non per analysim subjecti, prædicatum in ipso reperimus.

Resp. Neg. ant. Ad prob. neg. min. Siquidem, præfatam propositionem judicium analyticum revera continere et exprimere, ex eo aperte constat, quod prædicatum 12 non solum continetur, sed identificatur cum subjecto $7 + 5$. Quod vero ad hoc detegendum, confugimus interdum ad externa signa, hoc minime officit ad hoc quod vere et realiter duodenarius, in septenario et quinario simul sumptis contineatur; quod sane sufficit pro judicio analytico constituendo. Quinimmo, eatenus per signa externa agnoscere possumus nexum prædicati cum subjecto in allato exemplo (1), quia revera in illo continetur; si enim minime duodenarius numerus in septenario et quinario contineretur, nunquam prædicatum affirmare possemus de subjecto, etiam signa externa adhibendo.

Objic. contra 2.^{am} thesim: Propositio quæ continet principium contradictionis, est negativa: ergo hocce principium nequit esse primum. Prob. cons. Propositio negativa, poste-

(1) Ad rem apposite Rosmini: «Que nous ayons besoin d'un signe extérieur pour obtenir le nombre 12 par la somme de 7 et de 5, cela ne prouve pas que le concept de 12 n'est point compris dans le concept de la somme de ces deux nombres: bien plus, cela prouve qu'il y est certainement compris, car autrement nous ne pourrions le déduire même à l'aide de signes, lesquels n'ajoutent rien au concept, mais nous servent uniquement à reconnaître la même chose sous deux formes ou deux expressions différentes.» *Nouvel Essai sur l'origine des idées*. sect. 4.^e, c. 3.^e, art. 22. Vid. quoque Baines, *Fil. Fund.* lib. 1.^o, c. 29.

rior est affirmativa, quia omnis negatio fundatur in aliqua affirmatione: ergo.

Resp. Dist. antec. Est negativa *improprie et voce tenuis* conc. *perfecte quoad sensum*, neg. Hoc namque principium, si ejus sensus, potius quam verba, inspiciatur, affirmationem negationi quodammodo admixtam continet; facit enim hunc sensum: *Ea quæ sunt, quatenus sunt, non possunt simul non esse*. Unde ejusdem elementum præcipuum est notio positiva entis, cui immediate opponitur notio *non entis*, e quibus immediate exurgit principium contradictionis. Sed

Instabis: Ex concessis, principium contradictionis involvit quamdam negationem, quamvis affirmationi adjunctam: ergo necessario præsupponit aliquam affirmationem priorem.

Resp. Dist. cons. Præsupponit aliquam affirmationem priorem, *sed inclusam in eodem principio contradictionis*, conc. *extra ipsum positam, vel ab ipso distinctam*, neg.

Urgebis: Principium identitatis affirmationem puram includit et exprimit; atqui hoc principium est extra principium contradictionis: ergo.

Resp. 1.^o Nego suppositum majoris. Quod namque principium identitatis vocatur, nempe: *quod est, est*, revera et proprie non est principium cognitionis complexum, de quo hic loquimur, sed potius incomplexum; cum nihil aliud contineat aut exprimat, præter simplicem perceptionem identitatis unius et ejusdem rei. Quod si quis acrius contendat, principium hocce verum judicium continere et exprimere.

Resp. 2.^o Neg. min. Siquidem, propositio ista, si judicium continet, hoc judicium ejus est naturæ, ut sit quasi conditio generalis afficiens quodlibet judicium analyticum, non vero ita quod ex se constituat principium speciale et ab aliis distinctum; perceptio namque identitatis, quæ hac propositione exprimitur, est conditio, vel modus concomitans omne judicium analyticum.

Rosmini, qui judicia synthetica a priori Kant refellit, admittit simul judicia quædam, quæ maximam affinitatem cum judiciis kantianis obtinent. Docet quippe ille, esse in nobis quædam judicia *primitiva*, (juxta Rosmini, hujusmodi

judicia præcedunt ipsam simplicem perceptionem, qua rerum ideas seu conceptus efformamus), quibus affirmamus corpora existere: quæ judicia, eatenus efformantur, quatenus mens nostra, corpori, dum sensationem in nobis producit, applicat ideam entis indeterminati sive existentiae in genere, quam ideam mens in seipsa naturaliter præhabet ipsique est innata. Rosmini ergo admittit judicia, in quibus prædicatum tribuitur subjecto, non per analysim ipsius subjecti, nec per experientiam, sed ex forma ipsi rationi humanæ naturaliter et necessario insita; proindeque ejus theoria in hac parte, vel eadem, vel valde affinis existit theoriae kantianæ. (1)

CATUT SECUNDUM.

DE PROPRIETATIBUS ENTIS.

ARTICULUS PRIMUS.

De proprietatibus entis in genere.

D. Thomas quinque proprietatis enti assignat: *res, aliquid, unum, verum, bonum*: quæ quidem *transcendentales* vocantur quia omni enti conveniunt, nec ab eo realiter distinguuntur. Dicuntur vero entis *proprietates*, quia sunt veluti varii aspectus, qui ens quodvis sequi concipiuntur.

(1) Atque ex hac affinitate proculdubio tractus italus philosophus, postquam sudavit et alsit in refellendis judiciis syntheticis a priori, ad sensum Kant, tandem fatetur, judicia *primitiva* ab ipso posita, merito vocari posse *synthetica a priori*: «Les jugements à l'aide desquels nous formons les concepts ou les idées des choses, sont donc *primitifs*, parce que ce sont les premiers que nous portons sur ces choses: ils sont *synthétiques*, parce que nous ajoutons au sujet quelque chose qui n'est pas en lui, ou pour mieux dire, parce que alors nous considérons le sujet en rapport avec quelque chose hors de lui, c'est-à-dire, avec une idée de notre entendement. Ces jugements peuvent encore être appelés *a priori* à juste titre; car, malgré la nécessité où nous sommes d'en recevoir des sens la matière, nous n'en trouvons la forme que dans notre entendement.» *Nouvel Essai*, etc. loc. cit., art. 27.

Ex quo etiam desumi potest ratio divisionis a D. Thoma assignatæ. Nam si ens aspiciamus in seipso et *absolute*, omne ens dicitur *res*, quatenus habet aliquam essentiam: sicut enim ens quodlibet denominatur *ens* ab esse sive existentia, ita dicitur *res* ab essentia; siquidem, ut bene habet D. Thomas, «ens sumitur ab actu essendi, sed nomen *rei*, exprimit quidditatem sive essentiam entis.» Si ipsum ens *absolute* sumptum, spectemus quatenus continet indivisionem, dicitur *unum*. Si vero ens inspiciamus *relative*, seu, ut habet D. Thomas, *secundum ordinem unius ad alterum*, vocatur *aliquid*, quatenus includit divisionem ab aliis entibus: «dicitur enim *aliquid*, inquit ille, (1) quasi aliud quid; unde sicut ens dicitur unum, in quantum est indivisum in se, ita dicitur *aliquid*, in quantum est ab aliis divisum.»

Denique, ens dicitur *verum*, ex ordine ad intellectum a quo cognoscitur aut cognosci potest: *bonum* vero, quatenus convenientiam, vel consensum cum appetitu seu voluntate aliqua præ se ferre potest. Ergo proprietates transcendentales entis, nihil realitatis enti addunt; sed sunt ipsum ens, prout variis relationibus rationis, subesse potest.

Porro, cum de essentia jam supra egerimus, et quoniam divisio ab aliis, quæ exprimitur nomine *aliquid*, quodammodo consequitur indivisionem entis in seipso qua *unum* constituitur, superest, ut præter unitatem, sermonem institamus de veritate et bonitate.

ARTICULUS SECUNDUS.

De unitate, identitate et distinctione.

Brevitati consulentes, ejusmodi notiones metaphysicas, per summa capita, sic exponimus:

1.^o Sicut unum est *ens indivisum in se*, ita unitas describi potest: *indivisio entis in plura ejusdem generis*. Ea quo colligitur, quod tam unum, quam unitas, includunt et signi-

(1) *QQ. Disp. De Verit. q. 1.^a art. 1.^o*

ficant primario aliquid positivum, nempe, ipsam entitatem rei, non tamen nude et absolute sumptam, sed quatenus connotat *negationem* divisionis. Dixi, *in plura ejusdem generis*; quia cum dicitur quod tale ens est indivisum in se ac idcirco *unum*, intelligitur hoc quatenus illud ens non est divisum, neque etiam potest dividi in plura entia ejusdem naturæ, quamvis simul possit dividi in plura diversi generis: sic homo, est ens unum et indivisum, quia nequit dividi in plures homines, quantumvis possit dividi in plura entia alterius generis, vel naturæ, ut in caput, brachia, pedes, etc. aut etiam in corpus et animam.

2.º Ex hac doctrina duo inferre licet: 1.º unitatem transcendentalem, minime pugnare cum compositione *reali* entis cui tribuitur; quamvis namque ens aliquod, ex. gr. *homo, arbor*, sit compositum ex *multis ac distinctis* partibus, id nihil officit ad hoc ut vere et proprie dicatur *unum* ens, *unus* homo, etc.: 2.º unitatem transcendentalem, identificari cum unitate *numerica*; omne quippe ens, quod est unum unitate transcendentali, eo ipso est unum unitate numerica; eatenus enim dicitur unum numero, quatenus indivisionem in se continens, ab aliis entibus est distinctum seu divisum, quod proprium est unitatis transcendentalis (1). Hæc unitas vocatur etiam *numerica*, quia plures unitates ejusdem generis vel rationis, constituunt *numerum*, atque sub hoc respectu,

(1) Acriter olim disceptatum fuit in Scholis circa *principium individuationis*, sive originem unitatis pure numericæ. Hanc unitatem, quidam repetebant ex ipsa existentia actuali, ut Henricus Gandavensis: alii, ex ipsa rei essentia: quidam, ut Scotus, ex forma quadam a natura formaliter distincta, quam *hæccitatem* solebant appellare: alii, a causa efficiente: quidam, eandem reponebant in collectione seu complexu accidentium quæ subjectum afficiunt: quidam denique, statuunt cum D. Thoma, principium individuationis, quoad substantias, esse *materiam signatam quantitatem*, hoc est, materiam quatenus dicit ordinem ad has vel illas dimensiones; quoad accidentia vero, obebant, esse ipsum subjectum cui inhærent. Ex qua doctrina legitime inferit D. Thomas, in angelis, utpote omnis materiæ expertibus, locum non habere unitatem pure numericam, illa ut in eis unitas et diversitas numerica, comitentur unitatem et diversitatem specificam.

Notandum tamen, rationalem animam unitati et diversitati nu-

quantitativa simul nuncupatur. Itaque, idem ens, v. gr. *homo*, dici potest unus unitate *transcendentali*, quatenus exprimit indivisionem in se: unitate *numerica*, quatenus ab omnibus aliis entibus distinguitur et dividitur: unitate *quantitativa*, quatenus habet *aptitudinem* ut sit principium et pars *numeri hominum*, seu pars multitudinis *eiusdem generis*, hoc est, hominum.

5.º Præter allatas divisiones, unitas potest esse, vel *simplicitatis*, quæ congruit rei omnino indivisibili, sive in res ejusdem, sive alterius rationis, ut est Deus: vel *compositionis*, quæ reperitur in omni ente composito ex partibus realiter distinctis. Hæc unitas compositionis dici potest *metaphysica*, si entis partes realiter distinguantur, at separari nequeant, ut existentia respectu angelorum: *physica*, si non solum distinctæ sed separabiles sint, ut anima et corpus in homine, brachium et pedes in animali: *moralis*, quæ respicit ens, ejus partes nexu morali, vel civili junguntur, ut *una* familia, *unus* populus: *logica* demum, quæ per solum intellectum, rei formaliter congruit, quamvis fundamentum ejus extra mentem existat, ut unitas specifica et generica.

4.º Sed maximopere notanda divisio unius, in *unum per se*, et *unum per accidens*. Unum per se dicitur illud quod habet *unicam* essentiam vel naturam actualem, sive hæc essentia sit in seipsa simplex, ut angelus, et anima rationalis; sive composita ex elementis essentialiter ordinatis ad unam naturam, vel substantiam constituendam, ut homo, animal, quorum partes, corpus, nempe, et anima seu principium vitale, ita uniuntur et coalescunt, ut *unam* et *unicam* physice substantiam et essentiam constituant. Unum vero per accidens locum habet quando duo ita conjunguntur, ut *unam* essentiam, vel naturam non constituant, ut *homo medicus*, est ens unum per accidens, quia medicina ita homini conjungitur, ut non concurrat ad constituendam ejus naturam humanam

mericæ subijci in theoria Angelici Doctoris; quia quamvis sit expertis omnis materiæ, est tamen essentialiter forma quæ apta est materiæ uniri, atque proinde numericæ multiplicatur per *ordinem* seu coaptationem, et commesurationem ad hanc, vel illam materiam quantitate præditam, cui conjungitur. Hæc sufficiat indicasse; opiniones enim hujusmodi discutere, nec licet, nec libet.

ant substantiam. Ad unitatem *per accideas* reducitur et spectas unitas moralis, de qua supra, idque, sive multitudo cui tribuitur unitas moralis, sit *ordinata*, ut exercitus, sive *confusa*, ut acervus tritici.

Cum natura unitatis, affinitatem et nexum habent notiones *identitatis*, et *distinctionis*, de quibus ut aliquid breviter attingamus.

5.^o Identitas describi potest: *convenientia rei cum seipsa*, quatenus, nempe, mens nostra, vi abstractionis et reflexionis, rem quasi geminam considerando attingit; ut dum pronuntiat: Petrus *idem* est sibi ipsi. Identitas porro dispesci potest

a) In *physicam* et *moralem*; quarum prima locum habet, dum substantia rei eadem perseverat secundum physicam realitatem, ut angelus vel anima rationalis: altera vero dicitur, cum res mutationi subest, quoad physicam ejus entitatem, eadem tamen manendo, vel secundum vulgatam existimationem hominum, ut dum domus integra successive et per partes mutatur; vel secundum dependentiam et subordinationem ad formam seu principia, quæ dant esse specificum rei: sic homo, identitatem retinet ex parte corporis, quinvis hujus partes de novo recedant et accedant; omnes quippe informantur, et esse humanum recipiunt ab eadem forma.

b) In *genericam*, *specificam* et *numericam*, quæ satis ex terminis constant, simulque ex prælibatis in Logica.

c) In identitatem *realem* et *rationis*, quam aliqui formalem appellant. Prima adest inter ea, quæ in rerum natura unum et idem sunt, quamvis distinctis conceptibus a nobis concipiantur, ut *animal* identificatur realiter cum *rationali* in homine. Secunda vero intercedit inter ea, quorum unum, neque existere, nec concipi potest sine altero, ut *homo*, idem est re et ratione cum *animali rationali*.

d) In identitatem *adæquatam* et *inadæquatam*; quarum prima habetur inter ea, quæ idem sunt secundum omnia principia rem constituentia: secunda, dum res identificatur incomplete cum aliquo ex principiis seu realitatibus eam constituentibus, ut contingit in toto respectu partium: sic, ternarius numerus identificatur inadæquate cum unitate, quæ est ejus principium et pars.

6.^o *Distinctio* identitate opponitur, sicut multitudo unitati; unde non secus ac identitas dividi potest,

a) In distinctionem *realem* et *rationis*: quarum prima, rebus congruit ante omnem operationem intellectus; altera, per hujus solam considerationem. Realis iterum dispescitur

b) In *substantialem*, quæ inter duas, vel plures substantias intercedit, *completaque* dicitur, si duæ substantiæ completæ, ut Petrus et Paulus, inter se comparentur; si secus, ut corpus et anima, *substantialis incompleta: accidentalē*, quæ habetur, sive inter substantiam et accidens, sive inter duæ accidentia: *modalem*, quæ viget inter substantiam et ejus modum; qui modus potest esse, vel accidentalē, ut velocitas respectu motus, vel *substantialis*, hoc est, ad genus et lineam substantiæ pertinens, ut subsistentia respectu nature.

c) *Distinctio* rationis, si fundamentum habet in re extra animam posita, dicitur *rationis ratiocinatæ*, ut distinctio inter *animal* et *rationalē* in homine: si secus, dicitur *rationis ratiocinantis*, et *pure mentalis*, ut distinctio inter *hominem* et *animal rationale*. Harum prima, vocari etiam solet *virtualis*, quatenus res cui tribuitur, quamvis in se et extra mentem sit una et eadem natura, complectitur tamen varios gradus perfectionis: sic, natura Petri continet gradus seu prædicata *substantiæ, corporis, viventis, animalis, rationalis*, qui tamen a parte rei constituunt unam et eandem naturam, absque ulla reali distinctione in Petro. Hæc itaque distinctio, quæ *distinctio*, seu quatenus unam secernit ab alio, est *distinctio solius rationis*, ut inter *substantiam* et *animalitatem* in homine, solumque *realis* dicitur fundamentaliter, quatenus res, eo ipso quod continet varios perfectionis gradus, fundamentum suppeditat rationi ad efformandos distinctos conceptus (1).

(1) Recentiores inepte, ad risum usque, distinctionem hanc *virtualem* interpretati sunt, ut videre fas est in eorundem operibus sæculo hocce et proxime elapso conscriptis. Ipsemet Guevara, qui ab Scholasticorum philosophia, cæteris minus abhorret, hæc scribit: «Distinctio virtualis, per auctores hujus sententiæ, est virtus distinctionis realis, ad evitanda contradictoria, quæ aliqui talia essent, si talis distinctio non daretur.»

ARTICULUS TERTIUS.

De veritate.

Quoniam de veritate satis diximus in Logica, pro conditione operis elementarii, superest ut hic pauca subjiciamus de vero transcendentali, quod inter proprietates entis annumeratur. Itaque

1.^o *Verum transcendentale* seu metaphysicum, est ipsum ens quatenus dicit ordinem ad intellectum: ratio quippe formalis veri, ut habet D. Thomas, sita est in adæquatione rei et intellectus. Ex quo infertur, verum transcendentale significare et includere primario ipsam entitatem rei, secundario, ejusdem ordinem ad intellectum, atque proinde omne verum transcendentale converti cum ente; quia eas, eo ipso quod ens et, dicit ordinem, tum ad intellectum divinum, cui actu adæquatur et a quo mensuratur, tum ad intellectum humanum, cui adæquari potest, veritatem cognitionis seu formalem in eodem determinans ac mensurans. Veritas ergo transcendentalis complete sumpta, definiri potest: *entitas rei prout adæquatur actu intellectui divino, et in potentia intellectui humano.*

2.^o Quia vero ens, per ipsam suam essentiam vel entitatem adæquatur intellectui divino, et aptitudinem habet ut adæquetur intellectui humano; sequitur, veritati transcendentali nihil addere enti nisi relationem rationis, ac proinde ens et verum sola ratione distingui. Attamen, secundum concipiendi modum, prius est ens quam verum; quia prius est concipere ens in seipso, quam per comparisonem et ordinem ad intellectum aliquem, ratione cujus enti advenit ratio formalis et denominatio veri.

3.^o Veritas transcendentalis, si spectetur prout refertur ad intellectum humanum, id est, prout aptitudinem seu capacitatem obtinet ad hunc sibi adæquandum determinando in ipso veritatem formalem, identificatur et convertitur eum cognoscibilitate rei; siquidem, res quælibet in tantum est cognoscibilis, in quantum est ens potens adæquare sibi intellectum humanum, ejusque veritatem mensurare. Quod quidem adeo verum est, ut etiam ea quæ in seipsis sunt non

entia, ut privationes, cognoscibilia sunt a nobis, per respectum et comparisonem ad ens reale.

4.^o Si hæc conferas cum his quæ in Logica circa veritatem statuta sunt, sequentia corollaria colliges:

Primum. *Ex veritatibus transcendentalibus, una major alia dici potest, ast veritas formalis seu cognitionis, prorsus est indivisibilis.* Si enim veritas transcendentalis convertitur cum ente, a quo non realiter sed sola ratione differt, quò perfectius ac nobiliter sit ens, major ac perfectior erit ejusdem veritas transcendentalis. Ast id locum non habet in veritate cognitionis, quæ tota sita est in conformitate ad rem cognitam, quæ si deficiat, falsitas exurgit, inter quam et veritatem nihil medium cadit.

Secundum. *Veritas cognitionis nostræ solum subjici potest mutationi, ex mutatione objecti quod respicit.* Cum enim hæc veritas, tota consistat in conformitate cum objecto cognito, deficere aut mutari nequit, nisi quatenus deficit aut mutatur objectum, prout evenire potest in propositionibus contingentibus, ut si dicam: *nunc pluit*, deficiente pluvia, deficit veritas propositionis. Ex quo plane consequitur, eas veritates cognitionis, quæ respiciunt objecta necessaria et immutabilia, aut continent et exprimunt relationes essentielles rerum, esse prorsus et absolute immutabilis, sicut ipsa objecta et relationes objectorum ad quæ ordinem habent; ut si dicam: *Deus existit: peccatum est malum: anima hominis est immortalis.*

Tertium. *Ergo impia simul et absurda existit doctrina Cousin et aliorum asseclorum moderni Eclectismi circa veritatem.* Doceat enim hi, nullam existere veritatem immutabilem et completam, quæ errorem, vel falsitatem excludat; immo vero affirmant, nullam existere revera errorem, sed omnia esse vera pro diversis rerum adjunctis et temporibus: ita ut error apparenter tantum sit error (1), ac veritatem in se contineat.

(1) Ut ea prætermittam, quæ Jouffroy, Lermnier cum aliis habent, sufficiat pauca ex ipso moderni Eclectismi parente, desumere: «L'erreur est un des éléments de la pensée pris pour la pensée tout entière, une vérité incomplete convertie en une vérité

Quartum. Ergo veritas transcendentalis triplici ratione defini potest. Nam, ex dictis, hæc veritas: 1.º convertitur seu identificatur cum ente: 2.º includit respectum ad intellectum aliquem: 3.º est causa et mensura veritatis nostri intellectus, vel cognitionis. Unde merito habet D. Thomas: «Secundum hoc ergo tripliciter veritas et verum defini inveniuntur. Uno modo, secundum id quod præcedit rationem veritatis, et in quo verum fundatur; et sic Augustinus definit in L. Solit.: *verum est id quod est...* Et alio modo definitur, secundum in quo formaliter rationem veri perficit; et sic dixit Anselmus in L. De verit.: *veritas est rectitudo* (conformitas vel adæquatio) *sola mente perceptibilis*; (sensus enim rationem veritatis non percipiunt) *rectitudo enim ista secundum adæquationem quamdam* (nempe, ad intellectum) dicitur... Tertio modo definitur verum, secundum effectum consequentem; et sic... Augustinus in L. De vera Relig.: *Veritas est qua ostenditur id quod est.* (1)

ARTICULUS QUARTUS.

De bono et perfecto.

1.º Bonum.

Sicut ens dicitur verum quatenus dicit ordinem ad intellectum, ita dicitur bonum quatenus dicit ordinem ad appetitum; unde bonitas transcendentalis est: *appetibilitas entis*. Et quia omne ens habere potest convenientiam cum appetitu aliquo, ideo bonum transcendentalis convertitur cum ente; atque, ut D. Augustinus agebat, *in quantum sumus boni sumus*. Itaque, bonum ab ente non distinguitur nisi distinctio-

complete. Il n'y a guère d'autre erreur possible. » *Introd. à l'hist. de la Phil.*, lect. 7.º « Toute erreur renferme une vérité dont le seul défaut est d'être incomplète... il faut se dire que toute erreur n'est qu'une apparence et couvre une vérité, et que l'erreur, si on peut s'exprimer ainsi est la forme de la vérité dans l'histoire. Toutes ces erreurs, c'est-à-dire toutes ces vérités, se succèdent; elles commencent et elles finissent. » *Ibid.*, lect. 6.º

(1) QQ. Disp. de Verit. q. 1.º, art. 1.º

ne rationis; ab ente siquidem, solum *nihilum* realiter distinguitur, quod sane rationem boni non habet.

Bonum porro, appetitum actu non movet nisi actu apprehendatur ut appetitui conveniens, juxta vulgatum axioma: *nihil volitum quin præcognitum*. Ex quo inferitur: 1.º bonitatem transcendentalis, esse appetibilitatem rei *fundamentaliter* sumptam, atque proinde, ab appetitione et perceptione independentem, sicut et ipsum ens, cum quo convertitur; bonitatem vero *actualem*, sive *formalem*, præsupponere perceptionem convenientiæ hujus entis cum appetitu: 2.º bonitatem istam actualem, congrue dividi in *veram* et *apparentem*, prout res appetita, vere congruit appetenti, vel congruere falso et immerito existimatur.

Quod attinet boni partitiones, easdem fere suscipit ac ens, ita ut possit dividi, in *absolutum* et *relativum*, *substantiale* et *accidentale*, *spirituale*, et *materiale*, etc. Ast vero, divisiones ipsi quadammodo propriæ sunt, præter memoratam boni *apparentis* et *veri*, quibus dispescitur: 1.º in *physicum*, quod rem perficit in ordine physico, ut vita, sanitas, robur, etc. et *morale*, quod rem perficit quoad mores, ut justitia, temperantia; quod proinde solum habet locum in entibus ratione et voluntate præditis: 2.º in *honestum*, *utile*, et *delectabile*; quorum primum est illud, quod appetibile est in seipso propter consonantiam cum recta ratione: alterum, quod non ratione sui, sed ratione alterius appetitur: tertium, cujus possessio fruitionem et quietem appetitus affert.

2.º Perfectum.

Perfectum, quod non raro cum bono confunditur, ab hoc tamen aliquid differt in rigore philosophico, juxta quem, *perfectum* dici posset: *ens quod continet summam realitatum quarum est capax ex vi propriæ naturæ* (1). Sic, *perfectus* di-

(1) Si perfectio accipiatur sub ratione appetibilitatis, hoc est, quatenus ens perfectum, qua tale, appetibile existit, tunc recte confunditur cum bono. Quo sensu sumit D. Thomas, dum ait: « Ratio boni in hoc consistit, quod aliquid sit appetibile; manifestum est autem, quod unumquodque est appetibile, secundum quod est perfectum, nam omnia appetunt suam perfectionem. » *Sum. Theol.*, 1.º P., q. 3, art. 1.º

etur homo, qui præter humanitatem, haberet omnia accidentia, seu physica, seu moralia, per quæ homo perfici potest. Juxta naturam ergo realitatum quæ in ente spectari possunt, exurgit perfectionis divisio,

a) In *essentialem*, quæ consistit in complexu realitatum seu determinationum essentialium; et *accidentalem*, quæ rei essentialiter jam constitutæ advenit, ut scientia. Hæc porro, utpote priorem supponens, *perfectionis* rationem plenius obtinet: unde quæ essentialem tantum perfectionem habent, denominantur *perfecta secundum quid*; quæ vero simul habent accidentalem, *perfecta simpliciter*.

Accidentalis perfectio, si spectetur ex parte virtutis seu virium subjecti ad operandum, dicitur *perfectio virtutis*, ut in medico maxime perito respectu ægritudinis; si vero spectetur prout subjectum adsequitur finem proprium, sive partialem, sive totalem et ultimum, ut homo dum Deo fruatur, dicitur *perfectio finalis*.

b) In *simplicem et mixtam*, seu, ut veteres agebant, in perfectionem *simpliciter simplicem*, et *simplicem secundum quid*. Prima est illa, quæ in suo conceptu nullum defectum seu nullum *non-esse*, sed puram realitatem involvit, ut sapientia, intellectus, voluntas: altera, realitatem simul cum aliquo defectu alterius realitatis in suo conceptu involvit, ut ratiocinatio, sensibilitas.

c) In perfectionem *formalem, virtualement et eminentem*. Prima est, quæ rei inest secundum propriam rationem formalem et explicitam, ut ratio in homine. Altera, quæ inest rei virtute seu potestate; idque, vel quia potest rem illam producere, quo sensu causa efficiens habet perfectionem sui effectus; vel quia res potest præstare id quod alia res præstat; quo sensu sol, virtute continet perfectionem ignis. Tertia, quæ rei non inest formaliter seu secundum propriam rationem, inest tamen ipsi alia perfectio, quæ perfectiori modo præstat id quod rei convenit ratione alicujus realitatis ipsi formaliter in hærentis, ut intellectio intuitiva Dei, eminenter continet intellectionem discursivam hominis.

Corollarium.

Ergo rejiciendus Locke dum statuit, bonum esse id quod voluptatem producere et augere, doloremve imminuere potest. Etenim, id nihil est aliud quam moralem hominis perfectio-

nem et ultimum finem, in corporis voluptate constituere, ac sensualismum morale prædicare.

ARTICULUS QUINTUS.

De pulchro.

Pulchri notio cum notione boni affinitatem habet maximam. Namque, ut scite et profundissime habet D. Thomas, (1) «pulchrum est idem bono, sola ratione differens. Cum enim bonum sit quod omnia appetunt, de ratione boni est quod in eo quietetur appetitus; sed ad rationem pulchri pertinet, quod in ejus aspectu seu cognitione quietetur appetitus. Unde et illi sensus præcipue respiciunt pulchrum, qui maxime cognoscitivi sunt, scilicet, visus et auditus, rationi deservientes; dicimus enim pulchra visibilia et pulchros sonos: in sensibilibus autem aliorum sensuum, non utimur nomine pulchritudinis; non enim dicimus pulchros sapes aut odores. Et sic patet, quod pulchrum addit supra bonum, quemdam ordinem ad vim cognoscitivam: ita quod bonum dicatur id, quod simpliciter complacet appetitui; pulchrum autem dicatur id, cujus apprehensio placet.»

Si hæc D. Thomæ verba conferantur cum aliis, in quibus de pulchritudine disserit, ejus doctrina æsthetica, ad sequentia capita revocari potest:

1.º Pulchrum generatim sumptum, identificatur cum bono, non quidem *adæquate*, quasi omne bonum sit proprie pulchrum, sed potius *inadæquate*, quatenus pulchrum præsupponit bonum, in eoque fundatur: malum quippe, pulchrum nunquam esse potest.

2.º Notio pulchri superaddit notioni boni ordinem ad facultatem cognoscitivam, ita ut pulchrum involvat convenientiam seu congruentiam quamdam cum determinata facultate cognoscente, cui veluti coaptatur.

3.º Ratio formalis vel *essentia* pulchri, «in debita pro-

(1) Sum. Theol. 2.º 2.º q. 47, art. 4.º ad 3.º

portione consistit, ut ait D. Thomas, (1) hoc est, in unitate simul cum varietate; proportio enim involvit plura sub unitate quadam ordinata et contenta, ac proinde unitatem cum varietate. Hæc autem varietas sive pluralitas elementorum objecti pulchri, potest esse, vel realis, ut in homine, in imagine picta, in flore; vel tantum virtualis et secundum rationis conceptum, ut in Deo.

4.° Pulchrum, aliud *absolutum* sive *ideale*, aliud *relativum*. Primum est unicum, nempe, Deus, qui «dicitur pulcher, ait D. Thomas, (2) sicut universorum consonantia et claritatis causa.» Siquidem, Deus ex una parte, continet absolutam unitatem, quatenus est *esse purum*; ex alia vero, infinitam varietatem, quatenus hoc unum esse, continet omnes possibles perfectiones. Est etiam pulchrum *ideale*, quatenus est exemplar archetypum omnis pulchritudinis: unde et reliqua omnia quæ pulchra denominantur, *pulchri* rationem plenius obtinent per accesum ad pulchrum hocce *ideale*, quod in Deo continetur et cum ipso identificatur. Atque hoc pulchrum finitum, quod in creaturis existit, et constituitur per accesum et participationem pulchritudinis absolute et idealis, est ipsum quod *relativum* merito vocabitur.

5.° Relativa pulchritudo esse potest, vel *sensibilis* et corporea, rebus, nempe, sensibilibus et materialibus inhærens, ut pulchritudo florum, ædificii, corporis humani, quæ apud D. Thomam, «in hoc consistit, quod homo habeat membra corporis bene proportionata cum quadam debiti coloris claritate:» vel *spiritualis*, quæ «in hoc consistit (3), quod conversatio hominis, sive actio ejus, sit bene proportionata secundum spiritualem rationis claritatem... et ideo honestum, est idem spirituali decori.» Ex quo licet colligere, pulchritudinem spiritualem in creatis, revocari, tanquam ad præcipuam et nobiliorem speciem, ad pulchritudinem moralem.

6.° Facultas pulchri est complexa, et veluti exurgens ex intellectu et imaginatione: ex *intellectu* quidem, quia solius est intellectus proportionem rerum seu relationem unitatis

(1) *Sum. Theol.* 1.° P. q. 5.°, art. 4.° ad 4.°

(2) *Ibid.* 2.° 2.° q. 145, art. 2.°

(3) *Loc. cit.*

cum varietate percipere: ex *imaginatione* vero, quia, experientia ipsa teste, determinata conditio et vivacitas imaginationis exquiritur ad pulchritudinem, præsertim creatam, sive percipiendam, sive producendam. Atque ex hac parte, exurgit in homine aptitudo seu facilitas quædam ad pulchrum non percipiendum modo, sed etiam *sentiendum*: hæc facilitas, *sensio pulchri* (sentimiento de lo bello) non immerito appellatur; sicut facultas complexa, ex ratione et imaginatione exurgens pro pulchro percipiendo et dijudicando, *gustus* solet vocari. (1)

Tandem, quando objectum pulchrum facultatem, qua attingitur, vivide percipit propter sui præstantiam, ita ut stuporem contemplationis in eadem ingeneret, *sublime* tunc denominatur, cui proinde opponitur *horribile*, sicut pulchro opponitur *deforme*.

7.° Ergo rejicienda notio pulchri a Gioberti tradita, dum eam constituit in junctione elementi intelligibilis cum elemento sensibili, imaginationis ope peracta. Siquidem, ut alia quæ hujus opinionis falsitatem evincunt omittamus, hæc notio pulchri ad sensualismum vergit, quatenus rationem pulchri aufert a rebus pure spiritualibus, ab ipsoque Deo, quibus nullum inest elementum sensibile.

Atque ex præactis notionibus, licebit nobis theoriam pulchri universim veluti delibare, seu potius ejus præcipua et generalia lineamenta innuere. Itaque:

(1) Vid. Cousin, *Du Vrai, du Beau et du Bien*, lect. 6.° et 7.° Reid, *Œuvres compl.* 4. 5.° Essai 7.° cap. 1.° et seq. quorum theoria circa pulchrum, affinitatem continet cum theoria D. Thomæ. Atque Reid, de divisione pulchri creati vel relativi, hæc habet inter alia: «Il y a un beau moral comme il y a un beau physique; il y en a du beau dans les objets des sens comme il y en a dans ceux de l'intelligence.» *Loc. cit.* cap. 1.° Similiter Cousin, non secus ac D. Thomas, Deum agnoscit et prædicat pulchrum *ideale* et causam omnis pulchritudinis: «L'ideal recule sans cesse à mesure qu'on en approche davantage; son dernier terme est dans l'infini, c'est-à-dire, en Dieu; ou pour mieux parler, le vrai et absolu ideal n'est autre que Dieu même. Dieu étant le principe de toutes choses doit être à ce titre celui de la beauté parfaite, et par conséquent de toutes les beautés naturelles qui l'expriment plus ou moins imparfaitement.» *Loc. cit.* lec. 7.° pag. 169. Vid. quoque *Estudios sobre la Fil. de Sto. Tom.*, l. 2.° cap. 28.

a) Essentia seu ratio constitutiua pulchritudinis, secundum se spectata et prout abstrahit a determinatis formis, complectitur: 1.^o *ideam veri*; nihil enim vere pulchrum esse potest, nisi veritati, saltem metaphysicæ seu transcendentali, quæ identificatur cum realitate objectiva rei, innitatur: 2.^o *ideam perfecti*, in qua includitur ac veluti involvitur, tum *idea boni*, sine qua nihil perfectum esse potest; tum *idea infiniti*, nam perfectum, qua tale, excellentiam et præstantiam supra alia includit, simulque carentiam defectus: quæ omnia per se ideam infiniti præ se ferunt vel offerunt: 3.^o *ideam ordinis* seu unitatis cum multiplicitate conjunctæ; quoniam, experientia ipsa teste, pulchritudo quævis pluralitatem, aut elementorum, aut perfectionum, prout vel harmoniæ, vel unitati subsunt, complectitur.

b) Ergo pulchritudo congrue posset definiri: *Splendor harmonicus veri et infiniti*. Cujus definitionis rectitudo et veritas ex præcedenti analysi notionis essentialis pulchri exsurgere videtur, simulque empirice seu à posteriori demonstrari potest; quoniam cuilibet pulchritudini, quantumvis inferiori, qualis est pulchritudo sensibilis, accommodatur.

c) Triplicem, et distinguere, et assignare oportet pulchritudinem, seu potius, triplex pulchritudinis genus existit. *Pulchrum ideale* seu absolutum, quod est Deus, cui definitio pulchri, perfectissima et absoluta ratione competit; quippe qui continet, et summam *veritatem*, et summam *rationem infiniti*, et summam *unitatem*, quatenus simplicissimus quoad substantiam et entitatem est, et summam *pluralitatem*, quatenus ideas archetypas rerum omnium actualium et possibilium, simulque omnes perfectiones in unitate et sub unitate essentia continet. *Pulchrum morale*, quo nomine significatur non sola pulchritudo rerum stricte moralium, sed etiam quarumcumque rerum spiritualium et intelligibilium, quæ ab ideali et absoluta pulchritudine deficiunt; sive res illæ sint pure spirituales, ut intelligentia, ordo moralis, angelus; sive sensibiles reddi queant, ut scientia, virtus, alia hujusmodi. *Pulchrum sensibile*, quod in sensibili materia existit, quodque non solum ratione, sed sensibus et imaginatione simul percipitur, ut pulchritudo corporis, cæli, maris, concentus musici, etc. *Pulchrum ideale*, utpote perfectum et absolutum, habet rationem regulæ, mensuræ et typi respectu

duorum aliorum; quæ idcirco pulchri rationem magis aut minus sibi vendicant, secundum quod magis aut minus participant de pulchro illo ideali.

d) Infertur ex his, 1.^o omne pulchrum involvere ac continere elementum ideale, vel intrinsece ac per identitatem, ut contingit in Deo, pulchro absoluto; vel saltem extrinsece aut per participationem, secundum quod pulchra moralia et sensibilia, magis aut minus accedunt, tum quoad propriam et subjectivam entitatem, tum quoad ideas et affectus quæ in nobis excitant, ad pulchrum illud ideale et absolutum.

e) Infertur 2.^o fundamentum ontologicum, ac rationem primam sufficientem pulchritudinis creatæ, esse Deum, qua pulchrum ideale constituit, hoc est, quatenus in unitate essentia et intellectus, continet infinitas ideas archetypas rerum: quæ res, eatenus dum existunt pulchræ dicuntur et revera sunt, quatenus respondent et adæquantur ideæ pulchritudinis in mente divina præexistenti. Enimvero, si pulchritudo nihil est aliud quam splendor veri, idem fundamentum ontologicum habeat opus est, ac ipsa veritas. Sicut ergo ratio et mensura veritatis transcendentalis in rebus creatis, desumitur ex rerum adæquatione cum ideis divinis, ita ratio et mensura pulchritudinis creatæ, desumitur ex ejusdem adæquatione cum idea quæ continetur in mente Dei.

f) Infertur 3.^o pulchrum ideale discriminari præterea a pulchro morali et sensibili, quia elementum omne sensibile a se excludit: ast duo alia pulchra, duplex elementum, aut continent, aut præsupponunt; ipsa enim intelligentia hominis, a sensibus pendet, ac per sensibilia perficitur et revelatur, ita tamen ut elementum spirituale et intelligibile in pulchritudine morali, magis dominetur quam in pulchris sensibilibus.

g) Si spectetur pulchrum quatenus effectus hominis esse potest, tres præsertim conditiones vel perfectiones in artifice præsupponit atque præexigit: quarum prima est, ut pulchri notionem, discrimina et elementa recte percipiat ac dijudicet: secunda, ut proportionem seu relationem elementi sensibilis eum spirituali, quæ operi efficiendo, attenta ejus natura aut conditione, congruit, recte et tuto agnoscat et dijudicare valeat: tertia, ut percipiat ejusdem operis relatio-

nem et affinitatem cum pulchro ideali eidem respondente in mente divina, cujus quamdam veluti intuitionem habere debet artifex. Prima perfectio appellari posset, *ratio æsthetica*; altera, *imaginatio æsthetica*; tertia, *intelligentia æsthetica*. Ex tribus simul junctis, exurgit adæquata *facultas æsthetica* seu *genium* artificis.

h) Scientia quæ circa pulchrum versatur, *æsthetica* solet nuncupari, eaque posset definiri: *Cognitio scientifica pulchri atque formarum seu manifestationum ejus*. Ad hanc porro scientiam spectat: 1.º agere de pulchro secundum se, ejus intimam essentiam, principia, elementa et proprietates, exponendo ac evolvendo: 2.º agere de pulchro quoad duplicem ejusdem manifestationem seu formam fundamentalem extra Deum, nempe: 1.º quatenus existit atque revelatur in operibus naturæ, a procella maris usque ad lilium agri; et 2.º quatenus existit atque revelatur subjective seu causaliter in homine, exponendo conditiones et qualitates, quæ homini inesse debent ad perceptionem, ac effectum operis pulchri: 3.º tandem agere de pulchro, quatenus existit ac revelatur ope artis architectonicæ, statuariæ, pictoriæ, musicæ, ac poësis, quæ idcirco *pulchræ artes* audiunt.

Atque ad postremam istam æsthetice partem pertinet, inter alia, conferre artem ethnicam cum arte christiana, animadvertere in quo convenient aut discriminentur, assignare sufficientem rationem præstantiæ posterioris respectu prioris, utriusque evolutionem et phases exponere et criticè dijudicare; quæ omnia æsthetice peritus minime perficere poterit, nisi *historiam artis* in auxilium advocet.

ARTICULUS SEXTUS.

De Malo.

§ I.

Notio et divisio mali.

Quia bono malum opponitur, breviter hic disserere oportet de malo, quod quidem dupliciter sumi potest: 1.º *concrete* et *adæquate*, pro subjecto simul cum forma, seu pro na-

tura quæ habet malum; quo sensu definiri potest: *natura privata perfectione sibi debita*: 2.º *formaliter*, pro ipsa ratione mali; quo sensu nihil est aliud quam *carentia perfectionis in subjecto cui debetur*.

Ex quo facile colligitur, malum formaliter sumptum, de quo solo nunc loquimur, in seipso esse nihil seu *non-ens*; ast simul necessario præsupponere *ens aliquod positivum*, cui inest et in quo fundatur: «unde relinquatur, inquit D. Thomas, quod malum, secundum quod est malum (malum *formale*), non est aliquid in rebus, sed est alicujus particularis boni privatio alicui particulari bono inhærens» (1).

Pro cujus pleniori intelligentia, sicut et aliarum rerum quæ privationem involvunt, sedulo notare oportet, privationem respicere duo entia; unum, quod totaliter excludit seu tollit; alterum, quod non excludit, sed e contra necessario supponit: sic *cæcitas*, totaliter excludit *visum*, et simul ponit vel supponit *animal*, in quo carentia visus habet locum. Similiter ergo malum, quod opponitur bono, ac proinde enti, quod cum bono convertitur, ex una parte, involvit carentiam alicujus boni vel entis determinati; et sub hoc respectu potest dici *non-ens*: ex alia vero, necessarium dicit ordinem ad subjectum vel naturam quæ privatur tali bono determinato et particuli ipsi debito; et sub hoc respectu, malum est aliquid positivum et ens reale. Apposite ad rem D. Thomas (2): «Oportet ergo quod malum, quod naturaliter opponitur bono, opponatur etiam ei quod est esse. Quod autem est oppositum ei quod est esse, non potest esse aliquid: unde dico, quod id quod est malum, non est aliquid. Sed id cui accidit esse malum (natura cui inest malum), est aliquid, in quantum malum privat non nisi aliquid particulare bonum: sicut et hoc ipsum quod est esse *cæcum*, non est aliquid; sed id cui accidit *cæcum esse*, est aliquid.»

Ex hac mali notione, duo merito colligit D. Thomas: 1.º quod *bonum est causa mali*: 2.º quod, malum non habet causam per se.

(1) QQ. Disp. De Malo, q. 4.º art. 4.º

(2) Loc. cit.

Primum, quantumvis paradoxum prima fronte videatur, facile elucescet ei qui cogitet, naturam *privari* non posse perfectione sibi debita, hoc est, bono particulari quod sibi naturaliter inest et debetur, nisi per influxum alicujus causæ realis; sicut homo, cæcus non evadit, nisi per aliquam causam quæ ejus visum tollat vel destruat; atqui omnis causa realis, est ens reale ac proinde bonum, cum omne ens sit bonum, ut demonstratum est: ergo merito docet D. Thomas, «quod causa mali est bonum.»

Pronuntiatum alterum, his verbis declarat idem Angelicus Doctor: Malum (1), in quantum hujusmodi, non potest esse intentum, nec aliquo modo volitum vel desideratum: quia omne appetibile habet rationem boni, cui opponitur malum in quantum hujusmodi (sub ratione mali); unde videmus quod nullus facit aliquid malum nisi intendens aliquid bonum, (verum vel apparens) ut sibi videtur... Unde relinquatur quod malum non habeat causam per se.»

Quod spectat mali divisionem, congrue et adæquate dividitur in *physicum* et *morale*. Etenim malum, vel est privatio perfectionis seu entitatis aptæ naturam perficere in ordine physico, ut visus quo privat cæcitas, hominem in ordine physico perficit; et tunc dicitur *physicum*; vel est privatio perfectionis debitæ actibus in ordine morali, sive conformitatis ad legem regulantem actus naturæ intellectualis; et tunc dicitur *malum morale*, ut adulterium. Rejicienda itaque opinio Leibnitz, adstruentis, malum *metaphysicum*, quod apud ipsum est limitatio creaturarum, seu carentia quarundam perfectionum in qualibet creatura. Sic planta, ex. c. quamvis possideat quasdam realitates, simul caret aliis, ut intellectu, quæ carentia, ejus malum metaphysicum constituit, apud Leibnitz.

Ast perperam et immerito malum hocce metaphysicum asseritur: 1.º quia pugnat cum notione propria et formali mali, quod non in mera negatione, sed in privatione perfectionis subjecto ex propria natura debitæ positum est: 2.º quia ex ipso communi hominum sensu, mera negatio,

(1) QQ. Disp. De Malo, q. 1.º art. 3.º

hoc est, carentia perfectionis quæ subjecto non debetur, ejus malum nec est, nec vocatur; nemo enim lapidem concipit ut malum, ex eo quod intellectu careat. Qua in re egregie D. Thomas: «Remotio boni negative accepta (mera negatio boni seu perfectionis determinatæ), mali rationem non habet; alioquin sequeretur quod ea quæ nullo modo sunt, mala essent; et iterum, quod quælibet res esset mala ex hoc quod non habet bonum alterius rei, utpote quod homo esset malus, quia non habet velocitatem capræ, vel fortitudinem leonis.» (1)

§ II.

Error Manichæorum et Bayle circæ originem mali refellitur.

Superest ut Manichæorum errorem, quem Bayle restitue-
re aggressus est (2) sæculo decimo septimo, paucis refellamus.
Pro quo sit.

THESIS.

Regnat dari primum aliquid principium quod sit summe malum.

Prob. 1.º Per primum principium summe malum, vel intelligitur summa carentia boni, ita ut illud principium excludat omne bonum, vel intelligitur ens summam habens propensionem ad malum producendum; atqui utrovis modo accipiatur, absurdum involvit: ergo.

Prob. 2.º quod primam partem. Summa carentia boni, includit summam carentiam entis, cum ex dictis, bonum

(1) Sum. Theol. 1.º P. q. 48, art. 3.º

(2) Equidem, scepticus hic scepticorumque recentiorum parens fatetur demonstrari posse *a priori*, non existere duo illa prima principia Manichæorum; at simul contendit, horum systema veritatem præ se ferre, vel saltem absurdum demonstrari non posse, si solæ probationes seu momenta *a posteriori* attendantur: ex quo tandem infert, Manichæorum systema circa existentiam principii summe mali, cum existentia principii summe boni, per solam revelationem, ex qua Dei unitas, et hominis originale peccatum constant, refelli posse. Errorem hunc Bayle confutavit præ ceteris Leibnitz in opere, cui titulus: *Essai de Theodic.*

convertatur cum ente, et omne ens, quia ens, boni rationem habeat; atqui summa carentia entis, idem est ac *non-ens* absolutum, seu nihilum: ergo primum principium summe malum, hoc sensu acceptum, identificatur cum nihilo.

Quoad 2.^{am} partem aperte constat: primo, quia revera implicat in terminis hic sensus; quia ex una parte, illud principium esset bonum, eo ipso quod supponitur ens reale; et ex alia parte, nihil haberet boni, eo ipso quod supponitur *summe malum*, utpote summam habens propensionem ad malum, ac proinde a se penitus excludens quodcumque bonum. Secundo, quia illud principium, cum supponatur primum, independens a principio bono, et proinde a se et necessario existens, continere debet omnes perfectiones possibles, quia nihil est quod eidem limitationem conferre possit; secus enim, jam non primum, nec independens, nec a se existens vere diceretur. Nec alia ratione probamus, Deum cunctas possibles perfectiones continere, infinitatemque sibi vindicare, nisi quia a se necessario existit, independentem a quovis alio ente: ergo principium illud, si existeret, necessario haberet summam et infinitam bonitatem, ac proinde non solum non summe malum, ad sensum manichæorum, sed nec vel minimum malum appellari potest.

Prob. 2.^o Malum ut malum, nullam realitatem seu essentiam ponit, sed tollit et negat, ut cœcitas, quatenus malum hominis et in se spectata, tollit essentiam seu *realitatem visus*: ergo res summe ac proinde essentialiter et omnimode mala, tollit et negat omnem realitatem, atque identificatur cum puro nihilo. Ad rem D. Thomas: «Si aliquid est summe malum, oportet quod per essentiam suam sit malum; sicut summe bonum est quod per suam essentiam bonum est. Hoc autem est impossibile, cum malum non habeat aliquam essentiam: impossibile est igitur ponere summum malum, quod sit malorum principium.» (1)

(1) *Sum. cont. Gent. lib. 3.^o, cap. 15.*

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.^o Cum Bayle. Facultas seu potentia peccandi quæ inest libero arbitrio hominis, procedere nequit a principio summe bono: ergo derivatur ab aliquo principio summe malo. Prob. cons. Quod est malum, a malo principio tantum oritur; sed præfata facultas liberi arbitrii est mala: ergo.

Resp. 1.^o Dist. ant. Facultas, etc. *si sumatur pro ipso libero arbitrio quatenus includit potentiam ad bene, vel male agendum*, neg. *si sumatur hæc facultas pro defectibilitate radicali liberi arbitrii*, conc. Principium summe bonum, sive Deus, est causa liberi arbitrii; quod quidem in seipso perfectio est realis, simul tamen involvens aliquam imperfectionem, sicut contingit in omni re creata. Sicut ergo Deus est causa animalis, quamvis animal includat carentiam alicujus perfectionis, ex. c. intellectus, ita est causa liberi arbitrii, quamvis hocce liberum arbitrium in homine includat aliquam imperfectionem quam non habet in ipso Deo, nempe, facultatem seu potentiam ad peccandum, quæ eidem inest, eo ipso quod est creatum et ex nihilo eductum.

Resp. 2.^o Etiam omisso ant. neg. prob. cons. Nam falsum prorsus est, malum oriri tantum posse a principio malo. Quin potius, ut ex demonstratis patet, malum, præsertim morale, fundatur in bono, et a bono tanquam a causa efficiente procedit; cum enim sit privatio alicujus boni particularis, quod subjecto inesse natum est, necessario exigit actionem et influxum realem alicujus causæ bonum illud impediens aut destruentis.

Objic. 2.^o Bonum summum illud dicitur quod excludit omne malum; aliter enim jam non esset summum; atqui videmus multa mala existere: ergo admittere oportet principium malorum, quod in seipso sit summum, et æque potens ac principium bonum.

Resp. Dist. ant. Summum bonum excludit omne malum a seipso, conc. a suis effectibus, subd. *si rationem sufficientem non excludendi habeat*, neg. *aliter*, trans. Itaque, quamvis Deus, utpote summum bonum, nullum mali consortium in se pati possit, bene tamen pati potest in effectibus; quibus quidem necessario inest malum radicale, seu possibilitas ma-

li, quamvis defectus, vel mala actuali sint absolute contingentia. Nam, ut merito habet Leibnitz, (1) «fundamentum mali est necessarium, sed ortus tamen contingens; id est, necessarium est ut mala sint possible, sed contingens est ut mala sint actualia.» Sed

Urgebis: Assignari nequit ratio sufficiens transitus malorum e possibilitate ad actum: ergo permanet argumentis tuis.

Resp. Irrationabile penitus esse, inficiari aut etiam dubitare, Deum sufficientes rationes habere ad mala actualia producenda aut permittenda, ex eo quod nos rationes haece assignare non valeamus. Si enim praeculis habeamus ex una parte infinitam Dei sapientiam, bonitatem et justitiam, et ex alia parte, mentis nostrae imbecillitatem, summamque ignorantiam in qua versamur circa ipsa manifestissima et quotidiana naturae, statim agnosceamus et fatebimur cum D. Augustino, existentiae malorum actualium, *occultam causam esse posse, injustam esse non posse*. Adde his, nos bene posse assignare causas aliquas rationabiles actualium malorum. Ac primo quidem, quia Deus ex malis majora bona elicit; nam ut cum DD. Augustino et Thoma loquamur: «Deus omnipotens, nullo modo sineret malum aliquod esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens et bonus, ut bene faceret etiam de malo.» Secundo, quoad mala physica et poenae, eis tanquam generalis ratio assignari potest ordo Universi, qui exurgit ex rerum harmonia et oppositione, successione, motu et veritate, quae omnia exquirunt defectus, privationes et corruptiones; sicut ignis non existit nisi lignum destruat, nec *granum frumenti nisi mortuum fuerit multum fructum affert*, nec pluvia agros fecundat, nisi afferens frigus, aut humiditatem agro periculosa, aut tempestatem et fulmina. Deus ergo, ut ait D. Thomas (2) «malum naturalis defectus, vel malum poenae, vult volendo aliquod bonum cui conjungitur; sicut volendo justitiam, vult poenam, et volendo ordinem naturae servari, vult quaedam naturaliter corrumpi.» (3)

(1) *Causa Dei asserta per just.* num. 69.

(2) *Sum. Theol.* 1.^o P. q. 49, art. 9.^o

(3) Id. ut mittam, non pauca ex malis, quae homini aliisque

Tandem, quoad malum morale, praeter hucusque allatas rationes, quae omnes pro eo etiam militant, speciales praeterea assignari possunt. Nec enim incongrue dicitur, permissionem peccati in aliquibus hominibus, ordinari ad exercitium et perfectionem virtutis in aliis; patientia enim martyrum ex persecutione tyrannorum, et Sanctorum sanctitas ex impiorum tentationibus, calumniis et scandalis, aucta et firmata evadit. Maxime quoque hac ratione elucet Dei attributa, misericordia, dum errantes ad viam revocat et suscipit; justitia, dum obstinatos punit, sicque de aliis.

Objic. 5.^o Si principium summe bonum unice existeret, explicari non potest congrua ratione origo mali, praesertim moralis: ergo. Prob. ant. Vel principium istud summe bonum mala non tollit quia non potest, quamvis velit, et tunc Deus est imbecillis et finitus; vel quia potest, sed non vult, et tunc erit invidus, quod sane alienum est a Deo: ergo.

Resp. Neg. ant. Ad prob. conc. antec. quoad secundum partem, negatur ejus sequela. Quandoquidem, absurdum est invidiam tribuere Deo, cui, utpote infinito, nihil addi aut detrahi potest, quique creaturas ex nihilo libere ac ex sola bonitate produxit, aequali felicitate praeditus ante et post earundem productionem. Itaque, ex eo quod Summum Bonum possit et non velit omnia mala tollere, consequitur solummodo ipsum habere in thesauris scientiae et sapientiae divinae, juxta motiva congruasque rationes, quamvis saepe nobis ignotas, ad hujusmodi mala non tollenda. Quod si de malis moralibus speciatim fiat sermo, ipsorum efficiens et sufficiens causa est humana voluntas, quae ex innata libertate, ab ordine morali recedere potest; minime vero Deus, nam, ut bene habet D. Thomas, «malum culpa quod privat ordinem ad bonum divinum, Deus nullo modo vult,» quamvis aliquando permittat seu non impediatur propter, rationes Dei sapientiae, justitiae et providentiae consentaneas.

rebus accident. ex hominis voluntate et culpa originem ducere. De qua re apposite et merito Leibnitz: «In hac vita multi queruntur in universum, quod humana natura tot malis exposita est, parum cogitantes, magnam eorum partem ex culpa hominum fluere, et revera non satis grate agnosci in nos divina beneficia, magisque attentionem ad mala quam ad bona nostra verti.» *Loc. cit.* num. 52.

CAPUT TERTIUM.

DE CAUSIS ENTIS.

ARTICULUS PRIMUS.

Generalis notio ac divisio causæ.

Quoniam *causæ* nomen et notio, pluribus rerum generibus *causalitatem* includentibus congruit, non ita facile defini potest, dum generatim accipitur. Describi tamen potest: *Principium continens in se rationem transitus alterius rei de non esse ad esse.* Per priora verba causa convenit cum principio, quod ad ipsam tanquam genus comparatur; principium enim exprimit tantum *in a quo aliquid procedit*, abstrahendo a modo procedendi, qui potest esse cum vel absque reali et physico influxu, atque etiam per realem distinctionem et dependentiam procedentis, vel secus. Dum dicitur *alterius rei de non esse ad esse*, exprimitur id quod causa principio superaddit; quatenus id quod ab alio tanquam a causa procedit, ita procedit ut transeat de non esse ad esse, saltem quoad aliquid et inadæquate, simulque naturam vel essentialitatem habeat realiter distinctam a natura principii. Posset etiam vocari causa, *id quod concurrit ad effectiorem alterius*, sicut *effectus* dicitur id quod exurgit ex effectiione alterius. Ex his colliges sequentia.

1.º Quamvis omnis causa sit principium, non tamen omne principium est causa; quia, ut habet D. Thomas, hoc nomen *principium*, ordinem quemdam importat: hoc vero nomen *causa*, importat influxum quemdam ad esse causati. Sic, aurora ex qua incipit dies, hujus principium, non tamen causa, dici potest.

2.º Ad rationem causæ duo præsertim requiruntur: 1.º ut res ex illa procedens transeat de non esse ad esse, vel inadæquate, ut dum res creatur, vel saltem inadæquate, ut dum ex materia præexistente, ut ex marmore statua, fit: 2.º ut res causata dependentiam et distinctionem realem habeat ex causa; nam id quod transit de non esse ad esse ex vi et vii;

tute alterius, ab hoc plane dependet quatenus ab eo recipit esse, simulque realiter ab eo distinguitur; causa etenim prior est effectui, nec hujus esse producere potest, nisi quatenus ipsa in se prius esse habet distinctum ab esse effectus, quod adhuc non est. Quapropter merito latini (1) Patres et theologi docent, salvari quidem rationem principii, non vero causæ, in augustissimo Trinitatis mysterio; quia ibi persona procedens, nec incipit de novo esse transiens de non esse ad esse, nec naturam habet, aut dependentem, aut realiter distinctam a principio a quo procedit.

3.º Quamvis causa prior sit effectui, vel tempore, vel saltem naturæ prioritate, ad quam requiritur distinctio et dependentia naturæ procedentis ab alio, *principium* tamen, solam prioritatem originis exquirat; quæ tunc datur, quando principium naturam *eandem*, non distinctam aut dependentem communicat principiato. Sic Pater in divinis, non tempore, nec natura; sed origine tantum, prior est Filio.

Causarum genera ad quatuor commode revocari possunt. Siquidem, ad effectum producendum concurrere possunt: 1.º materia vel subjectum ex quo fit: 2.º forma seu realitas, quæ effectus naturam determinat, atque in hac vel illa specie constituit: 3.º agens, quod physice influit et operatur ad formam ponendam in materia: 4.º bonum, quod allicit agens intellectuale ad effectum producendum, vel finis ad quem effectus tendit ex naturæ Auctore et supremo ordinatore. Rex exemplo fiet manifesta: ad conficiendam vel producendam statuam Cæsaris, requiritur marmor ex quo conficiatur, tanquam causa *materialis*: dispositio congrua marmoris pro Cæsare representando, tanquam causa *formalis*: artifex qui marmoris hanc dispositionem seu formam determinatam sua actione tribuat, tanquam causa *efficiens*: tandem lucrum, fama, vel bonum aliud, quod artifex obtinere intendit per statuam, quodque eundem determinavit et allexit ad ipsam conficiendam, tanquam causa *finalis*.

Quidam addunt causam *instrumentalem* et causam *exem-*

(1) Dico latini, quia Orientalis Ecclesiæ Doctores nomen *principii* et *causæ*, dum de Trinitate loquuntur, indifferenter usurpant.

plarem. Sed prima, merito revocatur ad efficientem, quippe ea, si vere causa est et prout a puro medio distinguitur, actione sua physica concurrere debet ad productionem effectus, sicut serra *scindendo*, et penicillus colores aple suscipiendo et *distribuendo*, concurrunt ad confectionem scamni et imaginis. Attamen, hæc activa cooperatio instrumenti, necessario requirit motionem seu influxum actualem causæ principalis, per quam motionem, instrumentum quasi elevatur ad rationem causæ efficientis actualis. Quamvis namque scindere, ex. gr. sit actio propria serræ, at scindere *tali modo* ut scamnum producat, serræ convenit, non ex seipsa, sed ratione motus et directionis quam recipit ab artifice.

Itaque instrumentum, qua tale, involvit ex una parte, aptitudinem seu virtutem ad aliquam actionem ipsius propriæ naturæ respondentem, ut scindere serræ, contundere malleo, ex propria conditione respondent: ex alia vero parte, motum seu influxum actualem receptum a causa principali, ratione cujus instrumentum elevatur ad productionem effectus, qui excedit ejus propriam vim et conditionem; sicut malleus, ex motu et influxu artificis elevatur ad conficiendam statuam, qui effectus superat conditionem mallei, et actionem contundendi secundum se sumptam.

Causa vero *exemplaris* facile reducit ad formalem, quatenus *extrinsece* determinat et constituit effectum, in determinata specie. Forma enim quam artifex, ex. gr. in marmore ponit, quæque statum interne constituit, nihil est aliud quam applicatio et imitatio ideæ sive formæ in mente artificis præexistentis: unde determinatio specifica entis, quæ immediate et interne perficitur per causam formalem, mediate et externe efficitur per causam exemplarem. Revocari etiam hæc potest ad causam finalem, quatenus artifex *intendit* ideam typicam, quam mente præhabet, applicare et transferre ad materiam.

Hæc quatuor causarum genera, si ad invicem comparentur, ita in creatis ordinantur, ut prior sit causa materialis, quia ex nihilo nihil fit, et omne creatum agens, materiam in qua operetur præexigit: deinde, sit causa finalis, quæ agentem excitat ad operandum: tertio, causa efficiens, quæ formam in materia ponit: quarto, causa formalis, ex cujus pro-

ductione et unione cum subjecto vel materia exurgit effectus.

Si vero de causis loquamur *prout effectum* respiciunt, ita se habent, ut causa finalis in agente bene ordinato sit nobilior effectu; nam finis, ut finis, præstantior est medio, et effectus productus se habet ut medium ad finem intentum adsequendum. Causa efficiens, si instrumentalis sit, potest esse imperfectior aut inferior effectu; at si principalis sit, vel nobilior, vel saltem æque nobilis existit cum effectu; nulla res enim dat alteri, quod actu vel virtute non habet. Causæ materialis et formalis, seorsim sumptæ, imperfectiores sunt effectu, qui ex eis veluti partibus coalescit, ut homo ex anima et corpore; at si conjunctim et simul sumantur, æque perfectæ sunt ac ipsarum effectus, quocum identificantur.

ARTICULUS SECUNDUS.

De causa efficiente.

§ I.

De notionem et existentia causæ efficientis.

Prænotanda:

1.º Causa efficiens sumitur *materialiter*, quando spectatur quatenus est res quædam habens virtutem ad producendum effectum, quem tamen non producit; quæ dici etiam solet *causa in actu primo*. Sumitur *formaliter*, quando spectatur prout exercet vel exercuit munus causæ per influxum physicum in effectum; sub quo respectu, suscipit etiam denominationem causæ *in actu secundo*.

2.º Relatio quæ intercedit inter efficientem causam et ejus effectum, non est puræ *successionis*; tum quia non repugnat effectus causæ coexistens et simultaneus, ut lux respectu solis; tum quia mera successio dari potest absque efficienti causalitate, sicut contingit dum dies nocti succedit. Unde turpiter erravit Locke, dum notionem causæ in præcedentia relativa et successione phænomenorum constituit. (1) Nec sufficit ad rationem causæ efficientis *connexio*

(1) «Après avoir vu que dans la substance que nous appelons ei-

necessaria; possunt enim duo entia necessario et constanti nexu ligari, quin unum sit causa alterius, prout contingit in causa necessario et naturaliter agente, quæ duos effectus simul producat, ut sol lucem et calorem.

3.º Itaque notio causæ efficientis posita est in actione physica quæ continet rationem sufficientem transitus rei de non esse ad esse, ita ut si existat hæc actio, eo ipso existat ratio sufficiens ad existentiam effectus, quamvis hic impediri possit per accidens, defectu alienius conditionis extrinsecæ: sic, posita actione ignis, ponitur ratio sufficiens combustionis stuppæ, quamvis combustio de facto non existat, nisi stuppa igni admoveatur. Definiri ergo potest causa efficiens: *Principium extrinsecum cujus actio physica continet rationem sufficientem entis de novo existentis.* Dicitur extrinsecum, ut distinguatur a causis materiali et formali, quæ sunt principia intrinseca: dicitur actio physica, ut excludatur causa finalis, quæ moraliter influit ad productionem effectus.

4.º Ex his omnibus colligitur, notionem causæ, sicut et principium causalitatis quo continetur et exprimitur, originem ducere partim a posteriori, et partem a priori. Oriuntur a posteriori, quatenus ex experientia tam externa quam interna, perspicimus rerum mutationes reales et physicas, ac proinde transitum rei de non esse ad esse. Oriuntur a priori, quatenus his semel per experientiam habitis, rationi acquiritur notio rei quæ a non esse ad esse transit, atque proinde effectus. Jam vero, in idea ipsa seu notione effectus, continetur essentialiter ejus distinctio et dependentia ab aliquo alio

re, la fluidité qui n'y étoit pas auparavant y est constamment produite par l'application d'un certain degré de chaleur, nous donnons à l'idée simple de chaleur le nom de cause par rapport à la fluidité qui est dans la cire, et celui d'effet à celui de cette fluidité. » *Essai sur l'Ent. hum.* l. 2.º cap. 26. Ex hac theoria lockiana, quæ notionem causæ tribuit sensibus successionem phenomenorum testantibus, legitime collegit Hume, nullam nobis adesse notionem veram et realem causæ efficientis; quia hæc notio, et principium causalitatis quod ex ea pendet, necessitatem, universalitatemque præ se ferunt, quæ sensuum experientiam et phenomenorum sensilium successionem transcendunt. Unde scepticismus Hume hac in parte, nihil est aliud quam evolutio doctrinæ Locke circa notionem causæ efficientis.

ente, cum nihil sibi dare possit esse; secus enim, res operaretur et esset antequam esset.

Superest nunc ut refellantur *Occasionalismi* sectatores; quorum rigidiores autumant, nulli creaturæ competere rationem causæ efficientis, solumque Deum effectus omnes producere intuitu quarundam rerum, quæ idcirco *occasionales* vocantur: ex ipsis vero alii mitiores, rationem causæ efficientis spiritualibus substantiis concedunt, minime vero corporibus; quamquam et inter hos quidam, agendi vim in corporibus animatis agnoscunt.

THESIS 1.º

Substantiæ spirituales creatæ virtute activa donantur, suntque proinde vere et proprie causæ efficientes.

Prob. 1.º Ex perspicuo et ineluctabili conscientiæ testimonio, quo intime experimur, non vere agere, intelligere, velle; immo etiam experimur, non ipsos determinare ad volendum, vel nollendum, ad movendum, vel non movendum brachium: unde non solum experimur et conscii sumus, in nobis esse actiones quæ ex nobis ipsis oriuntur, sed experimur etiam, animam seu voluntatem continere rationem sufficientem quorundam motuum corporis.

Prob. 2.º ex absurdis quæ ex adversante consequuntur hypothesisi. Nam si homo non est vere causa efficiens actionum quæ liberæ appellantur, per easdem non meretur aut demeretur; quæ etenim ratione mereri aut demereri possumus per operationes, quæ a nobis vere non oriuntur, nec in nostra sunt potestate et dominio? Præterea, si operationes hominis, a Deo unice et per exclusionem causalitatis creatæ procedunt et efficiuntur, ipsi imputabitur earum malitia et deformitas moralis; quippe præfatæ operationes a Deo unice procedunt, ad easque nihil homo operatur aut influit, sed potius recipit et patitur. Ergo hypothesis rigidioris Occasionalismi, genuinam notionem humanæ libertatis, moralemque ordinem, qui libertati superstruitur, penitus subvertit.

THESIS 2.^a *Corpora etiam, agendi vi prædita sunt, veramque rationem causæ efficientis oblinent.*

Prob. 1.^o ex communi hominum sensu quotidiana et perspicua experientia innixo. Uti enim eleganter habet Gouddia, corporum activitas constat, non ex tenebrosa quadam experientia, sed ex publico mundi cursu, et clara nullique non exaudita naturæ voce, quæ nos, cum primum emergente ratione rerum ordinem animadvertere cepimus, admonit, agendi patiendique vice constare mundi ordinem et rerum commercium: corporibus, ut intereundi necessitatem, ita et gignendi vim inesse: mutationes novas, easque insignes in rebus contingere: illas, ut alicujus corporis passionis, ita et alterius actiones esse: immo, effectuum fontes propalavit, atque in quoque, quæ vis resideret, mille monstravit experientis; in sole illuminandi, in igne comburendi, in plantis vegetandi, in animalibus sentiendi et movendi, in omnibus, quoad fieri potest, res sibi similes producendi. De hoc naturæ fonte hausta sunt, actionis, passionis, virtutis activæ, generationis, alterationis, effectus, aliæque voces hujusmodi, eæque non artis regulis, sed naturæ instinctu, suis rebus accommodatæ. Quæ omnia, si quis nunc labefactare velit, negando quidquam de novo produci, aut ullam inesse rebus agendi vim, prius necesse est os ipsum naturæ obstruat, aut certe nobis mentem aliam inserat, vel in alium orbem non inducat. Quandiu enim in isto vivimus, clara naturæ tuba continuo personat ad aures nostras, et fieri, et facere, et agere, et pati, locum habere in rebus.

Prob. 2.^o ex absurdis quæ ex occasionalistarum hypothesis consequuntur. Nam, ut cætera prætermittam, ex hac hypothesis: 1.^o subtrahitur Universi ordo, qui maxime consistit atque elucet in physico nexu et dependentia rerum inter se, quæ proculdubio eliminantur, si corpora invicem nihil agunt, nec patiuntur; eatenus quippe alia aliis subjiciuntur, quatenus eorum influxum et actiones recipiunt. 2.^o Destruitur sive evacuatur naturalium rerum scientia. Si quidem, rerum, præsertim corporearum, naturam et attributa, non aliter agnoscimus ac dijudicamus, nisi ex earum-

dem effectibus et operationibus, quæ sensibus et experientia nobis constant, et ex quibus corporum attributa et essentias venamur. Jam vero, si hujusmodi effectus et operationes, non ex ipsis corporibus oriuntur, sed per solum Deum peraguntur, naturam et attributa corporum in quibus locum habent, minime manifestant, nosque perpetuo deludimur errore, dum de corporum natura et proprietatibus pronuntiamus, juxta ipsorum effectus et operationes. (1)

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.^o cum Mallebranche. Tribuere creaturis rationem causæ efficientis, idem est ac divinitatem ipsis tribuere: ergo. Prob. ant. Transferre rem de non esse ad esse, proprius est effectus Dei; sed causæ efficientis nomine id intelligitur, quod actione sua physica rem transfert de non esse ad esse: ergo.

Resp. Neg. ant. Ad prob. dist. maj. Transferre rem de non esse ad esse, per creationem, sive nulla præsupposita materia; conc. per solam mutationem materiæ præsuppositæ, subdist. per appropriationem, conc. per exclusionem alterius causæ. neg. Equidem, solus Deus potest communicare esse per creationem, totum effectum ex nihilo edacendo, ad quod sane requiritur virtus infinita et divina. Ast hæc minime exquiritur ad transferendum effectum de non esse ad esse, non quidem totum hoc esse efficiendo, sed determinando in materia præsupposita mutationem substantialem, vel acciden-

(1) Sunt qui Cartesium cartesianosque honorare intendunt Occasionalismi inventionem; sed immerito. Nam honor iste, si quis honor adest in erroneis et paradoxis adveniendis et tuendis, Cartesio et cartesianis obtingere nequit: quandoquidem, D. Thomas. Occasionalismum aperte commemorat, dum scribit: «Simpliciter concedendum est, Deum operari in natura et voluntate operantibus. Sed quidam hoc non intelligentes, in errorem inciderunt, attribuentes Deo hoc modo omnem naturæ operationem, quod res naturalis penitus nihil ageret per virtutem propriam... unde dicebant, quod ignis non calefacit, sed Deus creat calorem in re calefacta.» QQ. Disp. De Pot., q. 3.^a, art. 7.^o Cartesius itaque cum suis cartesianis, nihil aliud hic fecit, sicut sæpe alias, quam vetera paradoxa exsuscitare, ad philosophiam christianam instaurandam, si superis placet.

talem, ex qua exurgat nova res a præcedenti distincta; ad quod certe, nulla exigitur vis divina vel infinita. Attamen, hic ipse effectus causæ creatæ, si spectetur præcise quatenus involvit transitum de non esse ad esse, seu novum existere, merito attribuitur et appropriatur Deo, qui, utpote Causa prima et universalissima, operatur simul cum causa secunda ad productionem effectus; qui proinde, quamvis procedat a Deo tanquam a causa prima, et a creatura, tanquam a causa secunda, ratio tamen entis, utpote universalissima, respondet speciali ratione causæ universalissimæ. Ut enim egregie ait D. Thomas, (1) « cum Deus sit ipsum esse, oportet quod esse creatum sit *proprius* ejus effectus: hunc autem effectum causat Deus in rebus, non solum quando primo esse incipiunt, sed quandiu in esse conservantur. »

Objic. 2.^o Effectus, eo magis dependet a causa efficienti, quo hæc perfectior existit non utens aliarum ope ad effectum producendum; sed Deus est causa perfectissima: ergo in productione effectuum non utitur aliis causis creatis.

Resp. Omiss. præmiss. Dist. cons. Non utitur aliis causis quasi eis indigens, conc. quasi ejus causalitas creaturæ causalitatem necessario excludit, neg. Sicut enim Deus creaturis esse communicat, non quod eis indigeat, sed ut sapientiam et bonitatem ostendat, liberrimaque voluntate, non absimiliter vim agendi creaturis communicat, quo ejus sapientia, bonitas et potentia commendantur, non quod eis indigeat ad effectum producendum. Sed

Instabis: Ex dictis, Deus est causa sufficiens et adæquata naturalium effectuum; atqui causa sufficiens et adæquata excludit alias: ergo.

Resp. Dist. min. Excludit alias ejusdem ordinis, conc. alterius ordinis, neg. Ex instantia tantum colligitur, Deum, utpote causam infinita vi præditam et a se existentem, excludere alias causas primas et infinitas, non vero causas secundas, quæ utpote alterius et inferioris ordinis, non operantur nisi cum dependentia a causa prima.

Objic. 3.^o Causa efficiens debet esse præsens effectui pro-

(1) Sum. Theol. 1.^o P., q. 8.^o, art. 4.^o

ducto, ac proinde subjecto in quo producitur; atqui corpus nequit esse præsens alteri corpori: ergo. Prob. min. Corpus ratione impenetrabilitatis, in alio corpore esse nequit, sed tantum extra illud: ergo.

Resp. Dist. min. Corpus nequit esse præsens alteri, præsentia penetrativa, conc. contactus, neg. Itaque, sicut non uno et eodem modo in loco existunt substantiæ spirituales et corporeæ, ita nec unum et idem genus præsentia obtinent pro effectu producendo. Unde licet corpus agens corpori patienti non illabatur, sicut illabatur Deus, qui omnibus entibus est intime præsens, ipsi tamen præsens fit per contactum, ratione cujus partem corporis contiguam et propinquiorem immutat, atque hac media, alias et alias successive; quia ut unum corpus, inquit Suarez, (1) agat in aliud, non est necesse ut penetrative sit simul cum illo in eodem loco, sed satis est quod sint sufficienter propinqua, ut ipsa experientia ostendit... Quocirca, quamvis quantitas (quæ penetrationem corporum impedit) non sit activa, non tamen omnino impedit actionem. »

§ II.

De causalitate causæ efficientis.

Diximus supra, causam efficientem constitui in actu secundo per actionem seu actualem operationem; ex quo plane consequitur, causalitatem causæ efficientis prout in actu secundo, esse ipsam actionem. Sed cum causalitas actualis præsupponat potentialem, et actus secundus actum primum, vestigare nunc oportet principium sive radicem ex qua profluit præfata causalitas efficiens in actu secundo.

Jam vero, principium actus secundi seu operationis causæ efficientis, vel est principium quod, hoc est, res illa que agit sive suppositum quod operatur; vel est principium quo, hoc est, realitas illa ratione cujus suppositum operationem potest profundere: illudque dicitur radicale, si sit prima ra-

(1) Metaphys. Disp. 18, sect. 1.^o

dix et origo activitatis quæ supposito convenit; si vero continet rationem sufficientem immediatam hujus vel illius operationis, dicitur principium quo proximum. Sic, ut exemplo rem illustremus, si supponamus hominem actu intelligere et loqui, quamvis intellectio homini adsit per intellectum et ratione intellectus, et similiter locutio per os et linguam determinate dispositis, dicimus equidem, quod homo est qui intelligit et loquitur; sed tamen intellectio et locutio homini congruunt, tum ratione animæ rationalis, tum ratione intellectus et facultatis loquendi, ex quibus et per quæ hujusmodi operationes eliciuntur.

THESIS 1.^a

Principium quo radicale agendi in substantiis corporeis est forma substantialis.

Dico in substantiis corporeis, qui in substantiis spiritualibus, utpote simplicibus, essentia vel natura ipsarum, habet rationem principii quo respectu operationum.

Prob. thesis 1.^o In supposito operante, id quod est ratio sufficiens et principium formale quoad essentiam rei, debet esse etiam ratio sufficiens et principium radicale agendi; operatio enim sequitur essentiam rei ipsique commensuratur, nam videmus et experimur, modum agendi et operationem cujusque rei, respondere et veluti proportionari naturæ vel essentiæ rei operantis. Atqui forma substantialis est ratio sufficiens et principium formale constituens et determinans essentiam rei in substantiis corporeis, ut anima hominis, et bruti, constituunt et determinant naturam specificam eorum: ergo forma substantialis est principium quo primum et radicale agendi.

Prob. 2.^o Corpora constituuntur ex materia et forma substantiali, per quam unum corpus essentialiter ab alio distinguitur in ratione substantiæ; atqui materia nequit esse principium aut ratio activitatis, quippe materia ex se iners existit: ergo sola forma potest esse principium substantiale et primum activitatis quæ corpori inest.

THESIS 2.^a

Principium quo proximum vel immediatum actionis in substantiis creatis, non est ipsa essentia vel substantia, sed potentia seu vires activæ, quæ ab ipsa realiter distinguuntur.

Prob. Operatio in substantiis creatis est aliquid accidentale, a substantia operante realiter distinctum; siquidem, potest adesse, vel abesse, salva rei essentia et substantia, ut deambulare, videre, etc. respectu Petri: ergo potentia ex qua oritur hæc operatio tanquam ex principio proprio et immediato, est etiam aliquid accidentale. Prob. cons. Potentia necessario dicitur ad actum, proindeque necessario ipsi commensuratur, hujus genus et conditionem sequens; ita ut si actus sit substantialis, requirat potentiam substantialem; si sit actus spiritualis, potentiam spiritualem, etc. Sic, quia subsistentia est actus substantialis, respondet potentia substantiali, nempe, substantiæ; quia intelligere est actus spiritualis, requirit potentiam spiritualem: ergo si operatio in creatis substantiis est accidens, ipsi respondet, tanquam potentia propria, aliquid accidentale: secus enim actus et potentia non essent in eodem genere, et potentia non diceretur ad actum: ergo hæc operatio non oritur immediate ab ipsa substantia operante, sed mediis viribus seu potentiis ab ipsa realiter distinctis. Ergo, ut veteres Scholastici cum D. Thoma agebant, nulla substantia creata est immediate operativa.

Prob. 2.^o ex discrimine quod D. Thomas perpetuo statuit inter Deum et creaturas. Sicut enim in solo Deo existentia identificatur cum essentia, ita etiam in solo Deo operatio identificatur cum essentia seu substantia, ac proinde in eo solo operatio est substantialis. Contra vero, in creaturis, sicut existentia ipsis non est essentialis, et ab essentia realiter distinguitur, ita operatio nequit esse substantialis: esset vero substantialis, si potentia operativa ex qua immediate profueret, esset ipsa substantia.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.^o Ex dictis accidens immediate operatur: ergo potiori ratione substantia immediate operatur. Prob. cons.

Substantia est nobilior accidente, et forma substantialis perfectior accidentali: ergo.

Resp. Neg. cons. Ad prob. dist. ant. Substantia est nobilior accidente *in ratione entis*, conc. *in ratione seu ordine operandi*, subd. *simpliciter*, conc. *secundum quid*, neg. Substantiæ creatæ duplicem ordinem seu genus perfectionis involvunt: ordinem entitativum, et ordinem operativum: quorum primus, secundum se et ex propria conditione, est præcipuus et nobilior secundo, tum quia prius est esse quam operari, tum quia modus et perfectio operationis dependent ex natura et perfectione entis quod operatur. Cum ergo ordo operativus, sit posterior et minus nobilis ex se ordine entitativo, ad quem comparatur tanquam aliquid secundarium, ex eo quod accidens immediate operatur, minime colligitur, ipsum, absolute loquendo, perfectius esse quam substantiã, sed ad summum, in ordine suo sive in genere operativo: quod certe non impedit, quominus substantia perfectior sit accidente in ordine entitativo, qui ordo, non solum perfectior est ordine operativo, sed hujus perfectionem involvit et præhabet, quatenus ipsæ potentiæ seu vires quæ immediate operantur, ex forma substantiali derivantur, a qua vim agendi, tanquam ex radice et vi primitiva (1), recipiunt.

Objic. 2.^o Quædam saltem ex viribus seu potentiis quæ, juxta thesim, sunt immediatum principium actionis, sunt proprietates substantiæ operantis, ut intellectus et visus respectu hominis; sed proprietates producuntur immediate per ipsam essentiam substantialem: ergo saltem in productione proprietatum substantia immediate operatur.

(1) Ab hac doctrina, nihil aut parum distare videtur Leibnitz, qui postquam admisit existentiam formarum substantialium, quas nominat etiam *entelechias*, *substantias simplices*, *vires primitivas*, subdit: «Je conçois les qualités ou les forces dérivatives, ou ce qu'on appelle formes accidentelles, comme des modifications de la entelechie primitive; de même que les figures sont des modifications de la matière.» *Essai de Theod.* núm. 396. Ex Leibnitz ergo, sicut figura sunt modificationes corporis, a quo realiter distinguuntur, ita etiam qualitates seu vires derivatæ ab entelechia, vel vi primitiva, sunt forme accidentales, ac proinde non ipsa substantia.

Resp. Dist. min. Proprietates producuntur, etc. *per actionem substantiæ*, neg. *per resultantiam necessariam*, conc. Cum dicitur proprietates effluere aut dimanare ab essentia, non est intelligendum quod essentia jam existens, ponat, vel exerceat aliquam actionem a se distinctam, qua proprietates producat; eodem namque instanti et eadem actione, quibus producitur essentia, producuntur proprietates ejus, ut eodem instanti quo producitur homo, producuntur simul intellectus, et sensus. Essentia igitur solum dicitur producere proprietates, quatenus habet nexum necessarium cum eis, ita ut sine ipsis nequeat naturaliter produci aut existere; ast hæc, eadem actione, qua essentia, producuntur.

Objic. 5.^o Actio qua producitur nova substantia, debet oriri immediate a substantia producente: ergo saltem in hypothesis generationis substantialis, falsa est thesis. Prob. ant. Potentia, vel virtus accidentalis, nequit producere substantiam, secus enim effectus esset nobilior causa efficienti: ergo.

Resp. Neg. ant. Ad prob. dist. ant. Nequit producere substantiam, *tanquam causa principalis*, conc. *in ratione causæ instrumentalis*, neg. Quando nova substantia producitur, potentiæ seu vires quæ immediate operantur ad productionem, ut virtus generativa in equo, calor in igne, habent rationem causæ instrumentalis respectu substantiæ productæ; quia quatenus attingunt substantiam ut terminum actionis, agunt in virtute et ex vi formæ substantialis, quæ est principium radicale unde derivantur hujusmodi vires. Vires ergo seu potentiæ, quibus substantia operatur ad producendam novam substantiam, operantur in virtute alterius, hoc est, substantiæ cujus sunt vires, et veluti *connaturalia et conjuncta instrumenta ad operandum*.

§ III.

De divisione causæ efficientis.

Varia sunt genera causarum efficientium; nam, ut mittantur reliquæ divisiones minus præcipuæ, dividitur:

1.^o In causam *per se* et causam *per accidens*; quarum prima habet nexum naturalem cum effectu, ut sol est causa per se lucis: altera est quæ, aut conjungitur accidentaliter cause

per se, ut dum dico: *medicus cantat*, quia medicina accidentaliter jungitur in hoc homine cum musica, quæ est causa per se cantus; aut aliquid producit quod conjungitur contingenter effectui per se intento, ut effossio ad jacienda domus fundamenta, est causa per accidens inventionis thesauri, quatenus hæc inventio accidentaliter jungitur effectui intento nunc per effossionem hujus terræ. Ad causam per accidens, reducuntur *casus, fortuna*, et remotiones impedimentorum, dum dicitur aliquid causare tanquam *removens prohibens*, ut qui *removet* columnam, est causa *accidentalis* motus lapidis superpositi.

2.^o In causam *principalem et instrumentalem*: ex quibus *præ* ea dicitur, quæ agit virtute sibi propria, et non per modum transeuntis ab alio recepta, ut ignis, dum comburit, homo, dum medetur ex arte medicinae; quia quamvis hæc scientia homini non sit inlita per naturam, eam tamen nunc possidet per modum formæ stabilis et permanentis. Secunda est, quæ e converso agit in virtute alterius, seu per motum et influxum transeantem ab alio receptum; quod quidem, qua ratione eveniat, jam supra diximus.

3.^o Causa *principalis*, si nec virtutem agendi, nec usum illius virtutis ab alio ente recipiat, merito dicitur *prima*, eaque est solus Deus. Si vero, et vim agendi, et exercitium seu applicationem ad actum secundum recipiat ab alio, dicitur *secunda*, prout contingit in cunctis causis creatis, quæ idcirco, respectu Dei, se habeant tanquam causæ instrumentales.

4.^o Dividitur in causam *universalem*, cujus virtus agendi porrigitur ad plures effectus specie distinctos, ut sol respectu plantarum: et causam *particularem*, quæ unius speciei effectus producit, ut homo hominem. Causa universalis vocatur *æquivoca*, quatenus effectum producit, qui causæ producenti specificè non adsimilatur: ex opposita ratione, causa particularis vocari solet *univoca*.

5.^o In causam *adæquatam* seu totalem, quæ sola producit effectum, ut homo qui lapidem projicit, est causa *adæquata* motus lapidis: et *inadæquatam* seu partialem, quæ effectum producit ex consortio et auxilio alterius, ut dum plures homines trahunt navim vel currum.

6.^o In causam *liberam et necessariam*. Libera dicitur,

quæ operatur ex electione et consilio cum indifferentia seu facultate ad agendum vel non agendum. Necessaria operatur ex impetu naturæ cum determinatione ad unum, absque facultate ad oppositum, ut ignis, qui ex vi naturæ determinatur ad comburendum.

7.^o Dividitur in causam *physicam et moralem*. Quarum prima, agit ad effectum producendum per motum aut actionem proprie dictam, ut statuarius qui statuam conficit: secunda, agit vel concurrit ad effectum producendum, per influxum moralem; qui quidem influxus motum improprium seu metaphoricum involvit, ut ille qui ad statuam conficiendam, statuarium excitat jubendo, consulendo, promittendo, etc.

ARTICULUS TERTIUS.

De causa finali.

§ I.

De notione et causalitate causæ finalis.

Sicut influere causæ efficientis est agere, inquit D. Thomas, (1) ita influere causæ finalis est appeti et desiderari. Quæ Angelici Doctoris verba, pressius quidem pro more, sed plene expriment causæ finalis naturam. Ex eis quippe habetur, quod sicut causalitas *secunda* causæ efficientis, tota consistit et constituitur per ipsam actionem, ita causalitas *secunda* causæ finalis, constituitur per appetitionem actualem sive amorem quem res inspirat agenti. Similiter, sicut causalitas efficiens *in actu primo*, posita est in virtute seu vi agendi, qua donatur res quæ denominatur causa efficiens, ita causalitas causæ finalis *in actu primo* spectatæ, est id quo res quæ denominatur finis, vim obtinet ad inspirandum amorem actualem, sive appetitionem sui, nempe, *bonum*; nihil enim appetitur vel amatur ab agente, nisi sub ratione boni. Ergo sic se habet *inspirare sui amorem* respectu causæ fina-

(1) QQ. Disp. De Verit. quæst. 22, art. 2.

lis, sicut se habet *agere* respectu causæ efficientis; et sic se habet *ratio boni* respectu prioris, sicut se habet *virtus agendi* respectu posterioris.

Ex his facile colligitur, causam finalem habere proprie rationem causæ. Vera enim causa ea dicitur, quæ revera influit et agit ad productionem effectus. Causam vero finalem reipsa influere ad productionem effectus, ex eo aperte constat, quod excitat, movet et determinat agens ad effectum producendum; idque eo usque, ut sine sublato, agens non ageret, nec rem produceret: sic ægrotus medicinam non sumeret, nisi bonitatis ratio, quæ in sanitate elucet, ipsum moveret et determinaret.

Experientia teste, finis non movet ad operandum, nisi quatenus ejus bonitas apprehenditur; unde effectum illud: *ignoti nulla cupido*. Attamen, hæc bonitatis apprehensio, se habet solum ut conditio *sine qua non*; quandoquidem, non apprehensio rei, sed bonitas ejus est, quæ munus causæ finalis exercet inspirando sui amorem agenti, isumque ad operandum alliciendo et excitando.

Nihilominus tamen, ex diverso modo finem cognoscendi, diversa exurgit ratio agendi propter finem. Sunt enim quædam, quæ dicuntur agere propter finem, quatenus exequentur motus ad determinatum finem tendentes, qui tamen finis ab eis non cognoscitur, sed eisdem præstituitur et præassignatur ab aliquo intellectuali agente: «Sicut sagitta, ait D. Thomas, tendit ad determinatum finem, ex hoc quod movetur a sagittante, qui suam actionem dirigit in finem:» unde hujusmodi, potius aguntur quam agunt propter finem.

Alia sunt, quæ finem, ad cujus assecutionem tendunt et operantur, cognoscunt, sed admodum imperfecte et quasi materialiter tantum; quia nec rationem formalem finis agnoscunt, nec finis relationem et proportionem cum mediis: sic famelicus canis cui cibus offertur, cognoscit quidem seu apprehendit per sensus cibum, ex qua cognitione exurgit in eo, ex ipsa vi atque ineluctabili propensione naturæ, appetitus illius simulque motus pro ipso adipiscendo: ast cognitio illa est imperfecta et materialis; quia nec cognoscit, cibum *habere rationem finis receptu ipsius*, quod est cognoscere finem *materialiter* tantum et non *formaliter*, nec cognoscit, illum cibum *posse obtineri ab ipso hoc vel illo medio, et hunc medium*

esse aptius, vel minus aptum alio ad talem finem adsequendum; quod est cognoscere finem, absque cognitione relationis mediæ cum fine: Quia motus appetitus tendentis ad finem respondet cognitioni præhabitæ huius finis, ideo quæ finem cognoscunt hoc modo imperfecto, imperfecte etiam propter finem agunt, hoc est, ex impetu et determinatione necessaria naturæ, ac proinde etiam, potius aguntur quam agunt propter finem. Verbo: agentia hujusmodi, operantur *cum* cognitione imperfecta finis, sed non *ex* cognitione formali finis.

Tandem, sunt alia agentia, quæ quia cognoscunt finem, tam secundum bonitatem materiale, quam secundum rationem formalem, simulque ejusdem relationem et proportionem cum mediis, operantur propter finem, seipsa determinando et dirigendo ad finem adsequendum: quod quidem tantum congruit agentibus ratione præditis, quia sola ratio potest unum cum alio conferre, et rationes abstractas et universales, prout est ratio formalis finis, percipere. Et hæc sunt quæ proprie agunt propter finem. Namque, ut merito habet D. Thomas (1), «proprium est naturæ rationalis, ut tendat in finem, quasi se agens et ducens ad finem; natura vero irrationalis, quasi ab alio acta vel ducta, sive in finem apprehensum, ut bruta animalia, sive in finem non apprehensum, ut bruta animalia, sive in finem non apprehensum, sicut ea quæ omnino cognitione carent.»

Itaque consentanee ad hanc D. Thomæ doctrinam, quæ experientia et observatione innititur, dicemus, quod agentia naturalia, quæ omni carent cognitione finis, operantur propter finem *executive*: bruta, quæ operantur apprehendendo finem, seu percipiendo bonum per sensus, *apprehensive*: agentia intellectu prædita, quæ rationem formalem finis et relationem ejus cum mediis cognoscunt, operantur *directive*.^(R)

Ex hucusque dictis colliges, causam finalem congrue definiti: *id cujus gratia aliquid fit*. Quæ definitio, quamvis in rigore sumpta, solum habeat locum in agentibus ratione præditis, quæ ex apprehensa bonitate finis alliciuntur et

(1) *Sum. Theol.*, 1.^o, 2.^o, q. 1.^o, art. 2.^o

seipsa determinant ad operandum, accommodari etiam potest agentibus, quæ effectus producunt propter aliquid consequendum, ac proinde operantur aut moventur gratia alicujus rei, quod pertinet ad rationem finis.

§ II.

De existentia causæ finalis.

CAUSARUM finalium existentiam, præter veteres illos Democritum, Epicurum, Lucretium, qui omnia ad materiam et fortuitum atomorum motum referebant, inficiati sunt, tum Spinoza, qui finales causas ad humana figmenta amandat, tum Robinet cum aliis materialismi aut atheismi sectatoribus, qui, aut Dei intelligentis atque pure spiritualis existentiam, aut eum propter finem agere, minime agnoscunt. His viam paraverat Cartesius, dum scripsit: «nullas unquam rationes circa res naturales, a fine quem Deus aut natura sibi proposuit, desumemus.» Sit itaque:

THESIS 1.^a

Agentia intellectua operauntur propter finem directive, atque Deus ipse in operibus ad extra propter finem agit.

Pars 1.^a facile constat. Nam agere propter finem directive, nihil est aliud, ex supra dictis, quam agere ex cognitione formali finis, hujusque relationis cum mediis, seipsum exinde determinando ad hæc, vel illa media adhibenda pro determinato fine adsequendo, atqui id agentibus ratione præditis congruit, et quoad hominem spectat, ex conscientia intima habemus, ipsum propter finem operari hac ratione: ergo.

Altera pars, ex prima necessario fuit. Nam si agere propter finem directive, perfectio est, eaque non minima, ex qua homo agentibus inferioribus supereminet, præcudubio reperitur in Deo, qui agens intellectuale perfectissimum existit.

Nihilominus tamen, duo hic sedulo animadvertantur: 1.^o id solum Deo congruere, quoad opera extra ipsum posita, ut innuit thesis. Siquidem, in actionibus quæ ad intra terminantur, ut sunt processiones divinarum Personarum,

Deus non agit libere, seipsum determinando, sed ex ipsa divina essentia determinatur: 2.^o operationem Dei propter finem directive, non assimilari perfecte et omnimode operationi hominis aut cujuscumque creati agentis intellectualis. Enimvero, in operatione hominis, ex, gr. dum ex amore sanitatis se determinat ad medicinam hanc sumendam, duo sunt spectanda: 1.^m quod homo perfecte cognoscit bonitatem sanitatis hujusque relationem cum mediis, et simul seipsum determinat libere ad ponendum hoc medium propter hunc finem, sive ut tale bonum existat: 2.^m quod finis ille qui cognoscitur et quæritur per tale medium, quæritur ut perfectio ipsius agentis.

Horum primum, atpote nullam imperfectionem involvens, reperitur in Deo, qui ex cognitione et amore alicujus boni, seipsum libere determinat ad ponendum seu producendum aliud bonum, quo illud primum obtineatur, ut dum plantas et bruta producit propter bonum hominis obtinendum. Alterum vero, minime in Deo reperitur; nam cum sit infinite perfectus, et ipsam esse, omnes essendi perfectiones continens, nec unquam operatur, nec quidquam agit, ut perfectionem aliquam sibi ipsi adipiscatur. Itaque Deus, ex parte operis, unum agit propter aliud; sed ex parte operantis, omnia operatur propter suam bonitatem, non quidem obtinendam, sed manifestandam et communicandam. Unde apposite D. Thomas: (1) «Cum omne opus divinum in finem quemdam ordinatum sit, constat, quod ex parte operis, Deus propter finem agit. Sed quia finis operis semper reducitur in finem operantis, ideo oportet, quod etiam ex parte operantis finis actionis ejus consideretur, qui est bonum ipsius in ipso... Ipse enim bonitatem suam perfecte amat, et ex hoc vult, quod bonitas sua multipliciter per modum qui possibilis est, ex sui, scilicet, similitudine.» Ex quibus collaria subjecta colliges:

- 1.^o Omnes res creatas, ad bonitatem Dei comparari tanquam media ad finem, non obtinendum, sed manifestandum.
- 2.^o Deum, res creatas necessario amare, quatenus sunt

(1) Sent., lib. 2.^o, Dist. 1.^a, q. 2.^a, art. 1.^o

participationes et similitudines propriae bonitatis, ac proinde eodem actu et amore, quo seipsum amat.

5.^o Hunc amorem, quatenus terminatur ad creaturas, solum dici necessarium *hypothetice*, hoc est, ex hypothesi quod Deus libere voluerit easdem producere; nam absolute loquendo, potest eas non amare, eo ipso quod potest eas non producere; etenim, ut habet D. Thomas, «cum bonitas Dei sit perfecta, et esse possit sine aliis, cum nihil ei perfectionis ex alijs accrescat, sequitur quod alia a se eum velle, non sit necessarium absolute.»

4.^o Denm, in hypothesi productionis creaturarum, unam producere propter aliam, ut herbam propter bruta, bruta propter hominem.

THESIS 2.^a

Non solum bruta, sed agentia pure naturalia agunt propter finem, suo quaque modo.

Prob. utraque pars ex perspicua et quotidiana experientia, qua observamus, tam bruta irrationalia, quam agentia reliqua, non temere et casu, sed ordinate et constanter operari, suosque effectus et actus edere eo modo quo expedit, ad bonum et perfectionem obtinenda. Sic, hirundo paleas colligit ad nidum conficiendam, plantæ ex terra et atmosphaera aquam et alia congrua atque utilia principia, eliciunt ad se nutriendum, etc. Ergo nisi velimus ordinem Universi et nexum partium ejus, simul cum fulgenti et perspicua experientia rerum inficiari, fateri cogimur, operationes et effectus unius corporis, ordinari ad bonum, vel suis ipsius, vel alterius; ac proinde determinatum finem habere.

Dixi in thesi, *suo quaque modo*; quia, ut jam supra monui, bruta agunt propter finem, non solum quatenus exequantur motus ad determinatum finem ordinatos, sed etiam quatenus hunc finem per sensus apprehendunt seu percipiunt. Ast agentia pure naturalia, quæ omni cognitione destituuntur, eatenus solum dicuntur agere propter finem, quatenus *exequantur* motus vel effectus, ordinatos quidem ad hunc vel illum finem adsequendum, sed ita ut hæc ordinatio ad finem, constituta et prædeterminata sit ab ipso rerum na-

turalium Artifice: unde hæc, *executive* propter finem operantur, sicut et bruta, *apprehensive*.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.^o Quæ temere et casu eveniunt, ad finem non ordinantur; atqui plures mundi effectus temere et casu eveniunt, immo, quandoque ita eveniunt, ut opponantur fini qui eisdem assignari solet, ut dum pluvia segetes destruit aut putrescere facit: ergo.

Resp. Dist. min. Temere et casu eveniunt *respectu Dei et totius Universi*, neg. *respectu nostri*, conc. Nos equidem, sicut rerum essentias et causas plurimas ignoramus, ita etiam frequenter ignoramus fines particulares operationum et eventuum, quæ in mundo cernuntur. At respectu Dei, qui Universi et universorum quæ in eo continentur curam gerit, nihil temere et casu evenit, sed omnia ab eo ad finem ordinantur. His adde, quod agentia naturalia habent quidem finem ad quem *ex se*, sed non *indeseptibiliter* ordinantur; quia ipsorum operationes et effectus, nexum habent cum aliis agentibus et causis, ex quibus impedimentum, vel modificatio oriri potest.

Instabis: Saltem dum natura producit monstra, propter finem non operatur: ergo.

Resp. Existentiam monstrorum, non solum non excludere, sed potius invicte demonstrare, res naturales agere propter finem. Cum enim monstrum sit effectus recedens a solito ordine et debita rei dispositione, consequitur, revera existere præfatum ordinem, quo agentia naturalia ad determinatos effectus producendos diriguntur et determinantur. Quod autem *quandoque* ab effectibus ad quos tendunt deficiant, solum ostendit, agentia naturalia esse causas finitas et imperfectas, quarum idcirco actio seu effectus, vel impediri, vel perturbari potest; quod quidem contingere potest, vel propter occursum aliarum causarum, vel propter redundantiam, inopiam vel incongruam dispositionem materiae.

Obj. 2.^o Temeritatem et arrogantiam sapit causas finales rerum a Deo conditarum velle assignare: ergo. Prob. ant. Temeritatem et arrogantiam sapit, motiva voluntatis divinae velle perscrutari et assignare: ergo.

Resp. Dist. ant. Arrogantiam sapit omnes causas finales velle assignare, conc. aliquas, neg. Ulro quidem fateor, quasdam inter finales rerum causas nobis latere; sed simul alias quoque agnoscimus ex manifestissima naturæ experientia. Unde oppido falluntur Baco et Cartesius, qui ajunt, vestigationem causarum finalium, atheismo viam aperire; cum potius e converso res se habeat: nam ex causarum finalium existentia, legitime assurgimus ad existentiam alicujus Supremæ Intelligentiæ quæ mundum condidit.

Ad prob. dist. etiam ant. Tameritatem etc. velle perscrutari et assignare quoad effectus primarios, trans. quoad effectus quosdam particulares et determinatos, neg. Arrogantiam quidem saperet, velle perscrutari et assignare fines et motiva, ex quibus Deus seipsum libere determinavit ad res creandas potius quam non creandas, ad mundum istum et non alium producendum, hoc et non alio tempore producendum; cum aliis hujus generis, respectu quorum homo non alium finem nisi finem universalem et ultimum rerum, nempe, Dei bonitatem ut communicandam, nec aliud motivum nisi ipsam Dei voluntatem potest assignare. (1) Quod tamen nihil obstat, quominus particularium effectuum, ut hominis, bruti, plantæ, solis etc. finales causas et motiva rationalia, quæramus et assignemus.

SCHOLIUM.

De casu, fortuna et fato, de quibus quidam fusius hic disserunt, ut aliquid breviter attingamus, id dicam: *fatum*,

(1) Unde jure merito D. Augustinus docet, quod si quis quærat, quare fecit Deus cælum et terram? respondendum est ei: quia voluit. Voluntas enim Dei causa est cæli et terræ, et ideo major est voluntas Dei quam cælum et terra. Qui autem dicit: quare voluit Deus facere cælum et terram? majus aliquid quærit, quam est voluntas Dei; nihil autem majus invenire potest. Compescat ergo se humana temeritas, et id quod non est non quærat, ne id quod est non inveniat. De Gent. cont. Manich. lib. 1.º cap. 2.º Hac sane ratione, et non ea quam autumant Baco et Cartesius, vitanda est temeritas et arrogantia in operibus Dei, et ipsorum finibus et motivis vestigandis.

si accipiatur ad sensum gentilium et prout Seneca eum definit, pro necessitate omnium rerum actionumque, quam nulla vis rumpat; rejiciendum est, quippe quod, tum contingentiam causarum et effectuum naturalium, tum libertatem Dei et hominis, e medio tollat. Quod si ad sensum christianum accipiatur, quatenus, scilicet, cuncta quæ in mundo eveniunt, divinæ ordinationi subjiciuntur, admitti sane potest, ac cum Boetio definiri: *ordo causarum secundarum divinam providentiam exsequentium. Casus et fortuna* reducuntur ad causas per accidens; casualia enim ac fortuita dicuntur ea, quæ præter intentionem causæ particularis, non vero universalis, saltem Dei, eveniunt. Solum differunt, quatenus fortuna respicit agentia ratione prædita; *casus* vero, vel utraque indiscriminatim, vel sola agentia irrationalia.

CAPUT QUARTUM.

DE PRÆCIPUIS SPECIEBUS ENTIS.

ARTICULUS PRIMUS.

De ente finito et infinito.

§ I.

Expenduntur notiones entis finiti et infiniti.

1.º Notionem aliquam tam finiti quam infiniti in nobis esse, ex eo aperte constat, quod optime movimus quid sit infinitum, ipsumque non tantum a finito, sed ab indefinito etiam incunctanter secernimus. (1)

(1) Hinc explodenda sententia P. Buffier, qui adserit, existere quidem infinitum absolutum, nempe, Deum, sed nos ipsum non concipere nisi ut infinitum in potentia, cui, nempe, alias et alias perfectiones absque fine addere possumus. «Pour concevoir l'infini absolu, il faudrait que je conçusse toute l'étendue des attributs de Dieu... Or c'est ce que je ne puis faire; car j'éprouve que je puis voir

2.^o Notio infiniti, ex tribus exurgit conceptibus. Infinitum enim audit *ens sine fine* aut limite, sive *ens negans omnem limitem*: unde involvit conceptus *entis, limitis, et negationis limitis*; statim enim ac hos conceptus jungimus, notio infiniti exurgit.

3.^o *Genesis* seu origo hujus notionis infiniti, etiam absoluti, non ex continua additione finiti ad finitum, ut vult Locke, sed ex absoluta et totali remotione limitum repetenda est. Et re quidem vera: finitum si finito addatur, indefinitum ad summum reddit, si hæc additio, ut possibilis semper ac indeterminate spectetur, nunquam vero infinitum actuale absolutum, sicut possibile possibili additum impossibile non constituit, nisi velimus dicere quod una essentia addita alteri in contrariam convertitur; siquidem finitum, *essentialiter* includit limitem, infinitum vero *essentialiter* eundem negat et excludit. Notio ergo infiniti nobis acquiritur, dum ex entibus finitis similitudinem seu limites quoscumque removemus, si sermo sit de infinito *simpliciter* et absolute; vel in determinato genere, si sermo sit de infinito *secundum quid*. Ex quibus.

4.^o Primum, quod etiam *categorematicum* appellatur, limites quoscumque in omni genere perfectionis excludit, cujus ordinis unicum infinitum extat, nempe, Deus. Dico *in omni genere perfectionis*, quia quoad ea genera quæ imperfectionem ex proprio conceptu includunt, infinitum absolutum, non limites tantum, sed ipsum genus excludit et negat, ut Deus excludit genus accidentis, vel extensionis. Alterum, quod etiam *syncategorematicum* appellatur, excludit limites in aliquo, vel aliquibus tantum generibus entis, ut magnitudo infinita, talis erit in genere extensionis continuæ, sed non

en Dieu des perfections et des degrés de perfections de plus en plus, et que quand j' en aurai conçu le plus grand nombre que je sois capable d'imaginer, ce serait toujours un nombre déterminé.

Ubi aperte vides, Buffier confundere *conceptum* infiniti cum ejus *imaginatione*, et notionem infiniti cum notione indefiniti: unde si ejusdem sententiæ standum esset, possibilitatem et existentiam entis in actu seu simpliciter infiniti, demonstrare non possemus. Quamquam ratione possemus demonstrare existentiam rei, cujus ideam non habemus?

in genere substantiæ, vel qualitatis etc. Unde quatenus alii gradus entis ei advenire possunt, dicitur etiam infinitum *in potentia*.

Animadvertendum tamen, *infinitum secundum quid*, quandoque et apud Scholasticos, distingui *ab infinito syncategorematico* seu in potentia, quatenus primum concipi potest ut res actualis infinita in aliquo determinato ordine; ut si supponatur numerus infinitus, erit infinitus secundum quid, et tamen *categorematicus* in eo ordine. Secundum vero sive infinitum *syncategorematicum* proprie acceptum, est illud cui sine fine et semper partes *ejusdem generis* addi possunt, ut dum concipiendo numerum actualem, simul concipimus numeros alios ipsi addi posse absque fine.

5.^o Notio finiti coalescit ex conceptibus *entis et limitis* seu termini; finitum enim dicitur *ens*, quod limitibus circumscribitur seu terminatur. Ex quo facile colligitur, notionem finiti, partim esse positivam, et partim negativam: positivam, quatenus exprimit *ens reale*; negativam, quatenus includit negationem ulterioris realitatis.

6.^o Ergo notio finiti in nobis præcedit notionem infiniti, nec ex hac originem ducit, ut Cartesius et cartesiani autamarunt. Quod quidem evidenter constat: 1.^o quia finitum, ex dictis, *essentialiter* includit conceptum non entis, est enim quasi mixtum ex ente et non ente: atqui idea infiniti *essentialiter* excludit non ens: ergo ex ea minime erui potest notio finiti: 2.^o quia non entia seu privationes entis, percipimus per respectum ad entia positiva quibus insunt, ut carentiam visus vel intellectus in animali, concipimus per respectum ad ipsum animal, quod his realitatibus caret: atqui carentia entitatis seu realitatis, quam finitum significat et exprimit, inest enti finito, et non enti infinito: ergo in illo et non in isto percipimus.

Adde his, ipsam experientiam qua per conscientiam edocemur, non absque ulla cogitatione infiniti, percipere tam intra quam extra nos, entia quæ carent seu *non habent* realitatem et perfectionem, quam observamus in alio ente finito; entia quæ aliis subjiciuntur; entia quæ aliquid de novo acquirunt vel amittunt, quæ omnia, immediate menti suppeditant *ens reale quod excludit aliud ens reale*, quæ est ipsa notio finiti.

§ II.

De possibilitate entis creati infiniti.

Cum existentia entium finitorum per se nota sit, solum superest vestigare possibilitatem infiniti *secundum quid*, nam de infinito simpliciter sive quoad essentiam, sermonem instituemus in theodicea.

THESIS 1.^a

Repugnat ens creatum quod sit infinitum secundum essentiam.

Prob. Res infinita secundum essentiam illa dicitur, quæ includit omnem realitatem entis, omnesve perfectiones, quæ ut possibiles concipiuntur; nam si aliquam perfectionem seu realitatem possibilem non continet, jam erit ens excludens, vel negans aliquem gradum entis, ac proinde finitum. Atqui repugnat creatura, quæ contineat omnes possibiles perfectiones entis: ergo.

Prob. min. 1.^o Creatura essentialiter est ens ab alio productum ex nihilo, ac proinde essentialiter includit existentiam et dependentiam ab alio: ergo repugnat creatura quæ contineat omnes perfectiones entis; nam saltem non continebit existentiam a se et independentiam productionis ab alio, quæ proculdubio sunt maximæ perfectiones. 2.^o Creatura, utpote ens a Deo productum, potest esse vel non esse, ac proinde absolute contingentia subijcitur; sed contingentia quoad existentiam, excludit necessitatem absolutam existendi, quæ est maxima perfectio: ergo.

THESIS 2.^a

Repugnat magnitudo seu extensio actu infinita.

Prob. 1.^o Magnitudo seu extensio est accidens seu affectio corporis: ergo nequit esse infinita actu. Prob. cons. Infinitum nequit recipi in subjecto finito; secus enim accidens esset extra substantiam et supra substantiam cui inhaeret:

atque corpus, cujus extensio est affectio et modus, nequit esse infinitum, cum essentiam non solum determinatam atque finitam, sed imperfectissimam quoque habeat: ergo.

Prob. 2.^o Repugnat extensio omnium possibilium maxima; atque extensio infinita, si daretur, deberet esse omnium possibilium maxima: ergo. Prob. ant. Extensio omnium possibilium maxima, esset simul et non esset maxima: esset enim *maxima*, ut supponitur: deinde, *non maxima*, quia data hac extensione maxima, Deus posset ab illa aliquid subtrahere, v. gr. mensuram pedis, qua in hypothesi, jam non remanet omnium possibilium maxima evaderetque finita: ergo nec antea erat omnium possibilium maxima, nec infinita; quia quantitas finita unius pedis quantitati finite addita, nequit infinitam extensionem conficere.

Corollarium.

Ex prima ratione colligitur, repugnare etiam extensionem infinite parvam. Sicut enim corpus, quia habet essentiam determinatam, excludit extensionem infinitam, ita etiam excludit extensionem infinite parvam, ita ut nullum corpus existere possit physice absque determinato extensionis gradu, infra quem ferri non potest.

THESIS 3.^a

Repugnat etiam multitudo actu infinita.

Prob. 1.^o Omnis multitudo actu existens, numerum facit; quia numerus nihil est aliud quam multitudo unitatum, ita ut ubicumque detur multitudo unitatum, ibi exurgat numerus. Atqui numerus necessario excludit infinitatem; quandoquidem mensuratur per unum, et ratio mensurae opponitur rationi infinitatis: ergo.

Prob. 2.^o ex absurdis. Ponamus existere multitudinem infinitam hominum. Hæc multitudo erit infinita simul et finita: infinita, ut supponitur; finita, quia necessario præ se ferret multitudinem majorem se, v. gr. multitudinem oculorum, quia quilibet homo hujus multitudinis infinitæ habet duos oculos; ac proinde multitudo oculorum erit duplo major quam multitudo hominum, quæ supponitur infinita.

2.^o Data qualibet multitudine infinita in quavis re, etiam

simplicissima quæ ultra dividi nequeat, hæc multitudo infinita unitatum æquivalet duplici medietati binarii in eadem contenti, nam binarius æquivalet duabus medietatibus numeri cuius est binarius: ergo multitudo illa infinita coalescit ex duplici medietate binariorum, ac proinde constituitur et exurgit ex additione duplicis multitudinis finitæ, quarum utraque est duplo minor multitudine infinita. Repugnat autem ex unione duarum multitudinum finitarum, exurgere aut coalescere multitudinem absolute infinitam.

Corollarium.

Ex prima thesi inferitur, rejiciendum esse optimismum, tam Leibnitz, quam aliorum, qui contendunt, mundum istam sive quemvis alium effectum Dei, esse omnium possibilium optimum. Cum enim ex una parte quis mundus vel effectus supponatur, finitus necessario sit, ut demonstratum est in prima thesi; ex alia parte, virtus Dei, utpote infinita, exhauriri non possit per quemcumque effectum finitam, consequitur necessario, Deum posse effectus perfectiores in infinitum producere, quin nunquam deveniat ad effectum omnium possibilium optimum, et ultimum perfectione. Itaque philosophia christiana inter duos scopulos media incedit, rejiciens ex una parte optimismum, qui virtutem infinitam Dei exhaurit productione effectus finiti; et ex altera parte statuens, nullum effectum Dei posse esse infinitum secundam essentiam, non quidem defectu virtutis Dei, sed potius defectu capacitatis seu possibilitatis ex parte creaturæ. Quapropter scite, et apposite habet D. Thomas: (1) «Contra rationem (essentiam) facti est quod sit simpliciter infinitum: sicut ergo Deus, licet habeat potentiam infinitam, non tamen potest facere aliquid non factum, hoc enim esset contradictoria esse simul, ita non potest facere aliquid infinitum simpliciter.» (2)

(1) *Sum. Theol.* 1.^o P. q. 7, art. 2.^o

(2) Circa optimismum vid. *Estudios sobre la Filos. de Sto. Tomás*, t. 2.^o cap. 40, 41, 42.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. adversus 1.^{am} thesim. Quo major est ac perfectior virtus activa causæ, eo perfectiorem effectum potest producere; atqui virtus activa Dei est infinita: ergo infinitum effectum potest producere.

Resp. Dist. maj. Perfectiorem effectum potest producere *intra seriem possibilium*, conc. *extra hanc seriem*, neg. Quia virtus Dei est infinita, exhauriri nequit productione cuiusvis effectus finiti, sed quolibet dato, alium perfectiorem potest producere. Nequit tamen effectum actu infinitum in ratione entis producere, non defectu virtutis in Deo, sed quia talis effectus repugnantiam intrinsecam involvit, quia, ut habet D. Thomas, «contra rationem facti est quod sit simpliciter infinitum.»

Objic. 2.^o Si Deus finitum tantum effectum potest producere, nihil habet quo a causis creatis distinguatur in ratione causæ infinitæ; nam etiam hæc possunt finitum effectum producere: ergo.

Resp. Neg. ant. Quamvis Deus effectum infinitum producere nequeat, maxime adhuc et infinite distat a causis creatis: 1.^o quia hæc nequeant effectus effectibus perfectiores in infinitum producere, sicut Deus: 2.^o quia operantur cum dependentia actuali et necessaria ex causa prima: 3.^o et præcipue, quia nulla causa creata effectum ex nihilo potest producere, sicut Deus; quod quidem infinitam virtutem in ipso arguit et ostendit.

Objic. cum Balmes advers. 2.^{am} thesim. Possibile est illud quod non involvit contradictionem; atqui extensio infinita nullam contradictionem involvit: ergo. Prob. min. Extensio infinita includit extensionem cum negatione limitum; sed conceptus negationis limitum non excludit conceptum extensionis: ergo.

Resp. Neg. min. Ad prob. dist. min. Conceptus negationis limitum non excludit conceptum extensionis *indeterminate acceptæ*, conc. *determinate acceptæ*, neg. Aliud est querere utrum idea extensionis in communi, excludat negationem limitum; aliud querere utrum possit *existere* extensio, quæ non excludat negationem limitum. Extensio enim, se-

eundem se et indeterminate sumpta, nec includit, nec excludit negationem limitum, sed ab ea potius abstrahit, sicut *animal*, nec excludit, nec includit rationalitatem aut irrationalitatem; atque sub hoc respectu verum est, quod extensio non excludit, nempe, *positive et determinate*, conceptum negationis limitum. Ast vero, extensio nequit *realiter existere*, nisi transeundo a statu illo generico et indeterminato ad statum specificum et individuum; quia omne creatum quod existit, necessario ad aliquam determinatam speciem pertinet, simulque individuum aliquod constituit: atque ex hac parte, repugnat extensioni creatæ negatio limitum, quia species extensionis necessario excludit alias species, ut triangularis extensio, circulem, quadrangulem etc. ac proinde infinita esse nequit, quia non includit *omnes* species extensionis: quod idem potiori ratione, extensioni individuata, vel singulari congruit. Sicut ergo quamquam conceptus indeterminatus animalis non excludit rationalitatem nec irrationalitatem, si tamen existat realiter, unum ex his duobus necessario excludit ratione speciei in qua collocatur, ita quamvis extensioni in genere et indeterminate sumptæ non repugnet negatio limitum, ei tamen repugnat si ad speciem contrahatur, prout contrahitur necessario si *existens* supponatur. (1)

(1) Ex hac solutione, funditus eversum habes unicum fundamentum cui Balmes innititur, ad statuendam possibilitatem extensionis infinitæ: siquidem, præter responsionem ad objecta, non aliam probationem affert, nisi conceptum extensionis non excludere negationem limitum: «¿Es posible una extension infinita? no se descubre ninguna repugnancia: la idea de extension y la de negacion de todo limite, no se excluyen, por lo menos segun nuestro modo de concebir.» *Filos. Fund.* lib. 8.º cap. 11.º

Cæterum, solutio a nobis data, nihil est aliud quam evolutio solutionis, qua D. Thomas argumentam hocce Balmes jam præoccupaverat, et quam, mirum est hispanum philosophum præ oculis non habuisse. En Angelici Doctoris verba, quibus propositum argumentum solvit: «Ad secundum dicendum, quod licet infinitum non sit contra rationem magnitudinis in communi, est tamen contra rationem cujuslibet speciei ejus, scilicet, contra rationem magnitudinis bicubitæ, vel tricubitæ, sive circularis, vel triangularis et similium,

Obje. adver. 3.ºm thesim. Deus potest producere omnia possibilium absolute: ergo potest producere numerum infinitum actu. Prob. cons. Numerus possibilium absolute, est infinitus: ergo.

Resp. Omisso ant. neg. cons. Ad prob. dist. ant. Numerus possibilium absolute, est infinitus *categorematicè*, neg. *syncategorematicè*, conc. Nimirum, numerus possibilium, eatenus infinitus dicitur, quatenus ad terminum vel finem perducere nequit; quolibet namque entium numero producto, majorem Deus potest producere, quin ejus infinita potentia exhaustur.

SCHOLIUM.

Ex tribus thesibus hic propugnatis, prima, ut certa haberi debet; ast duæ posteriores, intra probabilitatis terminos clauduntur; quoniam rationes quibus innituntur, nec perspicue demonstrativæ, nec penitus insolubiles existunt: unde et ipsemet D. Thomas fatetur, quod *adhuc non est demonstratum quod Deus non possit facere ut sint infinita actu.* (1) Nihilominus, argumenta pro eisdem militantia, et probationes ab ipso D. Thoma productæ, tum in *Summa Theologica*, tum in *Summa Contra Gentes*, ejus ponderis sunt, ut si non scientificam proprie ac demonstrativam, ast certe morali æquivalentem certitudinem præ se ferant. Quidquid tamen sit de possibilitate extensionis infinitæ, sive continuæ, sive discretæ, explodenda penitus opinio Cartesii, qui huic mundo indefinitam concedit extensionem. Siquidem, gallus philosophus non aliud adfert fundamentum ad stabiliendam extensionem indefinitam, quæ a parte rei in infinitam necessario resolvitur (2), nisi vim nostræ imaginationis, qua spa-

Non autem est possibile in genere esse, quod in nulla specie est: unde non est possibile esse aliquam magnitudinem infinitam, cum nulla species magnitudinis sit infinita. *Loc. cit.* q. 7.º art. 3.º ad 2.ºm

(1) *Opusc.* 14, circ. fin.

(2) Dico extensionem indefinitam Cartesii reduci ad infinitam, quia, ut merito observat Balmes: «No hay inconveniente en decir que la extension del mundo es indefinida, si se entiende que nosotros no podemos asignar sus límites; pero en la realidad los límites

tium sine termino imaginamur. Sed hoc est indefinitum cum infinito, et imaginationem cum ratione pura confundere; quod equidem principiis sanæ philosophiæ adversatur.

ARTICULUS SECUNDUS.

De ente possibili et impossibili.

Prænotanda:

1.º *Possibile* illud dicitur, quod aptitudinem seu potentiam habet ad existendum, sive hæc aptitudo ad actum secundum reducta sit, prout contingit in omni ente actuali; siquidem, quod actu existit *potest* existere, sub quo conceptu ipsemet Deus ens possibile dici potest, quatenus non repugnat ejus existentia; sive præfata aptitudo accipiatur prout præcisa ab existentia actuali quam *potest* habere; et hæc est communiter accepta possibilitas, sub qua nec Deus, nec creaturæ actu existentes comprehenduntur.

2.º Cæterum, ut aliquid quod actu non existit, dicatur *possibile perfecte et adæquate*, requiritur ejusdem possibilitas tam interna quam externa. Harum prima dignoscitur et constituitur per *aptitudinem absolutam ad habendam existentiam*, quatenus attributa seu prædicata rei, mutuo sese non excludunt. Altera constituitur per ordinem ad causam, quæ rem possibilem actu existentem reddere potest: quantumvis enim concipiamus rem immunem a contradictione quoad prædicata constitutiva, v. gr. hominem, hic homo revera existentiam

existirán ó no existirán... Si existen, la extension del mundo es finita; si no existen, es infinita; en todo caso la palabra indefinido no expresa nada.

El argumento de Descartes, si prueba algo, prueba la verdadera infinidad del mundo; pues que si hemos de retirar indefinidamente los límites de este, porque indefinidamente concebimos (medius diceret, *imaginamur*) siempre una extension mas allá de toda otra extension; como por otra parte sabemos que esta série de conceptos no tiene ningun límite, podemos trasladar desde luego la limitación al objeto que corresponde á los conceptos, y afirmar que la extension del mundo es absolutamente infinita. » *Filos. Fund. lib. 8.º cap. 13.*

habere non poterit, ac proinde nec completa et adæquata possibilitate gaudebit, nisi simul concipiamus existere aliquam causam, quæ possit ipsi communicare existentiam realem et physicam quam nondum habet. Ergo possibilitas *adæquata* entis coalescit ex possibilitate interna, quæ etiam *absoluta* dicitur, et ex externa, quæ *relativa* posset dici, tum quia includit ordinem ad causam efficientem, tum quia varia est pro varietate causarum. Siquidem,

3.º Quoniam ex dictis, possibilitas externa respicit vim causæ producentis, hujus naturam et conditionem necessario sequitur, ita ut tot sint genera *possibilitatis externæ*, quot sunt genera seu gradus causarum quæ effectum producere queunt. Atque hinc exurgit triplex genus possibilitatis externæ, nempe; possibilitas *metaphysica*, quæ se extendit ad omnia quæ sunt absolute possible, et cui opponitur *metaphysica* impossibilitas: possibilitas *physica*, quæ extenditur ad ea quæ non superant vires naturæ; cui opponitur *physica* impossibilitas, in eo posita, quod aliquid fieri nequeat viribus naturæ et salvis hujus legibus: possibilitas *moralis*, quæ se extendit ad ea quæ fieri possunt, salvis legibus naturæ moralis; cui opponitur *impossibilitas moralis*, dum repugnat aliquid fieri attentis naturæ moralis legibus, sive propensionibus naturalibus ac circumstantiis rerum.

4.º Possibilitas interna et absoluta rerum, nec ex intellectu nostro, nec ex rebus actu existentibus pendet. Quandoquidem, independenter a nostro intellectu et quavis ejus cogitatione, circulus, ex. gr. possibilitatem internam habet, eo ipso quod ejus prædicata et attributa nullam contradictionem involvunt, nec ullam repugnantiam ad existendum. Non absimiliter, antequam res actu existat, veram possibilitatem habet, quippe nihil realem existentiam accipit, nisi ens possibile sit: unde possibilitas interna seu absoluta rei, naturæ ordine præcedit ejusdem existentiam actualem. Imo etiam, si fingamus, cuncta entia finita in nihilum redigi, adhuc remaneret ipsorum possibilitas. Ergo ens dicitur possibile absolute et interne, independenter ab intellectu et a rebus actu existentibus.

His prælibatis, superest ut naturam et originem possibilitatis internæ vestigemus. Quocirca: 1.º non defaere qui existimarint, possibilitatem absolutam rerum constitui per

divinam omnipotentiam, ita ut res illæ dicantur possibles, et ideo dicantur possibles, quæ et quia a Deo fieri possunt (1): 2.º Cartesius contendit, possibilitatem rerum ex libera Dei voluntate repetendam esse, ita ut apud hunc philosophia christianæ pseudo-reformatorem, «quia voluit (Deus) tres angulos trianguli necessario æquales esse duobus rectis, idcirco hoc verum est et fieri aliter non potest, atque ita de reliquis:» 3.º alii e converso, possibilitatem entium a Deo prorsus independentem faciunt: 4.º denique, Scotus possibilitati internæ concedit esse aliquod logicum a Deo distinctum et independens. Ut ergo vera pronuntiata philosophiæ christianæ elucescant, sit,

THESIS 1.º

Possibilitas interna rerum non pendet ex libera Dei voluntate.

Prob. 1.º Si entium possibilitas interna a libera Dei voluntate penderet, possibili et impossibili absoluta, essent mutationi obnoxia, quod enim pendet ex libera voluntate Dei, v. g. *Petrum existere*, potest esse vel non esse: ergo Deus efficere posset, ut ens quod dicimus absolute vel interne impossibile, ex. gr. circulus quadratus, evadat interne possibile. Atqui Deus potest producere quidquid est interne possibile: ergo posset producere circulum quadratum, hominem sine rationalitate, lapidem intelligentem; siquidem, juxta Cartesium, figura quadrata circulo, et intelligentia lapidi solum repugnant, quia Deus voluit repugnare: ergo si Deus voluerit, ipsis non repugnabunt. Ergo poterit Deus

(1) Hanc opinionem non semel commemorat et rejicit D. Thomas. ac inter alia hæc habet: «Si autem dicatur, quod Deus sit omnipotens, quia potest omnia quæ sunt possible suæ potentia, erit circulatio in manifestatione omnipotentia; hoc enim non erit aliud quam dicere, quod Deus est omnipotens quia potest omnia quæ potest... Dicitur autem aliquid possibile vel impossibile absolute, ex habitudine terminorum: possibile quidem, quia prædicatum non repugnat subjecto; impossibile vero absolute, quia prædicatum repugnat subjecto, ut hominem esse asinum. *Sum. Theol.* 1.º P. q. 25, art. 3.º»

efficere ut contradictoria sint simul, et quod negatio affirmationem non tollat, aut vice versa (1).

THESIS 2.º

Possibilitas interna rerum fundamentum habet in intellectu Dei ac divina essentia.

Prob. Res quæ dicuntur interne possibles, et quæ idcirco externam quoque possibilitatem respectu Dei obtinent, eatenus dicuntur possibles absolute, quatenus exhibent rationem entis; sicut e converso, interne impossibile et respectu ipsius Dei, illud dicitur, quod non habet rationem entis: quia, ut habet D. Thomas, «oportet quod Deus dicatur non posse quidquid est contra rationem entis.» Atqui res interne possibili ac proinde producibilis Dei potentiam, eatenus exhibet rationem entis, quatenus continetur in intellectu atque essentia Dei: ergo rerum interna possibilitas fundamentum et rationem sufficientem desumit ex intellectu Dei, in quo necessario repræsentatur quidquid potest habere rationem entis. Atque exinde etiam ex essentia divina; tum quia hæc concipitur ut prior et ratio sufficiens intellectus; tum maxime quia ideæ archetypæ, quibus continentur et repræsentantur omnia quibus entis ratio non repugnat, nihil sunt aliud quam ipsa divina essentia, prout est infinite participabilis et imitabilis per creaturas possibles.

Confirmatur et illustratur hæc ratio. Deus, utpote ens summe intelligens, et suam essentiam perfectissime cognoscit, et non operatur nisi ex præconcepta idea exemplari operis faciendi; hic enim est proprius modus operandi agentis intellectualis, qua talis. Jam vero, quia divina essentia est infinita in suo esse, a Deo cognoscitur, non solum prout in se est absolute, sed etiam prout infinitis modis potest participari et imitari. Porro, essentia divina a Deo sub hac ratione intellecta, evadit idea exemplaris omnium creaturarum

(1) In inventionem hominis, qui a quibusdam philosophis catholicis, instaurator et *patris* christianæ metaphysicæ vocatur; ex qua principium contradictionis evertitur, et universalis scepticismus inducitur.

possibile, sive omnium quibus ratio entis non repugnat; quia essentia divina, ratione suæ infinitatis, et quia est ipsum esse purum et subsistens, necessario representat et continet imitabiliter quicquid rationem entis habere potest, quod est ipsum possibile internum et absolutum. Ergo interna rerum possibilitas, pendet vel potius identificatur cum ideis divinis, quæ nihil sunt aliud quam ipsa essentia divina, a Deo cognita prout multiformi ratione imitabilis.

Ad rem egregie D. Thomas, inter alia plurima, quæ brevitate causa prætermittere cogimur: (1) «Ipse (Deus) enim, essentiam suam perfecte cognoscit: unde cognoscit eam secundum omnem modum quo cognoscibilis est. Potest autem cognosci, non solum secundum quod in se est, sed secundum quod est participabilis secundum aliquem modum similitudinis a creaturis. Unaquæque autem creatura habet propriam speciem, (determinatam essentiam ac proinde rationem entis) secundum quod aliquo modo participat divinæ essentiae similitudinem. Sic igitur, in quantum Deus cognoscit suam essentiam, ut sic imitabilem a tali creatura, cognoscit eam ut propriam rationem et ideam hujus creaturæ; et similiter de aliis.» Et alibi: «Essentia sua est idea rerum, non quidem ut essentia, sed ut est intellecta: res autem creata non perfecte imitantur divinam essentiam; unde essentia non accipitur absolute ab intellectu divino ut idea rerum, sed cum proportionem creaturæ fiendæ ad ipsam divinam essentiam. Et ideo ipsa divina essentia, cointellectis diversis proportionibus rerum ad eam, est idea uniuscujusque rei. Unde cum sint diversæ rerum proportionem, necesse est esse plures ideas: et est quidem una (idea) omnium (rerum) ex parte essentiae (divinæ); sed pluralitas invenitur ex parte diversarum proportionum creaturarum ad ipsam.» (2)

Corollaria:

1.^m Ergo fundamentum primum et remotum entium possibile, constituendum est in essentia divina, quæ, utpote infinita, continet omnes gradus et perfectiones entis; funda-

(1) Sum. Theol. 1.^a P., q. 15, art. 2.^a

(2) QQ. Disp. De Verit. q. 3.^a art. 2.^a

mentum vero proximum seu immediatam rationem sufficientem possibilitatis internæ entium, reponere oportet in intellectu divino, quatenus in eo continentur ideæ seu rationes primitivæ exemplares rerum omnium, quæ rationem entis possunt participare.

2.^m Ergo veritates illæ quæ continent et exprimunt relationes necessarias entium possibile, fundamentum reale habent in ipsa essentia divina, vel potius in ideis divinis, quæ se habent ut formæ seu rationes exemplares, æternæ, et immutabiles rerum, quæ vel creantur, vel creari queunt. Atque ex hujusmodi ideis divinis, quæ necessaria, æternæ et immutabiles existunt, derivantur necessitas, æternitas et immutabilitas, quibus prædictæ veritates donantur. (1)

3.^m Ergo rejicienda sententia Storchenau, qui docet possibilitatem internam rerum, a Deo minime pendere. Siquidem, ex hucusque dictis satis constat, in hypothesi non existentiae Dei, necessario tolli entia possible. Cui doctrinæ adstipulatur Leibnitz dum ait: (2) «Ipsa rerum possibilitas, cum actu non existunt, realitatem habet fundatam in divina existentia: nisi enim Deus existeret, nihil possibile foret, et possible ab æterno sunt in ideis divini intellectus.»

THESIS 3.^a

Res internæ possible nullam esse in seipsis habent, distinctum vel independens ab esse divino.

Hæc thesis nihil est aliud quam applicatio legitima et consecrarium præcedentium. Nam si interna possibilitas non pendet ex libera Dei voluntate, et simul constituitur per essentiam divinam, identificaturque cum ideis divini inte-

(1) Naturam et munera idearum divinarum, egregie, pro more, describit D. Augustinus his verbis. «Ideæ sunt principales quædam formæ, vel rationes rerum stabiles atque incommutabiles, quia ipsæ formatæ non sunt, ac per hoc æternæ ac semper eodem modo se habentes, quæ divina intelligentia continentur. Sed cum ipsæ, nec oriuntur, nec intereant, secundum eas tamen formari dicitur omne quod oriri vel interire potest.» *Quæst.* 83, q. 46.

(2) *Causa Dei* ass. num. 8.^a

lectus, pronum est colligere, entia possibilea, præter esse ideale seu objectivum quod habent in nostro intellectu dum percipiuntur, nullum aliud esse habere posse, nisi ipsum esse divinum; quod quidem esse divinum, sive Dei essentia, ut diximus, entia omnia possibilea in se continet, quatenus est fundamentum et ratio sufficiens ipsorum. Sicut ergo ideæ intellectus divini non habent aliud esse præter esse essentia divina, ita nec possibilea quæ continentur ideis divinis, habent aliud esse præter esse idearum divini intellectus, quæ non distinguuntur ab essentia divina, sed cum ipsa identificantur.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.^o Ens omnipotens illud dicitur, quod potest omnia facere; atqui Deus est ens omnipotens: ergo potest omnia facere, ac proinde etiam ut possibilea evadant impossibilea et e converso.

Resp. Dist. maj. Ens omnipotens... potest omnia facere, quæ contradictionem non includunt, conc. secus, neg. Igitur Deus dicitur omnipotens, non quod possit producere contradictoria, quippe hoc idem esset ac producere nihilum seu non-ens, cum idem sit contradictionem includere, ac excludere rationem entis. Sed omnipotens potius ac directe dicitur, quia potest perducere ad existentiam, omnia illa quibus ratio entis non repugnat. Quapropter ad rem D. Thomas: (1) «Esse divinum, super quod ratio divinae potentia fundatur, est esse infinitum, non limitatum ad aliquod genus entis, sed præhabens in se totius esse perfectionem. Unde quidquid potest habere rationem entis, continetur sub possibileibus absolutis, respectu quorum Deus dicitur omnipotens. Nihil autem opponitur rationi entis, nisi non ens. Hoc igitur repugnat rationi possibileis absoluti (quod subditur divinae omnipotentia), quod implicat in se esse et non esse simul. Hoc enim omnipotentia non subditur, non propter defectum divinae potentia, sed quia non potest habere rationem factibileis neque possibileis.

(1) Sum. Theol. 1.^a P., q. 25, art. 3.^o

Objic. 2.^o Rerum possibilitas pendet ab eo, quo sublato, tollitur; atqui sublata Dei omnipotentia, tollitur rerum possibilitas: ergo.

Resp. Omisso ant. Dist. min. Tollitur rerum possibilitas adæquata, conc. inadæquata, subdist. ex consequenti, conc. quia omnipotentia sit ratio efficiens, vel formalis possibilitatis, neg. Possibilitas adæquata et completa rerum, præter internam, externam quoque possibilitatem includit; quæ quidem sine Dei omnipotentia, quam respicit externa possibilitas, consistere nequit. At si sermo sit de sola interna possibilitate, hæc ab omnipotentia quidem minime pendet, quasi omnipotentia sit ratio sufficiens possibilitatis interna; quia si per impossibile supponamus, sublata Dei omnipotentia, remanere ejus essentiam cum ideis exemplaribus, prout nunc extant in mente divina, jure merito dici posset, entia quæ representantur præfatis ideis, esse possibilea interne. Cum ergo dicitur, quod sublata omnipotentia Dei, tollitur possibilitas interna rerum, id solum verificatur ex consequenti, a posteriori, et veluti sensu materiali, quatenus tolli nequit Dei omnipotentia, quia simul tollatur ejus essentia cum ideis; quibus sublatis, nihilum absolutum inducitur, ac proinde nulla remanere potest entium possibilitas, sive externa, sive interna. Quamvis porro omnipotentia a divina essentia realiter non distinguatur, distinguitur tamen virtualiter, quatenus eam concipimus ut attributum fluens ab essentia divina, ipsaque proinde posterior nature ordine et secundum modum nostrum concipiendi.

Objic. 3.^o Si possibilitas interna rerum a Deo penderet, ad sensum expositum, entia creata a Deo non distinguerentur realiter; atqui hoc et absurdum existit, et pantheismum redolet: ergo. Prob. maj. Ex secunda thesi, possibilitas interna rerum identificatur cum ideis divinis; atqui ideæ divina ab ipso Deo realiter non distinguuntur: ergo nec entia possibilea. Prob. cons. Entia creata, sunt ipsa entia possibilea. Prob. cons. Entia creata, sunt ipsa entia possibilea, quatenus recipiunt existentiam physicam per quam transeunt a statu possibilitatis ad statum actualitatis: ergo.

Resp. Neg. maj. Ad prob. dist. maj. Possibilitas interna rerum identificatur cum ideis divinis, formaliter et subjective,

neg. *terminative et objective*, conc. Et similiter ad min. Idea divinæ *formaliter et subjective acceptæ*, ab ipso Deo realiter non distinguuntur, conc. *si accipiantur terminative et objective*, neg. Ut solutio plenius faciliusque capiatur, accipiamus in Deo formam exemplarem sive ideam *hominis*. Hæc idea potest spectari: 1.º quatenus est realitas quædam existens in essentia divina: 2.º quatenus respicit naturam humanam et non aliam, atque quatenus exinde *homo est terminus seu objectum representatum per eam*. Aliud est ergo idea divina hominem representans, aliud homo possibilis per eam representatus; sicut aliud est notio, vel idea Petri quam in mente habeo, et aliud Petrus ipse extra me physice existens. Sub primo respectu, idea divina hominis identificatur cum essentia divina, ast minime sub secundo respectu sive ex parte termini; quoniam homo qui potest produci, et qui representatur in idea divina, aliquid est ab hac idea distinctum. Etenim, Deus eatenus dicitur rem possibilem producere sive actualem reddere, quatenus efficit ut existentiam et realitatem physicam habeat, id quod antea solum erat in potentia ad existentiam physicam habendam, non vero quasi Deus dum rem possibilem producit vel creat, ipsam ideam exemplarem quam præhabet in sua essentia, actuet per existentiam physicam; hæc quippe existentia, in essentia ex nihilo educta recipitur, et non in idea ipsa exemplari mentis divinæ. Hæc tamen idea divina, merito dicitur fundamentum et ratio possibilitatis illius rei, tum quia antequam producat res, in illa idea representatur, tum quia dum actu producit, ad normam et imitationem illius ideæ producit.

Objic. 4.º Quod concipi potest independentem ab alio, ab ipso non pendet; atqui possumus cogitare et concipere rerum internam possibilitatem, quin de ideis aut essentia divina quidpiam cogitemus: ergo.

Resp. 1.º Neg. maj. Secus enim admittere cogemur, mundum mundanaque entia a Deo non pendere, cum de rebus plurimis sigillatim cogitare possimus, quin Deum actu cogitemus. Sed præterea,

Resp. 2.º Dist. min. Possumus etc. *quoad conceptum ejus primum*, conc. *quoad perfectiorem et adæquatam notionem*, neg. Conceptus primarius possibilitatis internæ habetur dum

ejus natura absolute et secundum se spectatur; quæ cum consistat in non repugnantia extremorum, vel prædicatorum rei possibilis, solum exigit collationem horum extremorum, pro qua actualis cogitatio Dei minime requiritur, sicut non requiritur ad percipiendum Petrum esse ens reale, et distinctum a lapide. Ast vero, sicut Petrus cognosci nequit perfecte et adæquate, hoc est, quoad omnia attributa et relationes quæ includit, nisi cognoscatur ejus dependentia a Deo quoad esse et conservari, ita perfecta et adæquata rerum possibilitas non habetur, nisi dum agnoscitur convenientiam prædicatorum, in qua formaliter et immediate consistit possibilitas interna, pendere et oriri ex essentia divina ejusque ideis, tanquam ex fundamento et ratione sufficienti.

Objic. 5.º Si possibilitas interna rerum constituitur per convenientiam notarum seu prædicatorum essentia, atque per hujus representationem in ideis divinis, limites apponuntur omnipotentia Dei: ergo. Prob. ant. In data hypothesis, actio productiva Dei non posset terminari nisi ad res interne possibles, et in ideis divinis præcontentas et representatas; atqui hoc est apponere limites omnipotentia divinæ, quippe quæ nihil extra enumerata possible, posset producere: ergo.

Resp. Neg. ant. Ad prob. neg. min. Quandoquidem, falsum prorsus est limites ullos vere apponi potentia divinæ, ex eo quod solum producere possit entia absolute possible, quæ divinis ideis continentur. Dicere namque Deum posse producere possible interne, idem est ac dicere eum posse producere omnia quæ possunt habere rationem entis. Quod quidem tantum habet, ut limites omnipotentia apponat, ut potius penitus removeat; tum quia ea quæ possunt habere rationem entis sunt infinita, sicut et ideæ divinæ quibus continentur; tum quia hoc ipsum quod Deus nequit entia interne impossible producere, minime oritur ex defectu aut limitatione potentia, sed ex defectu, vel negatione termini, cum ens interne impossibile convertatur cum *non-ente seu nihilo*: quapropter, ut aptissime habet D. Thomas, «convenientius dicitur quod ea non possint fieri, quam quod Deus non possit facere.»

SCHOLIUM.

Doctrina hæc circa entis possibilitatem nexum atque relationem habet cum doctrina theologica circa Dei scientiam *visionis et simplicis intelligentiæ*. Atque harum prima, ea dicitur qua Deus cognoscit creaturas, quæ aut fuerunt, aut sunt, aut erunt, quatenus ipsarum existentia physica, præsens existit in Dei æternitate: altera, respicit creaturas pure possibles, quæ nec fuerunt, nec sunt, nec erunt. Creaturæ actuales, quæ sunt objectum scientiæ *visionis*, respiciunt Deum, non solum ut rationem sufficientem, sed ut causam etiam ex qua et per quam existentiam acceperunt: creaturæ vero pure possibles, quæ objectum constituunt scientiæ *simplicis intelligentiæ*, respiciunt quidem Deum ut *rationem* sufficientem, non vero ut causam possibilitatis ipsarum. Quamvis enim possimus dicere, ideas divinas continere rationem quare hæc, vel illa res sit possibilis, non possumus tamen dicere, esse proprie causam efficientem possibilitatis ejusdem; cum hæc possibilitas *realiter spectata*, hoc est, quoad realitatem quam includit, sit ipsa idea divina. Ex quibus omnibus, hæc philosophico-theologica colliges:

1.º Scientia visionis, præter notitiam intellectualem objecti, includit determinationem liberam et efficacem voluntatis divinæ ad ejusdem physicam existentiam: at scientia simplicis intelligentiæ solam cognitionem rei involvit, absque ullo decreto voluntatis quoad ejusdem productionem vel existentiam physicam.

2.º Nullus creatus intellectus potest perfecte cognoscere omnia entia possible; quippe perfecta et adæquata cognitio omnium possible, secum ferret cognitionem adæquatam idearum divinarum, ipsiusque essentiæ divinæ, cum qua identificantur.

3.º Perfectiones et gradus entium possible, respondent necessario perfectioni essentiæ divinæ; unde, cum hæc infinita sit in ratione entis, infiniteque participabilis, infinita quoque sint necesse est, entia possible.

4.º Inter creatas mentes, ea perfectius Deum cognoscit, quæ plura possible in eo videt aut cognoscit; quo enim plura possible in Deo videt, eo magis ejus essentiæ, vir-

tutem ac perfectiones penetrat. Unde D. Thomas, nec ipsi intellectui elevato per lumen gloriæ ad visionem Dei, concedit vim pro cognitione omnium possible, huicque nostræ doctrinæ adstipulatur dum ait: (1) «Nullus igitur intellectus creatus videndo Deum, potest cognoscere omnia quæ Deus facit vel potest facere: hoc enim esset comprehendere ejus virtutem. Sed horum quæ Deus facit vel facere potest, tanto aliquis intellectus plura cognoscit, quanto perfectius Deum videt.»

ARTICULUS TERTIUS.

De ente substantiali et accidentali.

Quia substantia considerari potest, tum in seipsa, tum quatenus subicitur accidentibus, agemus primo de substantiæ notione et existentia; deinde de accidentium distinctione et separabilitate a substantia.

§ I.

De substantia.

Ne plus æquo longiores simus, vestigationem ontologicam de substantia sequentibus summatim complectemur:

1.º *Substantia*, si vim nominis attendamus, est id quod aliis *substans* vel substernitur. Et quoniam non raro accidit, quod eadem sit origo nominis et notionis rei, non immerito adfirmaremus, notionem primam substantiæ in nobis oriri ex observatione phænomenorum sive accidentium, quæ sibi succedere in re aliqua, eadem in se permanente, conspiciamus. Sic observando per conscientiam seu internam experientiam, esse in nobis aliquid quod idem perseverat inter perpetuam successionem sensationum, appetitionum, intentionum, volitionum, etc. in nobis exurgit notio alicujus rei in qua verificantur hujusmodi phænomena seu mutationes, et quæ, dum incipiunt et desinunt esse in ea præfata sensa-

(1) Sum. Theol. 1.º P., q. 42, art. 8.º

tiones, volitiones, etc. eadem permanet quoad suam entitatem fundamentalem. Similiter, observando phænomena sensibilia et mutationes, quæ in uno et eodem corpore ab aliis se juncto, contingunt, concipimus adesse ibi aliquod ens fixum, stabile, et perdurabile, in quo recipiuntur et sibi succedunt phænomena illa et mutationes. Prima ergo et veluti rudimentaria notio substantiæ, tam spiritualis, quam materialis, originem ducit ex observatione phænomenorum, qualitatum, mutationum, quæ per experientiam vel internam, vel externam, in rebus ipsis directe contuemur et experimur.

2.º Dico prima et veluti rudimentaria notio substantiæ; quia hujus integra notio non complectitur solam permanentiam inter mutationes accidentales, harumve receptionem, sed his addit aptitudinem seu facultatem existendi in se et per se, quin indigeat in alio subjecto recipi ut existat. Immo etiam, posterior iste conceptus, præcipuus est in notione substantiæ; tum quia hæc eatenus potestatem habet recipiendi et sustentandi accidentia, quatenus prius naturæ ordine existit in se; tum etiam quia absolute loquendo, permanere seu perdurare idem inter mutationes sensibiles sibi succedentes, accidentali enti quodammodo competit; siquidem, extensio corporis, eadem manet et perdurat dum fit alba, vel nigra, calida, vel frigida, etc. Quibus si addas, non optime concipere substantiam quæ nullis accidentibus seu mutationibus subjiciatur, ut de facto contingit in Deo, evidenter elucescit, substantiam per posteriorem potius quam per priorem conceptum esse definiendam. (1)

3.º Itaque, notio integra substantiæ, saltem finitæ, ex phænomenis et accidentibus sensibilibus pendet secundum ordinem acquisitionis, et quoad generationem; siquidem, per accidentia et ratione accidentium, notionem substantiæ acquirimus. Ast vero, ordine naturæ et logico, substantia

(1) Propter has rationes nos approbamus definitionem substantiæ corporeæ, quam tradit noster Balmes, dum scribit: «Si quisiescimos pues definir la sustancia corpórea, deberíamos limitarnos á decir que es un sér permanente en que se verifican las mudanzas que se nos ofrecen en los fenómenos sensibles.» *Filos. Fund.* l. 9.º cap. 3.º

prior est accidentibus; quoniam hæc ab ipsa dependent et in ipsa recipiuntur: unde notionem completam, et existentiam accidentium concipere non possumus, nisi præsupponendo substantiam, cui tanquam subjecto inhæreant. Verbo: substantia non pendet ex accidentibus, accidentia vero necessario pendet ex substantia cui inhærent (1).

4.º Ex hucusque instituta analysi notionis substantiæ, hæc licet colligere:

a) Notio vel idea substantiæ, apud nos, est valde incompleta; quia de substantia in genere accepta nihil aliud scimus, nisi quod est entitas permanens potens recipere varia accidentia seu modificationes, et quod ista entitas seu realitas, non indiget recipi in alio subjecto ut existat.

b) Idea substantiæ in nobis, complectitur quasi duo elementa, quorum unum est positivum, nempe, *entitas realis*, quæ accidentia recipit, et permanet inter mutationes accidentales: alterum negativum, nempe, *existere in se*, quod quidem quamvis voce tenus positivum quid videatur; revera tamen, negationem præ se fert; nam eatenus et ideo dicimus, substantiam esse ens per se seu existere in se, quia non recipitur in aliquo sive non inhæret subjecto; ut enim merito habet D. Thomas (2), substantia «dicitur ens per se, ex hoc quod non est in alio, quod est negatio pura.»

c) Secundum ordinem naturæ et logicum, substantiæ notio constituitur primario per entitatem realem, quatenus involvit et dicit negationem existendi in alio, et non quatenus dicit potestatem sustinendi accidentia.

d) Substantia incapax est, apud nos, definitionis proprie

(1) Huic doctrinæ plane adsentitur Cousin, in hæc verba scribens: «Comme le corps, la succession, le fini, la variété, présupposent logiquement l'espace, le temps, l'infini, l'unité; de même, dans l'ordre de la raison et de la nature, il est évident que l'attribut et l'accident présupposent le sujet et la substance: mais il n'est pas moins évident que dans l'ordre d'acquisition de nos idées, l'idée d'attribut et de accident est la condition nécessaire pour arriver à celle de substance et de sujet, comme dans ce même ordre l'idée de corps, de succession, de nombre et de variété, est la condition de l'idée d'espace, de temps, d'infini et d'identité.»

(2) *Sum. cont. Gent.* l. 1.º cap. 25.

dictæ ac perfectæ; tum quia nihil habet supra se nisi notionem communem entis, quæ, ut diximus, genus logicum dici nequit respectu inferiorum; tum quia substantiæ intimam naturam ignoramus, ejusque indeterminatam tantum et incompletam ideam habemus.

5.^o Ex quibus jam colligo, aptiorem definitionem seu descriptionem substantiæ, esse eam qua dicatur: *Eus in se existens*, vel melius et explicatius: *Eus quod non indiget subjecto cui inhæreat ad existendum*. (1) Dico *subjecto cui inhæreat*, quia substantia subjectum *inhærentionis* excludit, ast non subjectum *adhærentionis*, quod locum habet, dum vel substantia incompleta alteri similiter incompletæ *adhæret* vel conjungitur ad completam conficiendam, ut contingit in anima hominis, vel bruti respectu corporis; vel pars substantialis in toto existit, ipsique conjungitur, ut brachium respectu corporis humani. Rejicere itaque oportet, ut minus exactas, tum eas definitiones, quæ substantiam describunt, per potestatem recipiendi et sustentandi accidentia, quoniam hoc conceptum primum substantiæ non exprimit; tum etiam illas, quæ substantiam describunt per absolutam independentiam ab alio, nihil exprimendo de natura hujusmodi independentiæ. Quod quidem peccatum peccavit Cartesius, dum ait: «Per substantiam nihil aliud intelligere possumus, quam rem quæ ita existit, ut nulla alia re indigeat ad existendum.» Quæ sane definitio, si ad litteram accipiatur, soli substantiæ infinitæ et increatæ convenit, ac proinde pantheismum sapit, præsertim, si præ oculis habeatur, quod Cartesius ibidem subjungit, in hæc verba: «Et quidem, substantia quæ nulla alia re indigeat, unica tantum potest intelligi, nempe, Deus.» (2) Unde nihil mirum, quod non igno-

(1) Hæc definitio traditur a D. Thoma, quamvis utatur verbis paulisper diversis, dum scribit: «Si substantia possit habere definitionem, non obstante quod est genus generalissimum (supremum dicitur apud logicos), erit ejus definitio, quod substantia est res, cujus quidditati debetur esse non in aliquo.» *QQ. Disp. De Pot. q. 7.º art. 3.º*

(2) *Princip. 1.º P. cap. 51.*

biles scriptores, Spinozæ pantheismum ex cartesiana definitione substantiæ deductum asserant. (1)

6.^o Porro, ex prælibatis aperte liquet, nos et habere veram notionem substantiæ, et hujus non solum realem existentiam, sed distinctionem quoque internoscere; quoniam ex phænomenorum et mutationum sensibilium existentia, distinctione, et successione, existentia et distinctio substantiarum evidentur colliguntur. Penitus proinde explodenda sententia Locke, adserentis, substantiam nihil esse aliud quam *collectionem qualitatum simul existentium, ratione nobis ignota*. Quod profecto nihil est aliud quam ad figmenta et nihilum reducere substantiam objective sumptam. Semel enim ac admittatur, quod substantia non est nisi collectio vel complexus qualitatum, legitima consecutione inferre licebit, res extra nos positas, ut equum, arborem, lapidem, nullam realitatem vel entitatem objectivam habere, præter entitatem accidentium vel qualitatum; quod certe omnibus errorum monstris. (2)

(1) Dixi *si ad litteram accipiatur*, quia si alia loca, et contextus generalis doctrinæ Cartesii inspiciantur, satis perspicue apparet, eum rejicere pantheismum, pluralitatemque substantiarum admisisse.

Ast quod vere peregrinum, ad risum usque existit, est sententia Royer-Collard, rotundo ore affirmantis, hanc definitionem Cartesii ad Scholasticos pertinere, ita ut Cartesius nihil aliud egerit, si fides huic philosopho, quam definire substantiam definitione Scholasticorum: «La seconde remarque, inquit, c'est que Descartes définit la substance comme les Scholastiques, *res quæ ita existit ut nulla alia re indigeat ad existendum*» *Fragments*, apud *Œuvr. de Reid*, t. 4.º pag. 308. Oplarem sane scire, apud quem Scholasticorum, hanc substantiæ definitionem detexerit Royer-Collard. Equidem ego Scholasticos aliquos, fortasse plures quam Royer-Collard perlegi, sed Scholasticum hoc modo substantiam definientem, hucusque vidi neminem.

Definitioni cartesianæ alius est definitio quam de substantia tradit Cousin, dum ait, substantiam esse *ens quod nihil ultra se in ordine ad existendum supponit*. Qua in re, fidelem se exhibet discipulum et assecram Cartesii, quem ad celos usque continuo extollit, et quem unicum veræ philosophiæ magistrum veneratur et colit.

(2) Lockianum systema circa substantiæ notionem et existentiam perspicue exponit Royer-Collard verbis hisce: «Voici le système de Locke. L'esprit ne perçoit que ses propres idées; elles sont l'unique

7.° Sunt qui operosius inquirent, utrum ratio vel notio substantiæ, Deo possit jure tribui. Cui quidem questioni facile quis satisfacere potest ex dictis. Nam si substantia sumatur, prout a nobis definita est, quoad conceptum ejus primum, proculdubio Deus proprie dicitur substantia, cum vere sit *ens in se existens*, sive entitas realis non indigens subjecto ad existendum. Ast vero, si questio, non absolute, sed *per comparationem* ab substantiis creatis instituitur, tunc bene dici potest, rationem substantiæ Deo non convenire, idque sub duplici respectu: 1.° quia substantia creata, in rigore loquendo, est quidditas determinata vel essentia quæ, si existat, vel dum existit, debet existere in se et per se sine subjecto; quoniam in ea actus existendi distin-

objet de sa connaissance. Elles lui arrivent par les sens et par la réflexion. Une idée qui serait dans l'esprit, et qui n'y serait pas entrée par l'une ou l'autre voie, serait une contradiction. Il suit de là que si nous n'avons pas l'idée de substance, il n'y a point de substance dans la nature; et que si nous l'avons, elle est une idée de sensation ou de réflexion.

La première question que Locke ait dû se proposer est donc celle-ci: Avons-nous l'idée de substance? Voici comme il y répond: «Il y a une idée qu'il serait avantageux aux hommes d'avoir; je veux parler de l'idée de la substance, que nous n'avons ni ne pouvons avoir par voie de sensation ou de réflexion.» *Fragments. Loc. cit. pag. 309.* Ex quibus jure merito philosophiæ scriptores et critici collegerunt, Locke substantiæ notionem et existentiam denegasse, cum expressis verbis profiteatur, nos ejus ideam acquirere non posse, *nec per sensationis viam, nec reflexionis*; quæ sunt duæ viæ, quibus per Locke, in rerum cognitionem unice devenimus.

Nihilominus verius diceretur, hunc philosophum, in re hac contradictoria scripsisse, prout non infrequentias ipsi contingit. Siquidem, aliis in locis, existentiam et notionem substantiæ, prout ab accidenti distinctæ, admittere videtur: «Toutes les idées que nous avons des différentes espèces de substances, ne sont que des collections de idées simples avec la supposition d'un sujet auquel elles appartiennent, et dans lequel elles subsistent; quoique nous n'ayons point de idée claire et distincte de ce sujet.» *Essai sur l'ent. etc. l. 2.° cap. 23.* Et alibi: «La substance est donc quelque chose de très réel, mais comme elle n'est pas représentée à l'esprit par une idée claire et distincte, le rapport de la substance aux modes... et ainsi l'esprit, de ces idées simples, s'éleve à l'idée générale et relative de substance, qu'il n'aurait point eue sans elle.» *Lettre prom. à l'évêq. de Worcester.*

guitur ab essentia illa substantiali. Contra vero, Deus dicitur substantia, et ens in se existens, non quasi sit essentia vel quidditas cui debeat existere in se, sed quia est ipsa existentia absoluta et actualis, quæ in eo constituit essentiam ipsam. Quo sensu accipienda sunt verba D. Thomæ, dum ait: (1) «In ratione substantiæ intelligatur, quod habeat quidditatem cui conveniat esse non in alio; hoc autem Deo non convenit, nam non habet quidditatem nisi suum esse.» 2.° Quatenus substantia in Deo non est subjectum accidentium vel mutationum, sicut creata substantia. (2) Quod si hæc ipsa questio logice proponatur, scilicet, utrum Deus contineatur in prædicamento substantiæ, negative tunc solvenda est, ut in Logica diximus, cum Dei substantia, utpote simplicissima et actualissima, compositionem ex genere et differentia, prorsus excludat.

8.° Illud tandem pro colophone notatum velim, pro his maxime qui, vel scholasticæ theologiæ incumbere, vel Scholasticorum opera perlegere in animum inducant, et *ens per se*, quod, dum de substantia agitur, non veteres modo, sed moderni etiam frequentius usurpant, multiplices eosque non parum diversos excipere sensus et significationes. Sumi enim potest:

a) Pro eo quod unicam essentiam habet, et prout opponitur enti *per accidens*, illud, nempe, quod coalescit ex duabus essentiis in suo genere completis et accidentaliter unitis: sic Petrus, dicitur *ens per se*, quatenus dicit humanitatem: sed *album*, vel *Petrus-almus*, est ens per accidens, quatenus significat humanitatem et albedinem accidentaliter conjunctas in hoc subjecto.

b) Pro eo quod ita est *ens per se*, ut excludat quancumque dependentiam ab alio ente, sive subjecti, sive causæ,

(1) *Sum. cont. Gent. l. 1.° cap. 23.*

(2) Sub hoc secundo sensu, et hac potissimum ratione docet D. Augustinus, Deum *abusivè substantiam vocari*. Quandoquidem, postquam statuerat Deum dici essentiam quia est ipsum esse, subjungit: «Sed alie quæ dicuntur essentiæ sive substantiæ, capiunt accidentia; quibus in eis fiat, vel magna, vel quantacumque mutatio: Deo autem aliquid ejusmodi accidere non potest, et ideo sola est incommutabilis substantia.» *De Trinit. l. 3.° cap. 2.°*

sive ejuscumque alterius rationis; quo sane sensu, solus Deus dici potest *ens per se*.

e) Prout excludit existentiam unius rei in alia tanquam in toto: sic compositum substantiale, v. gr. equus, dicitur esse vel existere *per se*; ast ejus partes, non solum integrales et minus principales, ut brachium, sed essentialiter componentes, ut corpus, et anima sensitiva, non dicuntur existere vel esse *per se*, sed in composito et per existentiam compositi.

d) Sumi potest prout æquivalet enti completo per subsistentiam; atque hoc sensu, sola supposita vel personæ, dicuntur *per se* existere, non vero essentiæ vel naturæ, nisi cum subsistentia significantur, sicut homo, dicitur *existere per se*, non vero humanitas, quia hæc significatur per modum formæ existentis in-supposito.

e) Demum sumitur *per se*, quatenus excludit inhærentiam in alio tanquam subjecto, quæ propria est accidentium; quo sensu accipiendum est, dum substantia apud quosdam, tam veteres, quam recentiores, definitur *ens per se* subsistens vel existens. Sed ne ulla ansa æquivocationi præbeatur, melius definitur *ens in se existens*, prout nos fecimus.

§ II.

De accidentali ente.

Prænotanda:

1.º Experientia teste, res, eadem manens quoad entitatem substantialem, varias, easque insignes et sensibiles submutationes. Illud, quod rationem sufficientem ejusmodi mutationum continet, vel quod realiter substantiam afficit et modificat, tanquam res extra conceptum substantiæ posita, appellatur *accidens* substantiæ, frequentius vero, apud recentiores, *modus*: sic extensio, motus, figura, dicuntur accidentia vel modi hujus corporis.

2.º Accidentia physica, de quibus hic est sermo, non incongrue in absoluta et modalia dividuntur. *Absoluta* ea dicuntur, quæ ex sua natura et conceptu, novam et insigniorem entitatem in subjecto ponunt, ut quantitas, calor, motus, alia hujusmodi. *Modalia* e contra dicuntur, quæ ex

propria natura, minimam entitatem præ se ferunt, ac substantiæ in qua existunt, novum *statum* vel modum essendi accidentaliter potius quam novam entitatem asserunt. Verbo, et fortasse melius: Modus est qui immediate afficit accidens absolutum, et per ipsum mediate substantiam. Sic, velocitas ex. c. motum immediate afficit tanquam ipsius modus, atque ratione motus substantiam ipsam mediate afficit.

3.º Extensio vel quantitas, præcipuum ac veluti primum locum obtinet inter corporum accidentia, idque duplici potissimum ratione: 1.º quia insigniorem entitatem ac veluti perfectiorem realitatem, extra genus vel lineam substantiæ, corpori asserre videtur: 2.º quia et ipsa immediate afficit corpoream substantiam, et ex hoc ipso efficitur quasi fundamentum ac immediatum subjectum aliorum accidentium et modorum, quæ corpus afficiunt media quantitate; ut enim habet D. Thomas, *quantitas est prima post substantiam*, hoc est, prima entitas accidentalis quæ consequitur substantiam corpoream. Unde et reliqua accidentia eandem veluti immediatum fundamentum vel subjectum præsupponunt, atque ut habet D. Thomas: «Omnia alia accidentia, in quantitate fundantur.» (1) Hinc est, quod quamvis corpora ratione pura concipi queant sine quantitate, minime vero imaginatione. (2)

Philosophia christiana per Ecclesiæ Patres præformata, per Scholæ principes evoluta, veritate divina nutrita, ac Dei rationi et revelationi subjecta, constanter docuerat, accidentia non solum a substantia cui inhærent, realiter distinguui, sed ipsorum quedam a substantia disjungi ac conser-

(1) *Sent.* lib. 4.º Dist. 12, q. 1.º art. 1.º

(2) Atque ex hoc fortasse originem duxit doctrina Kant asserentis, spatium, quod quidem in rerum natura cum quantitate vel extensione corporum identificatur, esse formam subjectivam necessariam intuitionis sensibilis. Quæ quidem doctrina veritatem habet, et D. Thomæ est consentanea, ac fortasse ex ipso deprompta, quatenus docet, nihil sensibus, nec ipsa imaginatione percipi a nobis posse, nisi quantitate donetur. Ast errorem et falsitatem continet, quatenus tollit et inficitur objectivam realitatem hujusmodi quantitatis, ad formam pure internam sive *subjectivam* spatium redigendo.

vari posse virtute Dei. Contra vero, moderna philosophia, postquam Cartesio magistro, novam scientiam eudere aggressa est, sola ratione naturali et individua duce, non separabilitatem modo, sed ipsam realem distinctionem accidentium a substantia, totis viribus oppugnavit (1). Nos vero, principiis christianæ philosophiæ insistentes, statuimus sequentia:

THESIS 1.^a

Dantur accidentia, quæ a substantiis creatis quibus insunt, realiter distinguuntur.

Prob. 1.^o Ex omnium consensu, et experientia teste, figura rotunda, v. gr. et motus, sunt accidentia respectu lapidis, sensatio et volitio respectu animæ rationalis; quandoquidem possunt esse, vel non esse in lapide, vel anima. Atqui huiusmodi accidentia realiter distinguuntur a substantia cui inhaerent: ergo. Prob. min. Huiusmodi accidentia sunt aliquid reale, cum inducant in subjecto mutationes reales; absurdum enim esset dicere, motum lapidis antea immoti, et volitionem, vel appetitionem cibi quem antea nollebam, nihil reale esse in lapide, vel anima: atqui non sunt aliquid reale substantiale, cum substantia eadem sit ante et

(1) Excipiendus tamen Leibnitz, qui ut erat vir boni sensus, veritatem potius quam novitatem, ut plurimum, quærens, realem distinctionem accidentium a substantia tuetur. Ut enim alia omitamus, Petro Bayle cartesianorum doctrinam et argumenta de re hac obijcienti, ita respondet: «Il est bon d'ailleurs qu'on prenne garde, qu'en confondant les substances avec les accidents, on ôte l'action aux substances créés, ou ne tombe dans le Spinosisme, qui est un Cartesianisme outré... Si les accidens ne sont point distingués des substances; si la substance créé est un être successif, comme le mouvement; si elle ne dure pas au delà d'un moment, et ne se trouve pas la même, durant quelque partie assignable du temps, non plus que ses accidens... pourquoi ne dira-t-on pas comme Spinoza, que Dieu est la seule substance, et que les creatures ne sont que des accidens ou des modifications? Jusqu'icy on a cru que la substance demeure et que les accidens changent: et je crois qu'on doit se tenir encore à cette ancienne doctrine; les arguments que je me souviens d'avoir lus ne prouvant point le contraire, et prouvant plus qu'il ne faut.» *Essai de Theod.* P. 3.^o num. 393.

post motum aut volitionem: ergo sunt aliquid reale accidentale: ergo dantur accidentia, quæ realiter a substantia cui insunt distinguuntur.

Prob. 2.^o ex absurdis oppositam sententiam prementibus, quorum, brevitati consulentes, duo tantum inuimus.

1.^o Ex doctrina catholica, dum peccator justificatur, gratiam sanctificantem, ac virtutes infusas, fidem, spem, charitatem recipit a Deo, atque per eas constituitur homo in ordine supernaturali, simulque vim obtinet eliciendi actus supernaturales. Si autem accidentia nihil reale addunt substantiæ: ergo cum dicitur quod *gratia diffunditur in cordibus hominum per Spiritum Sanctum atque illis inhaeret*, idem erit ac dicere quod nulla realitas, vel ens non-reale diffunditur in cordibus hominum per Spiritum Sanctum: ac proinde quod anima peccatoris, eodem modo *reali* se habet ante et post susceptam gratiam.

2.^o Qui inscientur realem distinctionem accidentium a substantia, latissimam viam pantheismo sternunt. Nam si entitates reales, omnes sunt entitates substantiales, cum videamus huiusmodi entitates continuis mutationibus obnoxias esse, ac veluti per continuum motum fluere, pronum erit conficere et inferre, entitates seu realitates quas in mundo cernimus, non esse nisi phenomena, mutationes et phasas multiplices unius substantiæ. Et quidem, ut scite agebat Leibnitz, «si creata substantia, est quoddam ens successivum... et eadem non permanet, sicut non permanent accidentia, quare non dicemus, sicut Spinoza, Deum esse unicam substantiam, ac creaturas non esse nisi accidentia sive modificationes?»

THESIS 2.^a

Non repugnat absolute accidentia quædam existere sine subjecto, ac proinde quod a Deo hac ratione conserventur.

Prob. 1.^o Illud dicitur non repugnare absolute, ac proinde effici posse per potentiam Dei, quod non implicat contradictionem; atqui nulla exurgit contradictio ex eo quod aliquid accidens existat quin de facto et actu inhaereat substantiæ: ergo. Prob. min. Nulla apparet contradictio in eo quod duo entia, quorum quodlibet habet propriam entitatem ab entitate alterius realiter distinctam, existat sine unio-

ne actuali cum alio; atqui ex priori thesi, accidentia sunt veræ entitates reales a substantia realiter distinctæ; ergo ipsorum existentiæ actualis sine substantia, nullam involvit contradictionem. Et re vera quidem, si natura dimensiones et qualitates ex substantiis tollit, eas mutando ac novas substituendo, salva ipsarum substantiarum essentia, poterit Deus, qui sane potentior est natura, efficere ut talis substantia maneat sine dimensionibus aut qualitatibus; et poterit etiam has dimensiones, vel qualitates, sustentare, re sive essentia sublata, » ut optime argumentatur Leibnitz. Siquidem, ut ipsemet subjungit, «regulariter, quæcumque realiter distincta sunt, separari possunt per potentiam Dei absolutam; et quidem ita ut, vel alterutrum subsistat, altero destructo, vel utrumque, sed separatim... Neque vero in his ulla contradictio intelligi potest, reali discrimine semel admissio: et existentiæ pariter ac unio substantiæ et accidentium realium, in Dei arbitrio est.» (1)

Prob. 2.^o eadem thesis ex doctrina catholica circa mysterium Eucharistiæ. Quamvis enim ultro fateamur, fidei dogmata non læli dicendo cum cartesianis, per *species panis et vini* quæ remanent post factam conversionem substantiæ panis et vini in corpus et sanguinem Christi, intelligi posse sensationes præfatis accidentibus respondententes, nemo tamen inficiabitur, ejusmodi sententiam minima frui probabilitate, gravissimisque premi difficultatibus.

Et primo quidem, mirandum sane esset, omnes Ecclesiæ Patres et Theologos ante Cartesium natos, in re tam gravi veritatem ignorasse, et cartesianis philosophis detegendam post tot sæcula Deum reliquisse. Quapropter ipsa sua novitate, cartesianorum commentum convellitur.

Secundo, si species panis et vini, nihil sunt aliud quam sensationes in nobis a Deo productæ; ergo non adsunt dum non sentiuntur: ac proinde, dum sacræ formæ asservantur in tabernaculo, nihil ibi manet visibile aut palpabile.

Tertio, in ea hypothesis, sensus falluntur necessario et inevitabiliter circa objectum proprium et immediatum, seu

(1) *Syst. Theol.*, nûm 49.

sensibile per se, prout est color respectu visus, sapor respectu gustus, etc.

Quarto, ea hypothesis indefinite miracula multiplicat, cum ex ea necessario sequatur, Deum cogi operari miraculose toties quoties sacramentum sensibus offertur; immo tot miracula, quot homines sensibiliter percipiunt, et quot sensationes quisque hominum elicit. Contra vero, nostra thesis admissa, nulla adest necessitas ponendi ejusmodi infinita fere miracula. Semel enim ac concedatur, quod quantitas cum reliquis accidentibus quæ, ea media, substantiam afficiunt, sine substantia panis et vini conservetur a Deo, jam nullum aliud exquiritur miraculum ad hoc ut hostiam videre, tangere, sapidam experiri, etc. possimus, sed hæc omnia naturaliter consequuntur ex primo illo ac unico miraculo. Ergo philosopho christiano, si non certum omnino, saltem probabilius est habendum, accidentia aliqua posse existere separata a subjecto per virtutem divini, atque cum eximio Suarez concludo, quod «supposito mysterio fidei, longe probabilius est, posse etiam qualitates realiter a substantia et quantitate distinctas conservari sine in hærentia actuali. Unde de omnibus accidentibus realiter a substantia et inter se distinctis, pro certo supponimus, actualem in hærentiam non esse essentiam eorum.» (1)

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. adversus 1.^{am} thesim Accidentia nequeunt a substantia realiter distingui, nisi ipsorum propria entitas sit alia ab entitate substantiæ; atqui entitas accidentalis alia non est a substantiali: ergo. Prob. min. Si accidentia propriam ac distinctam entitatem habent, accidentia ejusmodi per creationem producerentur, quod est absurdum: ergo. Prob. ant. Produci nequeunt per generationem, quia hæc terminatur ad substantiam; ergo per solam creationem.

Resp. Neg. min. Ad prob. neg. ant. Ad cujus prob. neg. cons. Accidentia enim, neque per generationem, nec per creationem proprie producuntur; quia hujusmodi actiones ad

(1) *Metaphys. Disp.* 37, sect. 2.^o

solas substantias per se terminantur, ad accidentia vero, non nisi accidentaliter, vel potius *concomitanter*; quatenus, scilicet, dum creatur, v. gr. homo, non *sine* accidentibus, sed *cum* accidentibus creatur. Ast, dum *sola* accidentia de novo producuntur, ut dum corpus ex quadrato fit rotundum, aut actu movetur, hæc productio fit per actionem sui generis, quam veteres *eductionem ex potentia subjecti*, non incongrue appellabant; cum nihil sit aliud quam actio causæ secundæ, quatenus vim suam applicat et exerit in subjectum determinatum, ipsum realiter immutando per productionem diminutæ entitatis seu modi, non quidem ex nihilo, sed ex ipso met substantiali subjecto, in quo virtualiter seu potentialiter præcontinebantur. Corpus enim quadratum, ex gr. ex seipso ac ex propria natura, aptitudinem seu *potentiam* habet ad rotunditatem recipiendam; quæ aptitudo seu potentia, ad actum secundum reducitur per actionem agentis creati seu finiti, quam nulla creatione opus sit. (1)

Instabis: Accidentia a substantia realiter distincta, non sunt nec corpora, nec spiritus: ergo nihil sunt in seipsis.

Resp. Neg. cons. Corpus et spiritus, significant genera determinata, vel species substantiæ. Quapropter inferre ex hoc, quod nihil sint, idem est ac si quis diceret: *accidentia non sunt substantiæ: ergo nihil sunt*, quod palmariam continet petitionem principii. Itaque accidentia, quia sunt accidentia, non sunt substantiæ, ac proinde nec corpus, nec spiritus, quæ sunt nomina substantiarum. Sunt tamen aliquid reale, seu veræ entitates, quæ dici queunt corporeæ, vel spirituales, juxta naturam subjecti cui inhaerent, ita ut

(1) Merito igitur Leibnitz, Bayle argumentum hocce objicienti, respondet: «Pour ce qui est de la création des accidens, qui ne voit, qu'on n'a besoin d'aucune puissance créatrice pour changer de place ou de figure... non plus que pour former une statue, en ôtant quelques morceaux d'un bloc de marbre; ou pour faire quelque figure en relief, en changeant, diminuant ou augmentant un morceau de cire? La production des modifications n'a jamais été appelée *creation*, et c'est abuser des termes, que d'en épouvanter le monde. Dieu produit des substances de rien, et les substances produisent des accidens par les changements de leurs limites.» *Essai de Theol.* núm. 395.

accidentia quæ corpora, *corporea*, quæ spiritum afficiunt, *spiritualia* dicantur.

Obj. 2.^o adversus alteram thesim. Existere sine subjecto, repugnat essentiæ accidentis: ergo nec virtute divina conservari potest separatim a subjecto. Prob. ant. Esse in subjecto; essentialiter prædicatur de accidente, quippe quod definitur *ens in alio*, atque ut sæpe ait D. Thomas, *accidentis esse est inesse*: atqui in hypothesi thesis, daretur accidens quod non esset in subjecto; ergo.

Resp. Neg. ant. Ad prob. dist. maj. Esse in subjecto *per inhaerentiam actualem*, essentialiter, etc. neg. *per inhaerentiam aptitudinalem*, conc. Cum actualis existentia de nulla re creata essentialiter, sed tantum accidentaliter seu contingenter prædicetur, actus ipse existendi in se, vel in alio, conceptum essentialem, nec substantiæ, nec accidentis constituit. Quin potius ac primario, substantia et accidens in creatis constituuntur et distinguuntur essentialiter, quatenus substantia est quidditas vel natura quæ petit et cui debetur existere in se; accidens e contra, quidditas cui debetur existere in alio. Ex quo merito infert D. Thomas, accidentia eucharistica, ex actuali separatione per virtutem divinam, non amittere rationem accidentium, quia adhuc de eis vere affirmari potest, quod sunt quidditates, vel entia, quibus debetur, et quæ exigunt esse in subjecto. (1) Hæc porro solutio maximam obtinet vim apud eos, qui cum D. Thoma docent, existentiam realiter distingui ab essentia in rebus creatis; quippe hac doctrina semel admissa, facile concipitur, essentiam accidentis minime destrui ex eo quod actu non sit in subjecto: unde vere dici posset, argumentum hocce

(1) En verba angelici Doctoris: «Cum ens non sit genus, hoc ipsum quod est esse (sive existere) non potest esse essentia substantiæ, vel accidentis. Non est ergo definitio substantiæ *ens per se sine subjecto*; nec definitio accidentis, *ens in subjecto*: sed quidditati seu essentiæ substantiæ competit habere esse non in subjecto; quidditati autem sive essentiæ accidentis competit habere esse in subjecto. In hoc autem Sacramento [Eucharistiæ] non datur accidentibus quod ex vi suæ essentiæ non sint in subjecto, sed ex divina virtute sustentante: et ideo non desinunt esse accidentia.» *Sum. Theol.* 1. P. q. 77, art. 1.^o ad 2.^{um}

solum eos premere, qui ab ista D. Thomæ doctrina recedunt.

Instabis: Atqui accidentia concipi nequeunt, nisi cum inhærentia actuali: ergo. Prob. min. Sensationes, volitiones, etc. sunt accidentia; atqui hæc concipi nequeunt sine actuali inhærentia; absurda quippe existit sensatio sine subjecto sentiente, sicut volitio sine volente: ergo.

Resp. Dist. min. Accidentia omnia nequeunt, etc. conc. aliqua, neg. Et ad prob. neg. cons. Sicut ex eo quod spiritualis substantia simplicitatem habet, immerito et inepte quis colligeret, lapidem, qui etiam est substantia, simplicitate donari, ita non absimiliter, ineptum prorsus est inferre, cunctis accidentibus essentialem esse inhærentiam actualem, ex eo quod ipsorum quædam sine hac inhærentia esse nequeant. Enimvero, ejusmodi inhærentia actualis necessaria oriri potest, non ex ratione generica accidentis, sed ex conditione specifica, vel ex propria natura hujus aut illius accidentis; sicut simplicitas non congruit substantiæ ex eo præcise quod sit substantia, sed ex eo quod sit talis substantia, v. g. spiritualis.

Objic. 3.^o et simul instabis. Accidentia sunt entia relativa; atqui relativa nec existere, nec concipi possunt sine absoluto, quod est ipsum subjectum quod afficitur et denominatur relatione: ergo nullum accidens sine subjecto existere potest.

Resp. Dist. maj. Accidentia sunt entia relativa, relatione prædicamentali, neg. relatione transcendentali, conc. Cum dicitur quod accidentia sunt quid relativum, non intelligitur profecto quod sint relationes prædicamentales, sive relationes proprie sumptæ, prout relatio genus speciale accidentis constituit, nisi velimus dicere quod ens dividitur in duo tantum prædicamenta, nempe, substantiam et relationem. Sed accidentia, eatenus relativa entia dicuntur, quatenus involvunt naturalem ordinem ad subjectum, ac dependentiam a substantia. Hic tamen ordo, utpote transcendentalis, nec est aliquid distinctum ab ipso accidenti, nec impedit quominus habeat propriam et absolutam entitatem ab entitate substantiæ distinctam: sicut creatæ substantiæ, quamvis dicant necessarium ordinem ac essentialem dependentiam respectu Dei, idcirco tamen non desinunt esse veræ substantiæ, propriamque entitatem habent ab entitate Dei realiter distinctam.

INDEX

VOLUMINIS PRIMI.

PREFATIO SECUNDÆ EDITIONIS.

PROLEGOMENA.

LIBER PRIMUS.

LOGICA.

SECTIO PRIMA, SEU LOGICA GENERALIS.

CAPUT I. Grammatica Generalis.	15
Art. I. De signis cogitationis in genere.—Notio et divisiones generales signi.	id.
Art. II. De signis oralibus cogitationis.—Duplex genus orationum signorum.—Notio et natura sermonis.—Utilitas et necessitas sermonis.—Ejusdem adinventio et origo.—Scholium circa originem sermonis.	17
Art. III. De signo scripto cogitationis.—Notio scripturæ.—Duplex scripturæ genus.—Scriptura alphabetica perfectior est ideographica.—Origo alphabeti.—Scholium.	22
Art. IV. De oratione et partibus quibus constat.—Notio et partes orationis.—Nomen ejusque divisio.—Verbi notio.—Verbum esse.—Scholium circa enuntiationem.	23
CAPUT II. De Perceptione Ejusque Adjunctis.	29
Art. I. De Categoriis.—Notio et divisio categoriarum.—Substantia.—Quantitas.—Relatio.—Thesis.—Existunt in rebus veræ relationes reales, ac proinde non omnes relationes entia rationis sunt.—Qualitas.—Sex posteriores	

categoriae. — Postprædicamenta. — Oppositio, prioritas, motus et modi habendi. — Scholium primum. — Scholium secundum circa principium categoriarum.	20
Art. II. De Universalibus.	42
§ I. De universali in communi. — Thesis. — <i>Dantur naturæ universales, quæ respondent vocibus et conceptibus universalibus nostri intellectus.</i> — Corollarium. — Thesis 2. ^a . — <i>Universalitas extra mentem non existit, sed consequitur actum intellectus.</i> — Corollarium. — Quæres 1. ^a . <i>quotuplex sit universale?</i> — Quæres 2. ^a . <i>quomodo efformetur universale?</i> — Corollaria.	id.
§ II. De Universalibus speciatim. — Divisio universalium. — Notio generis. — Notio speciei. — Notio differentiae. — Notio proprii. — Notio accidentis. — Scholium primum circa proprietates universalium. — Scholium secundum circa Realismum et Nominalismum.	46
Art. III. De proprietatibus terminorum. — Suppositionis notio, divisio, regulæ. — Appellationis divisio et regulæ.	50
Art. IV. De recta perceptione.	52
§ I. Leges generales rectæ perceptionis.	id.
§ II. De legibus specialibus rectæ perceptionis. — Abstractio. — Ejus notio et species. — Definitionis species, discrimina, regulæ. — Divisionis notio, genera, regulæ. — Scholium.	53
CAPUT III. De Judicio et Propositione	57
Art. I. De Judicio. — Judicii definitio. — Est actus positivus intellectus. — Regula fundamentalis pro recto judicio. — Judicium præcipuus est actus intellectus. — Corollarium.	id.
Art. II. De propositionis natura et divisione. — Definitio et genera propositionis. — Quid nomine <i>comprehensionis</i> et <i>extensionis</i> prædicati. — Divisio propositionis ex parte adjutorum.	58
Art. III. De proprietatibus propositionis. — Oppositio. — Ejus notio, genera, discrimina, regulæ. — Equipollentia. — Ejus definitio et regulæ. — Conversio. — Ejusdem definitio, genera, regulæ. — Scholium generale in quo de opinionibus recentiorum circa naturam judicii et in quo summam exponitur theoria D. Thomæ et philosophiæ christianæ circa idem argumentum.	62
CAPUT IV. De Ratiocinio et Argumentatione.	66
Art. I. De ratiocinio. — Ratiocinii natura et partes. — Est simplex mentis actus. — Principia quibus ratiocinia tam affirmativa quam negativa innitantur. — Discrimen inter ratiocinium affirmativum et negativum.	id.
Art. II. De argumentatione atque ejusdem speciebus. — Tres	

regulæ pro argumentatione in genere. — Inductio. — Completa et incompleta. — Ejusdem vis dum analogiæ adjungitur. — Enthymena. — Sorites. — Epicherema. — Dilemma. — Polysyllogismus	68
Art. III. De Syllogismo.	70
§ I. De syllogismi natura ac divisione. — Definitio syllogismi. — Ejusdem termini, materia, forma, figura. — Syllogismi species, modi.	id.
§ II. De regulis recti syllogismi. — Reductio directa et indirecta syllogismi.	73
Art. IV. De syllogismo demonstrativo seu demonstratione.	77
§ I. Notio et divisio demonstrationis. — Hujus natura, fundamenta seu principia, prænotiones. — Demonstratio simplex et composita. — Directa et indirecta. — A priori et a posteriori. — Scientia prout demonstrationis effectus. — Duplex scientiæ significatio.	id.
§ II. Præcepta spectantia praxim demonstrationis. — Corollaria.	80
Art. V. De syllogismo probabili. — Probabilitatis notio. — Opinio prout effectus probabilitatis. — Opinio, alia extrinseca, alia intrinseca, alia mixta. — Loca topica ex quibus argumenta tum demonstrativa tum probabilia desumuntur. — Corollaria. — Scholium.	82
Art. VI. De syllogismo sophistico. — Triplex fons sophismatum. — Sophismata et dictione. — Sophismata et rebus. — Scholium circa veram naturam et originem sophismatum.	87

SECTIO SECUNDA.

LOGICA SPECIALIS SEU APPLICATA.

CAPUT I. De Ipsa Logica.	91
Art. I. De necessitate et utilitate Logicæ. — Hujus notio. — Logica naturalis et artificialis. — Logicæ officium, utilitas et præstantia. — Necessitas Logicæ artificialis quoad reliquas scientias acquirendas. — Scholium circa fontes Logicæ.	92
Art. II. De natura Logicæ. — Notio virtutum intellectualium, quæ sunt, <i>intelligentia, sapientia, scientia, prudentia, ars.</i> — Thesis. — <i>Logica est vera scientia, aliquid tamen de artis natura participat.</i> — Objectio.	95
Art. III. De objecto Logicæ. — Objecti notio. — Objectum	

- materiale, formale, attributionis, et formale quo.*—Thesis.—*Objectum materiale Logicæ sunt res omnes a nobis cognitæ; objectum vero formale est ordo seu artificiosa dispositio quam in hujusmodi notionibus ipsemet intellectus ponit.*—Solvuntur objectiones. 100
- CAPUT. II. De Veritate Variæque Mentis Statu Quoad Ipsam. 103
- Art. I. Prænotiones generales.—Quid veritas metaphysica.—Quid veritas logica.—Quid veritas moralis.—Notio falsitatis.—Ratio propria veritatis.—Certitudinis notio, divisio, discrimina.—Certitudinis fallacis causæ.—Dubium, opinio, ignorantia, prout determinatos mentis status constituunt. id.
- Art. II. De veritate.—Thesis 1.^a—*Veritas prius ac perfectius congruit intellectui quam rebus.*—Thesis 2.^a—*Veritas logica vel cognitionis in judicio solum perfecte ac proprie reperitur; at si imperfecte et improprie accipitur, simplici perceptioni etiam congruit.*—Thesis 3.^a—*Veritas imperfecta quæ simplici perceptioni congruit, hanc semper per se comitatur, at per accidens simplex perceptio falsitati potest subesse.*—Corollaria.—Scholium circa modum quo sensus veritatem respiciant.—Solvuntur objectiones. 110
- Art. III. De existentia certitudinis.—Dogmatici.—Sceptici varii.—Thesis.—*Scepticismus omnem certitudinem e medio tollens, et absurdus in seipso existit, et exitialis est societati et Religioni.*—Solvuntur objectiones. 118
- Art. IV. De criterio veritatis.—Criterium per quod et criterium secundum quod. 121
- § I. De criterio evidentia. —Evidentia objectiva et subjectiva, ac utriusque definitio.—Prout veritatis criterium utramque complectitur.—Duplex evidentia significatum.—Evidentia immediata et mediata.—Posterior diversos gradus subit aliquo sensu.—Thesis.—*Evidentia constituit motivum judicii metaphysice certum, tutumque proinde veritatis criterium.*—Corollarium.—Solvuntur objectiones. 125
- § II. De criterio conscientia, vel sensus intimi.—Notio conscientia.—Duplex ejus objectum.—Conscientia directa et reflexa.—Conscientia sensitiva et intellectualis.—Thesis.—*Conscientia vel sensus intimus intellectualis est motivum infallibile certi judicii.*—Solvuntur objectiones. 131
- § III. De criterio sensus communis.—Quid nomine sensus communis significetur et quas veritates respiciat.—Reji-

- citur sensus communis ad sensum scholæ scotiæ.—Notia veritatum sensus communis.—Thesis.—*Sensus communis modo expositus certi judicii motivum infallibile haberi debet.*—Solvuntur objectiones. 139
- § IV. De criterio sensuum externorum.—Finis, objectum, condiciones sensuum externorum.—Thesis.—*Sensuum testimonium infallibile est motivum judicii certi, tutumque proinde veritatis criterium, dum condiciones ad eorum rectum usum requisita, adhibentur.*—Corollaria.—Solvuntur objectiones. 146
- § V. De criterio auctoritatis humanæ.—Necessitas auctoritatis humanæ.—Factorum varia genera.—Testium genera, discrimina et qualitates.—Auctoritas divina et humana.—Thesis.—*Auctoritas humana, conditionibus modo expositis munita, est motivum infallibile certi judicii quoad facta sensibilia et historica.*—Regulæ pro dignoscendi et dijudicandis factis tum doctrinalibus tum historicis.—Solvuntur objectiones. 153
- Art. V. De reductione criteriorum.—Opinio Lamennais circa consensum communem tanquam primum et unicum veri criterium.—Thesis.—*Nec communis consensus, nec fides divina sunt primum vel unicum veritatis aut certitudinis naturalis criterium.*—Consensus communis quatenus criterium supplementarium.—Evidentia quatenus primum veritatis naturalis criterium.—Scholium. 162
- Art. VI. De errorum causis et judicii defectibus.—Occasiones et causæ errorum ex sensibus.—Ex voluntate.—Ex parte intellectus. 166
- CAPUT III. De Critica Arte. 172
- Art. I. De authentia librorum.—Regulæ suppositionis.—Regulæ corruptionis.—Scholium circa apocryphorum librorum naturam et discrimina. id.
- Art. II. De hermeneutica.—Regulæ pro intelligentia et interpretatione librorum et scriptorum. 176
- CAPUT IV. De Methodo. 183
- Art. I. De metodo generali et initiali scientiæ humanæ.—Definitio methodi.—Duplex scientifica methodus, nempe, *initialis et evolutiva.*—Philosophorum systemata quoad methodum initialem.—Dogmatismus anteponendus.—Corollaria.—Scholium. id.
- Art. II. De metodo cartesiana.—Origo et effectus methodi cartesianæ.—Thesis 1.^a—*Dubitatio cartesiana, et impossibilis existit, et tanquam inutilis est habenda.*—Thesis 2.^a—*Methodus cartesiana et rationi adversatur, et*
- T. I. 56

- inepta est ad certitudinem scientificam constituendam.*—
Scholium.—Solvuntur objectiones. 188
- Art. III. De analysi et synthesis reliquisque methodi speciebus. 498
- § I. De analysi et synthesis.—Quid methodus analytica, quid synthetica, quid mixta.—Leges communes pro analysi et synthesis.—Leges pro analysi.—Leges pro synthesis. id.
- § II. De aliis methodi speciebus.—Methodus pro veritate acquirenda ope lectionis.—Leges pro lectione rite et cum fructu instituenda.—Notio methodi mathematica.—Non omnibus scientiis congruit.—Methodi scholasticae notio.—Quibus in rebus congrue adhibeatur.—Scholium circa rationem adhibendi scholasticam methodum. 201

LIBER SECUNDUS.

PSYCHOLOGIA.

SECTIO PRIMA.

PSYCHOLOGIA EMPIRICA.

- CAPUT I. De Hominis Facultatibus et Operationibus Universalissimis Spectatis.—Quinque genera facultatum rationalis animae assignantur.—Thesis 1.^a—Potentiae plurimae seu facultates rationalis animae ab ejusdem essentia realiter distinguuntur.—Corollaria.—Thesis 2.^a—Realem distinctionem admittere oportet inter animae facultates.—Scholium.—Solvuntur objectiones. 206
- CAPUT II. De Facultate Sentiendi. 215
- Art. I. De sensibus externis.—Notio communis vis sensitivae.—Triplex sensibilitatis manifestatio.—Sensibilitatis externae actus, organa, objecta.—Sensibile proprium, commune, per accidens.—Conditiones pro recto sensuum externorum usu.—Corollaria.—Scholium circa finem, munia et utilitatem sensuum externorum. id.
- Art. II. De sensatione. 220
- § I. Opiniones philosophorum.—Quorum alii docent animam in sensatione activam tantum, alii passivam, alii partim activam et passivam esse. id.
- § II. Natura sensationis.—Tria quae observantur in sensatione.—Quid actio intentionalis corporum in sensus, de

- qua Scholastici.—Quid contineat et qua ratione perficiatur sensatio.—Corollaria.—Scholium circa possibilitatem sexti alicujus sensus.—Scholium aliud circa denominationes materialis vel immaterialis dum sensationi tribuuntur. 222
- § III. De speciebus sensibilibus.—Thesis 1.^a—Cognitio sensitiva rerum, non per solam objecti actionem in sensoris, sed per species objectum ipsum representantes perficitur.—Quid per se species sensibilis.—Thesis 2.^a—Species sensibiles, non corporae, sed immateriales et spirituales dicenda sunt.—Quaerens: Quae ratione efformatur species sensibilis?—Solvuntur objectiones. 228
- Art. III. De sensibus internis. 235
- § I. De sensu communi.—Hujus notio.—Duplex cognitio sensationis externae.—Thesis 1.^a—Existit sensus communis, isque a quinque externis revera distinguitur.—Thesis 2.^a—Communis iste sensus non est facultas intellectiva sed sensitiva.—Solvuntur objectiones.—Scholium circa sedem organi sensus communis, hujusque relationem cum somno et vigilia. 236
- § II. De somno et vigilia.—Horum phenomenorum notio, causae, et effectus. 239
- § III. De imaginatione.—Quid nomine imaginationis et phantasiae.—Vis productiva et reproductiva imaginationis.—Hujus influxus et relatio quoad pulchras artes.—Thesis 1.^a—Imaginatio est facultas ab intellectu omnino distincta, atque inter sensitivas annumeranda est.—Corollaria.—Thesis 2.^a—Objectum imaginationis non sunt ipsae sensationes externae, sed imagines seu phantasmata rerum sensibilibus per ipsas percepturum.—Corollaria. 240
- § IV. Leges pro exercitio imaginationis. 247
- § V. Effectus seu commoda imaginationis.—Scholium. 248
- § VI. De aestimativa et cogitativa.—Objectum aestimativae.—Haec facultas existit quoque in brutis.—Perfectio peculiaris aestimativae in homine.—Manifestationes et effectus hujus perfectionis.—Quid addat cogitativa supra aestimativam, et in quo convenient.—Nomina varia hujus facultatis. 250
- § VII. De memoria et reminiscencia.—Quid memoriae nomine.—Thesis.—Existit memoria sensitiva, eaque est facultas quae ab intellectiva discernenda est.—Munera intellectualis memoriae.—Reminiscencia perfectior memoria pure sensitiva.—Duplex perfectio reminiscenciae.—Scholium circa distinctionem memoriae sensitivae ab in-

- lectuali, et circa modum quo temporis perceptio ad memoriam spectat. 251
- § VIII. Dotes memoriæ.—Hujus dependentia ab organo corporeo.—Memoria tenax, fidelis, felix, facilis, magna. 258
- § IX. Methodus memoriæ exercendæ.—Mnemonicæ.—Innititur præsertim attentione et associatione idearum.—Duplex associatio idearum.—Præcipua præcepta mnemonicæ.—Methodus mnemonicæ alia mechanica, alia scientifica.—Scholium circa principia associationis idearum. 260
- CAPUT III. De Superiori Facultate Cognoscendi. 263
- Art. I. De potentia intelligente generatim spectata. 263
- § I. Definitiones et prænotiones.—Definitio intellectus humani.—Nomen intellectus.—Intellectus speculativus et practicus.—Intelligentia, duplex ejus significatio.—Intellectus et ratio.—Utriusque convenientia et discrimen.—Intellectus est principium et terminus rationis.—Intellectus et ratio non duplicem sed unicam facultatem constituunt.—Intuitio est actus proprius intellectus.—Ratio superior et inferior.—In quo discriminantur.—Unicam constituunt facultatem.—Scholium circa intellectum et rationem.—Scholium aliud circa rationem superiorem et inferiorem. id.
- § II. Præcipua philosophorum placita de intellectu.—Natura seu theoria intellectus juxta Platonem.—Juxta Aristotelem.—Juxta Plotinum et Neoplatonicos.—Juxta Spinosam.—Juxta Leibnitz.—Juxta Mallebranche.—Juxta Cousin cum novo Eclectismo.—Juxta Gratry.—Juxta Ubaghs.—Juxta Kant.—Juxta Hegel.—Juxta Jacobi et Lichtenfels.—Juxta Gioberti.—Juxta Rosmini.—Scholium. 272
- Art. II. De intellectu per comparisonem ad sensum.—Thesis.—*Intellectus quoad aliquid sensui assimilatur: est tamen facultas ab ipso omnino distincta, atque a corporis organo in propria operatione non pendet.*—Sensus facultas organica, intellectus vero inorganica.—Quo sensu functio sensus appellari possit corporea et materialis.—Discrimen radicale inter facultas sensitivas et pure intellectuales. 287
- Art. III. De Phrenologia. 290
- § I. De recentiorum phrenologia.—Communis notio phrenologiæ apud recentiores ejusdem adsectas.—Horum præcipua dogmata.—Thesis.—*Phrenologia quam maxima pars phrenologorum nostris temporibus tuctur, adversatur, tum morali et religioni, tum rationi et experientie.*—Solvantur objectiones. id.

- § II. De possibilitate et conditionibus veræ phrenologiæ.—In quibus deficit hodierna phrenologia.—Notio veræ ac christianæ phrenologiæ.—Hujus fundamentalia dogmata et conditiones præcipuæ. 295
- Art. IV. De objecto intellectus.—Objectum extensivum et objectum proportionatum intellectus.—Thesis.—*Objectum proprium, directum ac quasi proportionatum intellectus humani in hac vita, sunt res seu naturæ sensibiles, sub forma universalitatis.*—Corollaria.—Immaterialitas radix intelligentiæ et intelligibilitatis.—Scholium.—Solvuntur objectiones. 297
- Art. V. De intellectu agente et possibili. 303
- § I. Necessitas et notio intellectus agentis et possibilis in genere.—Intelligibilia in potentia et intelligibilia actu.—Intellectus agentis notio et actio.—Intellectus possibilis.—Activitatem et receptivitatem simul includit.—Intellectio adæquate sumpta ab intellectu agente et possibili simul oritur. id.
- § II. De existentia intellectus agentis.—Thesis.—*Existit in homine intellectus agens, qui intelligibilitatem actualem rebus sensibilibus communicat: quæ intelligibilitas per abstractionem idearum perficitur.*—Duplex significatio ad intellectus agens.—Solvuntur objectiones.—Quæres 1.º Quodnam sit munus proprium intellectus agentis?—Quæres 2.º Quanam ratione res sensibiles actu intelligibiles reddantur?—Quæres 3.º In quo consistat, sive quomodo perficiatur abstractio specierum intelligibilium?—Scholium circa illuminationem phantasmatum juxta Rosmini. 306
- § III. De intellectu possibili.—Quare mens nostra dicatur pura potentia in ordine intelligibili.—Ratio operandi intellectus possibilis.—Est facultas activa simul et passiva.—Non est idem ac intellectus passivus, nec mera receptivitas idearum.—Non omnis abstractio idearum spectat ad intellectum agentem. 313
- CAPUT IV. De Facultate Appetitiva. 315
- Art. I. De appetendi facultate generatim spectata.—Notio communis facultatis appetendi.—Appetitus elicitus.—Appetitus sensitivus et rationalis.—Bonum ejusque perceptio.—Bonum metaphysicum, physicum, morale, honestum, utile, delectabile.—Corollaria.—Scholium. id.
- Art. II. De appetitu sensitivo. 318
- § I. Notio et divisio appetitus sensitivi.—Definitio appetitus sensitivi.—Quid nomine passionis.—Passiones prout

- in homine, et prout in brutis.—Appetitus concupiscibilis et irascibilis, atque utriusque discrimen et passiones. 318
- § II. De passionibus concupiscibilis appetitus.—Amoris notio, causæ, effectus.—Desiderii notio, discrimen a desiderio voluntatis, causa, effectus.—Delectatio.—Ejusdem causæ, effectus.—Odium, fuga, tristitia.—Speciales manifestationes amoris in homine. 319
- § III. De passionibus irascibilis appetitus.—Spei notio, causæ, effectus.—Audaciæ notio.—Causa et effectus.—Timoris notio.—Ira.—Ejus causæ et effectus. 323
- Art. III. De temperamentis.—Quadruplex temperamentum in homine.—Phlematicum.—Ejus notio, characteres externi, characteres morales.—Melancholici temperamenti notio, characteres externi et morales.—Sanguinei notio, characteres externi et morales.—Cholericum.—Hujus characteres externi et morales.—Pæfata temperamenta nunquam aut raro pura.—Modificantur per causas morales et physicas.—Corollaria.—Scholium circa sedem passionum. 325

SECCIO SECUNDA.

PSYCHOLOGIA RATIONALIS.

- CAPUT I. De Natura Rationalis Animæ. 330
- Art. I. De immaterialitate et simplicitate animæ. id.
- § I. Definitiones et notiones præviæ.—Nomen et existentia rationalis animæ.—Quid nomine cogitationis, corporis, spiritus.—Conditiones ad hoc ut res dicatur subsistens.—Corruptio per se, et corruptio per accidens. id.
- § II. Thesis 1.^a—*Anima rationalis simplex omnino existit.*—Corollarium.—Thesis 2.^a—*Hominis anima est etiam substantia omnino immaterialis et pure spiritualis.*—Anima rationalis est tota in toto corpore et tota in qualibet ejus parte.—Scholium circa demonstrationes quasdam spiritualitas animæ.—Solvuntur objectiones. 333
- Art. III. De immortalitate animæ.—Immortalitas essentialis et naturalis.—Ab intrinseco et ab extrinseco.—Thesis 1.^a—*Rationalis animæ est immortalis naturaliter.*—Thesis 2.^a—*Naturalis animæ immortalis ejus conservationem post separationem a corpore, quoad vitam etiam includit.*—Thesis 3.^a—*Rationalis anima est etiam immortalis ab extrinseco, quatenus Deus, ejus existentiam et vitam perpetuo servat.*—Solvuntur objectiones. 345

- CAPUT II. De Unione Animæ et Corporis. 353
- Art. I. De natura unionis inter rationalem animam et humanum corpus.—Duplex philosophorum opinio quoad præfatam unionem.—Quid nomine *formæ substantialis* et unionis substantialis.—Thesis.—*Rationalis anima est forma substantialis hominis, cujus corpori proinde substantialiter unitur.* id.
- Art. II. De unitate animæ in homine. 361
- § I. Prænotiones et opiniones philosophorum.—Triplex genus operationum vitalium in homine.—Animismus et vitalismus.—Vitalismus platonicus.—Vitalismus moderatus.—Vitalismus sensibilis.—Vitalismus Averrois.—Vitalismus modernus.—Vitalismus theologico-mysticus. id.
- § II. De existentia unitatis animæ in homine.—Thesis.—*Rationalis anima est principium unicum et sufficiens motuum omnium et operationum vitalium hominis.*—Solvuntur objectiones. 367
- Art. III. De consecrariis unionis, sive de commercio animæ et corporis.—Systema causarum occasionalium.—Thesis.—*Absurdum est ac prorsus rejiciendum systema causarum occasionalium.*—Systema harmoniæ præstitutæ exponitur.—Thesis.—*Systema harmoniæ præstitutæ rejiciendum est tanquam absurdum et periculosum.*—Systema mediatoris plastici.—Thesis.—*Rejiciendum est systema mediatoris plastici.*—Systema influxus physici per actionem et reactionem.—Systema influxus physici per concomitantiam exponitur.—Thesis.—*Systema influxus physici, sensu exposito acceptum, melius ceteris explicat commercium animæ et corporis.* 373
- CAPUT III. De exordio et Origine Animæ Rationalis. 381
- Art. I. De exordio animæ.—Philosophorum opiniones.—Thesis.—*Rationalis anima corpori non præexistit, sed tunc incipit esse, cum humano corpori conjungitur.*—Scholium circa animationem fœtus humani. id.
- Art. II. De animæ rationalis origine.—Traductionismus.—Generatianismus.—Creatianismus.—Thesis.—*Rationalis anima per solam creationem incipit esse.*—Scholium circa generationem hominis. 384
- CAPUT IV. De Rationali Anima Quoad Unionem et Separationem a Corpore. 389
- Art. I. Specialia quædam de anima breviter expenduntur.—Quæres 1.^o Quomodo definienda sit rationalis anima.—Quæres 2.^o Utrum actualis cogitatio sit ipsa essentia animæ.—Quæres 3.^o Unde oriatur hominum inæqua-

litas quoad vires præsertim intellectivæ partis.—Quæres
4.º Unde originem ducant monstruosi fetus humani, et
illæ notæ (manchas) quæ aliquando in hominis pelle
exarata pro variis anni tempestatibus varias subeunt
mutationes. id

Art. II. De rationali anima prout a corpore separata.—Rationalis anima in confinio mundi corporei et spiritualis posita.—Status unionis et status separationis a corpore.—Modus operandi et objectum animæ in utroque statu.—Qua ratione attingat diversa objecta in statu separationis.—Modus cognoscendi per conversionem ad superiora et per conversionem ad phantasmata respectu rationalis animæ. 392

LIBER TERTIUS.

IDEALOGIA.

CAPUT I. De Idearum Natura et Existentiâ. 400

Art. I. Notio et divisio idearum.—Quid nomine *ideæ* apud diversos philosophos.—Notio communis ideæ intellectualis.—*Idea impressa* et *idea expressa*.—Utriusque discrimina et munera.—Abstractio intellectus agentis et intellectus possibilis. id.

Art. II. De existentiâ idearum.—Thesis.—*Revera existunt ideæ intellectuales, tum impressæ, tum expressæ*.—Corollarium.—Solvuntur objectiones.—Scholium circa originem representationis determinatæ ideæ impressæ. 402

CAPUT II. De Præcipuis Systematibus Circa Originem Idearum. 406

Art. I. Expenditur systema scholæ empiricæ.—Democritus, Epicurus, et materialistæ.—Theoria Locke.—Thesis.—*Lockianum systema circa originem idearum penitus rejiciendum est utpote sensismo favens*.—Corollarium.—Scholium. id.

Art. II. De schola ontologica. 409

§ I. Expenditur systema idearum innatarum.—Theoria Platonis.—Leibnitz.—Bonald.—Thesis.—*Systema idearum innatarum, sive Platonis, sive Leibnitz, sive Bonald, rejiciendum est*.—Solvuntur objectiones.—Scholium circa systemata expositis affinia. id.

§ II. Ontologismus proprie dictus expenditur.—Theoria

Mallebranche.—Gioberti.—Schelling.—Thesis.—*Systemata ontologica nunc exposita sive intuitionis divinæ, erroribus periculisque scatent, ac prorsus sunt rejicienda*.—Solvuntur objectiones.—Scholium circa affinia systemata. 414

Art. III. De schola psychologica.—Theoria Fichte.—Thesis.—*Theoria idealogica Fichte absurdis et impietatibus scatet*. 420

Art. IV. De aliis systematibus idealogicis.—Systema representationis sensibilis.—Thesis.—*Systema representationis sensibilis rejiciendum est quoad eam partem, qua asserit intellectum, suum objectum percipere immediate in sensu vel representatione sensibili*.—Systemata alia intermedia.—Theoria Kant.—Theoria Cousin. 422

CAPUT III. De Vera Idearum Origine. 426

Art. I. Prænotiones pro vera idearum origine exponenda.—Perfectio et imperfectio humani in intellectus.—Est vera facultas activa.—Actio intellectus agentis simul existit cum actione intellectus possibilis.—Duplex mentis abstractio.—Quadruplex genus idearum in homine. id.

Art. II. Vera idearum origo summam exponitur.—Ideæ expressæ procedunt omnes ab intellectu possibili.—Qua ratione diversa idearum genera oriuntur in mente hominis.—Quo sensu dici possit cunctas ideæ intellectuales ex sensu originem ducere.—Simultaneitas operationis sentiendi et intelligendi atque ejusdem ratio sufficiens.—Scholium generale in universam idealogiam. 429

LIBER QUARTUS.

METAPHYSICA GENERALIS SEU ONTOLOGIA.

CAPUT PROEMIALE IN UNIVERSAM METAPHYSICAM.

§ I. Metaphysicæ nomen, origo et notio generalis. 435
§ II. Metaphysicæ objectum, divisio, nomina. 438
§ III. Metaphysicæ ratio et attributa. 439
§ IV. Metaphysicæ dignitas et utilitas. 440

CAPUT I. De ente ac eiusdem principiis. 442

Art. I. De notione entis.—Communis notio et denominatio entis.—Significata ejusdem.—Thesis 1.^a—*Ens, si nominaliter sumitur, constituit prædicatum essenziale rerum omnium; si vero sumatur per modum participii, non nisi de Deo essentialiter prædicatur.*—Thesis 2.^a—*Ens, nec est genus logicum, nec contrahitur ad inferiora per differentias logicas, sed per modos exprimendi realitatem et essentias rerum.*—Corollaria.—Solvuntur objectiones.—Scholium circa ontologismum. id.

Art. II. De principiis constitutivis entis.—Principia compositionis et principia cognitionis. 448

§ I. De actu et potentia.—Quid nomine actus et potentia.—Quomodo Deo et creaturis conveniat ratio actus.—Præcipue divisiones actus et potentia.—Thesis 1.^a—*Omne ens creatum constat actu et potentia.*—Thesis 2.^a—*Existit in creaturis potentia passiva obedientialis quoad actus naturæ vires excedentes, sive quoad effectus supernaturales.*—Solvuntur objectiones. id.

§ II. De essentia et existentia.—Ens quatenus concretum ex essentia et esse.—Notio essentia in communi et varia ejusdem definitiones.—Essentia physica et essentia metaphysica.—Proprietates vel attributa essentia.—Difficultas cognoscendi rerum essentias.—Thesis 1.^a—*Rerum essentia immutabiles sunt, si in seipsis seu secundum se spectentur.*—Thesis 2.^a—*In rebus creatis essentia realiter distinguitur ab existentia.*—Solvuntur objectiones. 452

§ III. De supposito et subsistentia.—Notio subsistentia ejusque declaratio.—Quid nomine suppositi et personæ.—Thesis 1.^a—*Subsistentia realiter distinguitur a natura, quæ in ea et per eam subsistit.*—Thesis 2.^a—*Subsistentia non in mera negatione, sed in entitate vel actualitate positiva consistit.*—Solvuntur objectiones.—Scholium circa opinionem Locke quoad personalitatem humanam. 462

Art. IV. De principiis cognitionis entis.—Varia genera propositionum et judiciorum.—Primum principium cognitionis triplici sensu potest accipi.—Nullum datur in nobis principium primum transcendentale veritatis seu cogni-

tionis.—Opinio Kant circa judicia synthetica a priori.—Thesis 1.^a—*Judicia synthetica a priori, ad sensum Kant, sunt prorsus rejicienda.*—Thesis 2.^a—*Primum principium, tum demonstrationis, tum præsuppositionis, est principium contradictionis.*—Corollarium.—Solvuntur objectiones.—Scholium circa opinionem Rosmini quoad judicia primitiva. 466

CAPUT II. De proprietatibus entis. 474

Art. I. De proprietatibus entis in genere.—Quinque proprietates entis assignantur.—Harum collatio inter se et cum ente.—Sunt relationes rationis. id.

Art. II. De unitate, identitate et distinctione.—Notio et ratio unitatis.—Unitas transcendentalis et unitas numerica.—Unitas simplicitatis et unitas compositionis.—Unum per se et unum per accidens.—Notio identitatis.—Ejusdem divisio et genera.—Distinctio.—Realis et rationis.—Substantialis, accidentalis et modalis.—Distinctio rationis ratiocinatae et rationis ratiocinantis. 475

Art. III. De veritate.—Verum transcendentale seu metaphysicum.—Nihil addit enti nisi relationem rationis.—Quo sensu convertatur cum cognoscibilitate rei.—Corollaria.—Verum triplici ratione potest definiri. 480

Art. IV. De bono et perfecto.—Notio boni in genere.—Bonitas transcendentalis et bonitas actualis.—Bonum verum et bonum apparens.—Boni divisiones.—Perfecti notio seu definitio.—Perfectio essentialis et perfectio accidentalis.—Perfectio virtutis et perfectio finalis.—Perfectio simplex et mixta.—Perfectio formalis, virtualis et eminentis.—Corollarium. 482

Art. V. De pulchro.—Notio pulchri.—Quo sensu identificatur cum bono.—Superaddit bono ordinem ad facultatem cognoscitivam.—Ratio formalis seu assentia pulchri.—Pulchrum absolutum et relativum.—Pulchritudo sensibilis et pulchritudo spiritualis.—Facultas pulchri exurgit ex intellectu et imaginatione.—Sensio pulchri.—Notio sublimis.—Rejicienda notio pulchri quam Gioberti tradit.—Exponitur theoria summaria pulchri.—Pulchrum quatenus effectus hominis esse potest.—Notio, definitio, et munera æsthetica. 485

Art. VI. De malo. 490

§ I. Notio et divisio mali.—Malum sumi potest concrete et formaliter.—Notio mali formaliter accepti.—Cujus boni sit privatio.—Bonum est causa mali, hoc tamen non habet causam per se.—Malum physicum et malum morale.

- Rejicitur opinio Leibnitz circa malum metaphysicum. 490
- § II. Error Manichæorum et Bayle circa originem mali refellitur.—Thesis.—*Repugnat dari primum aliquod principium quod sit summe malum.*—Solvuntur objectiones. 493
- CAPUT III. De causis entis. 498
- Art. I. Generalis notio ac divisio causæ.—Notio causæ in genere ejusque discrimen a principio.—Præcipuæ conditiones ad rationem causæ requisitæ.—Quatuor causarum genera, nempe, *causa materialis, formalis, efficiens et finalis.*—Causa instrumentalis et causa exemplaris.—Quid requiratur ad rationem instrumenti.—Comparatio causarum tum ad invicem tum prout effectum respiciunt. id.
- Art. II. De causa efficiente. 501
- § I. Causa efficiens prout *in actu primo* et prout *in actu secundo.*—Nec successio nec sola connexio sufficiunt ad rationem causæ efficientis.—Notio et definitio causæ efficientis.—Exponitur origo notionis causæ et principii causalitatis.—Occasionalismus.—Thesis 1.^a—*Substantiæ spirituales creatæ virtute activa donantur, suntuque proinde vere et proprie causæ efficientes.*—Thesis 2.^a—*Corpora etiam agendi vi prædita sunt, veramque rationem causæ efficientis obtinent.*—Solvuntur objectiones. id.
- § II. De causalitate causæ efficientis.—Quotuplex assignari possit principium operationis causæ efficientis.—Thesis 1.^a—*Principium quo radicale agendi in substantiis corporeis est forma substantialis.*—Thesis 2.^a—*Principium quo proximum vel immediatum actionis in substantiis creatis, non est ipsa essentia vel substantia, sed potentia seu vires activa, quæ ab ipsa realiter distinguuntur.*—Solvuntur objectiones. 507
- § III. De divisione causæ efficientis.—Causa *per se* et causa *per accidens.*—Causa principalis et causa instrumentalis.—Causa prima et causa secunda.—Causa universalis et causa particularis, æquivoca et univoca.—Causa adæquata et causa inadæquata.—Causa libera et causa necessaria.—Causa physica et causa moralis. 511
- Art. III. De causa finalis. 513
- § I. De notione et causalitate causæ finalis.—In quo sita sit causæ finalis causalitas tam *in actu primo* quam *in actu secundo.*—Causa finalis habet rationem veræ causæ.—Apprehensio finis est conditio *sine qua non* causalitatis ejusdem.—Triplex modus agendi propter finem.—Definitio causæ finalis. id.

- § II. De existentia causæ finalis.—Opinio Spinozæ et Rôbinet.—Thesis 1.^a—*Agentia intellectualia operantur propter finem directive, atque Deus ipse in operibus ad extra propter finem agit.*—Corollaria.—Thesis 2.^a—*Non solum bruta, sed agentia pure naturalia agunt propter finem suo quæque modo.*—Solvuntur objectiones.—Scholium circa casum, fortunam, et fatum. 516
- CAPUT IV. De præcipuis speciebus entis. 521
- Art. I. De ente finito et infinito id.
- § I. Expendantur notiones entis finiti et infiniti.—Existentiæ hujus notionis.—Notio infiniti ex tribus exurgit, conceptibus.—Refellitur opinio Locke circa originem hujus notionis.—Infinitum categorematicum et infinitum syncategorematicum.—Notio finiti coalescit ex conceptibus entis et limitis.—Refellitur opinio Cartesii quoad originem notionis finiti. id.
- § II. De possibilitate entis creati infiniti.—Thesis 1.^a—*Repugnat ens creatum quod sit infinitum secundum essentiam.*—Thesis 2.^a—*Repugnat magnitudo seu extensio actu infinita.*—Thesis 3.^a—*Repugnat etiam multitudo actu infinita.*—Corollarium.—Solvuntur objectiones.—Scholium circa gradum certitudinis prædictarum thesium. 524
- Art. II. De ente possibili et impossibili.—Quid intelligatur nomine possibilis.—Possibilitas potest esse vel interna vel externa.—Utriusque notio.—Triplex genus possibilitatis externæ.—Possibilitas interna nec ex nostro intellectu nec ex rebus existentibus pendet.—Opiniones variæ circa naturam possibilitatis internæ.—Thesis 1.^a—*Possibilitas interna rerum non pendet ex libera Dei voluntate.*—Thesis 2.^a—*Possibilitas interna rerum fundamentum habet in intellectu Dei ac divina essentia.*—Corollaria.—Thesis 3.^a—*Res interne possibles nullum esse in seipsis habent distinctum vel independens ab esse divino.*—Solvuntur objectiones.—Scholium circa scientiam visionis et scientiam simplicis intelligentiæ in Deo. 530
- Art. III. De ente substantiali et accidentali. 541
- § I. De substantia.—Notio communis substantiæ, hujusque notionis origo.—Substantiæ notio præter permanentiam inter mutationes accidentales, complectitur facultatem existendi in se et per se.—Relatio vel comparatio inter substantiam finitam et accidentia.—Notionem incompletam substantiæ habemus.—Idea substantiæ apud nos, duo elementa complectitur.—Non possumus substantiam definire propria et adæquata definitione.—Exponitur ac de-

claratur definitio seu descriptio substantiæ.—Habemus
veram aliquam notionem substantiæ.—Refellitur opinio
Locke circa naturam substantiæ.—Quo sensu ratio et no-
tio substantiæ Deo conveniant.—*Ens per se* varie et mul-
tipliciter accipi potest. 541


§ II. De accidentali ente.—Notio communis accidentis.—

Alia sunt absoluta, alia modalia.—Extensio vel quanti-
tas præcipuum locum obtinet inter accidentia corporum.

—Opinio veteris et novæ philosophiæ quoad distinctio-
nem accidentium a substantia.—Thesis 1.^a—*Dantur ac-*

cidentia quæ a substantiis creatis quibus insunt, realiter

distinguuntur.—Thesis 2.^a—*Non repugnat absolute acci-*
dentia quædam existere sine subjecto, ac proinde quod
a Deo hac ratione conserventur.—Solvuntur objectiones. 548




U A N L

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN



DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



Digitized by
Sri Lanka
National Archives

UEV
OTEC